

## DE ROBERTI SCOTTI [32]

NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

Hinc, primum refectis quinque horarum quiete corporibus, profecti, facili negotio hora post meridiem tertia in «Cellam Lannioniam» pervenient. Cum largiore cibo — satis enim magna copia carnis equinae illic iacebat — crescere visus est animus.

A. d. VI. kal. Mart. sereno die tetigerunt proximam Cellam penariam, ubi iustum penus repertum est, sed olei parum. Mears scripserat se XVIII kal. Ian. illo venisse foedata via; Aktinson scripserat Ceohane ex brevi morbo convalescere; Evans acruis scule deprecatur et foeditatem viae et thermometri ascensus. Ex eo autem tempore acerbissima consecuta sunt frigora non raro descendente thermometro ad gradum quadragesimum, et assiduis difficultatibus viac et inaudita vehementia procellarum et ignariis augustis et paritate virtutis miserum moliebantur iter.

Sic Kal. Martii tacta est exoptata Cella Liminaris media. Tres illic notat Scottus calamitates spem omnem evertentes: Parum repertum olei est, exusti frigore sunt pedes Oatis, ventus pridie optatus rettulit nubila. Tota abiit hora in permutandis pedum tegumentis; solum horrificum. Proximis deinceps diebus una mansit rerum facies, Oatis ingravescente malo. Is a. d. VI. Idus Martias Wilsonem interrogavit, esset ne sibi spes ulla reliqua melioris valetudinis. Respondit ille, quod oportebat, se censere esse. Postero die socios consuluit, quid sibi faciendum putarent. Responderunt, ut secum, quoad ullum pacto possent, iter pergeret. Eo die Scottus Wilsonem iussit reddere, quae finem

imponerent cruciatibus in extremam ad ductis necessitatem. Acceperunt pastillos opii retinente sibi Wilsone morphio. «Video nos datus esse tragoediam», inquit Scottus. Et XVI. kal. Apriles: «Iam agi coepta est, — inquit —, tragoedia. Nudiusterius Oates declaravit se amplius procedere non posse; se in suo relicto sacco nos abiremus. Nos obsecrare ut pomeridianum iter nobiscum faceret. Fecit ingenti cum cruciatu, Sequenti nocte morbus auctus est. Fortem fuisse militem, per complures hebdomadas summos sine querela tulisse corporis tormenta, semper paratum fuisse ceteros adiuvare, nos sumus testes». Indomiscens igitur nudiusterius sperabat se non evigilaturum esse amplius. Quum tamen evigilasset hesterno die: «Exibo, — inquit, — et haud scio an paulo moraturus sim diutius». His verbis, nobis reclamantibus, in furentem egressus turbinem nunquam postea a nobis visus est! Noveramus — inquit, — miserum socium ire in mortem, dissuadebamus. Sed maluit heros esse; maluit se esse virum imbutum humanitate vere Anglica. Qui tres sumus superstites speramus simili fortitudine finem nobis certo impendentem excepturos.

Et recte viderat finem propinquare tragediae. Die dominico XVI. Kal. Apr. nuntiat se venisse ad stationem quartam decimam.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

# ALMA ROMA

QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

Per.  
Lat  
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Nuperrime prodiit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

# ALMA COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

## Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

## FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMÆ collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 500 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1000, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMÆ** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXII


INVENTARIATO AL N° R-3  
Romae, Mense Ianuario MCMXXXV

Fasc. I

ISTITUTO DI STUDI ROMANI

BIBLIOTECA

INVENTARIATO AL N° R-3



# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

## “ALMA ROMA” IN ANNUM MCMXXXV

Si causae latinitatis fata, quae anno MCMXXXIV fuerunt, recensere, vel summatim, volumus, non est profecto quod animus deficiat. Primum enim vidimus latinae orationis certamen a Societate ad studia romana provehenda trifariam indictum, inter cultores nempe latini sermonis quoslibet, inter athenaeorum, pariterque inter scholarum secundi ordinis alumnos, non indecore absolutum; quod si certamen alterum, de collocutione, differri oportuit, profecto non desperabimus futurum ut quae nondum matura, ob breve quidem tempus, essent, ubertatem in percipiendis fructibus opinione citius conferant.

Interea conventus alias Romanus, iuridicum dicimus ex gentibus universi orbis, nedum restitutionem latinae linguae tamquam doctorum hominum universam sollemniter affirmavit, sed re probavit, eam esse vere unicam, quae in universorum congressionum disceptationibus ab omnibus intelligi posset.

Nec Instituta alia defuerunt, quae huic tutandae provinciae operam dederint, ut Societas illa Varsoviensis « linguae latinae usui internationali adaptandae », et « Societas latina » Monacensis, et « Umphia » Parisiensis, quam edere quoque aiunt lexicon quoddam vocabulorum ad medicinae et pharmaciae recens inventa latine exprimenda.

An Commentarios taceamus? Plures sunt de philosophica et theologica doctrina latine editi; quin imo affirmari potest Religiosam Congregationem fere quamque suum habere; est et *Palaestra Latina*, Hispanicis scholis praesertim accommodata, ut Budapestina *Iuventus Hungaricis* (versiones enim vernacula cuiusque civitatis lingua continent); sunt denique qui latina scripta interponant inter diversorum populorum sermones, ut *Scientiarum nuncius radiophonicus* Vaticanus, « Roma universa » (*L'universalità di Roma*), atque maxime « Sanitatis vires » (*Le forze sanitarie*), qui ter in mense editus, singulis vicibus de medicis Italorum doctorum studiis latine refert.

Si vero semina longe lateque diffunduntur — (neque omnia recensere nobis sumpsimus) — ea late item dissipari nobis videntur, unitatis centro deficiente quo convergant; videtur imo — quod praesertim nova vocabula spectat — ea rerum confusio oriri, a qua ne damnum causae nobilissimae generetur valde timemus. Quisque enim vocabula effingere sibi arrogat, eaque mutuata plerumque e propria uniuscuiusque lingua, et hac nonnunquam a latina prorsus aliena; interdum etiam novas voces creando, quas ad eamdem rem exprimendam Latini iam haberent. Dum igitur imprimis oportet ut studium latinae linguae, latini lexici augeatur (optimum enim linguae studium est lexici studium; studium, inquam, quod ad medullas usque linguae perveniat) necesse pariter est, ut voces ad hodiernae vitae significationes inducendas rationabiliter, ut ita dicamus, et iuxta latini sermonis intimam vim, rationem, formam, stylum effingantur, eaeque ad cibrum per doctorum virorum coetum ad rem constitutum prudenter agitantur; secus ad novam Babelicam turrim erigendam oleum et operam perdiderimus.

\* \* \*

In hoc rerum statu, quis locus noster? Locum nobis non mutandum esse putamus, qui ALMA ROMA commentarium latine omnino unici scribentes exemplum, — quodcumque id fuit, — sapientioribus item atque ephebis per viginti et unum annum praebuimus, latine etiamnunc exprimi omnia posse a litteris ad bonas artes et cuiusvis generis disciplinas, a seriis ad ioca; in quibus si novata verba adhibenda occurrerunt, vel ex graeco fonte, vel a similibus latinis non fortuito ac temere deducere studuimus. Id persequemur, imo amplifi-

care contendemus, gratique erimus sociis, qui materiem ipsi suppeditaturi sint, maioremque gratiam iis habebimus, qui operam suam in rem conferre voluerint.

Sed aliud ab iis petimus, nempe ut ALMAE huic ROMAE socios novos acquirant, qui nobis animum addant, totidemque ipsi latinitatis causae recte, ni fallimur, ut supra marginatae, defensores nobilissimi accedant.

Pretium autem annuae subnotationis est in Italia libellarum 15; pro ceteris universi orbis nationibus summa, quae Italicas libell. 30 exaequet.

Communi huic subnotationi altera iam aliquot annis addita est, quam *adiutricem* appellavimus, duplicato cuiusque subnotationis pretio. In *Patronorum* autem Commentarii numerum adscribentur, qui summam libellas 100 exaequantem miserint, vel socios quinque novos appor-taverint.

Praeterea qui integrum ALMAE ROMAE commentarii collectionem, ab anno scilicet MCMXIV ad annum MCMXXXIV inclusive, sibi cupiant, mittant Italicas lib. 500 si in Italia; pretium duplicatum, nempe lib. 1000 si apud exterias gentes.

In mentem autem revocamus librum a nobis editum fuisse ad latine scribentium et colloquentium utilitatem, *Communia vitae inscriptum*; venit lib. 8, quibus addenda erunt lib. 0,50 in Italia; lib. 1 apud exterias nationes, pro transmissionis expensis.

*Pecunia omnis sive pro consociatione, sive pro fasciculorum collectione, aut libri acquisitione, ante solvenda est apud doctorem JOSEPHUM FORNARI, « Almae Romae » Moderatorem, Romae, via del Governo Vecchio, 96.*

Denique has de subnotatione leges in mentem quisque habeat:

1) *Consociatio sub anni exitum non retractata pro redintegrata habetur.*

2) *Qui ALMAE ROMAE specimina habuit, neque post fasciculos tres acceptos reddidit — (quod nullo impedio facere poterat; quae enim a publico cursu tradita recusantur, gratuito ea mittenti restituuntur) — tamquam socius valide reputabitur, ideoque ad solvendum annuae consociationis pretium tenebitur.*

ALMA ROMA.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>1</sup>

## De propositionibus adiunctis.

## C) - Propositiones comparativae.

I. - Coniunctiones comparativae *ac, atque, ut, ac si, ut si, quasi*, et similes, ponuntur praecipue post adverbia similitudinis ac diversitatis, ut *aequae, iuxta, pariter, perinde, similiter; aliter, contra, secus*, etc.; item post adiectiva *par, idem, similis, totidem, aliis, contrarius*, etc.; v.g.:

*Perinde homines de quoque, ut quisque meretur, iudicant* (Cic., *Phil.*, XV, 7).

Iam faciam *contra atque* in ceteris causis fieri solet, ut nunc denique de vita hominis dicam (Cic., *Pro Syl.*, 24).

*Idem valere debet, ac si* pater indicaret (Cic., *Pro Syl.*, 12).

Qui aliis nocent ut in alios liberales sint, in *eadem* sunt iniustitia, *ut si* in suam rem alienam convertant (Cic., *De Off.*, I, 14).

II. - Coniunctionibus comparativis *ut, prout, sicut, velut, quemadmodum*, respondeat plerumque adverbium *ita vel sic*,<sup>2</sup> v. g.:

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup. mens. Decembbris MCMXXXIV.

<sup>2</sup> Pro « *perinde ac* » legitur nonnunquam « *proinde ac* »; v. g.: Qua de re, quoniam comitia habita sunt, tuque nihil ad me scribis, *proinde* habebo *ac si* scrisisses nihil esse (Cic., *Att.*, VIII, 13).

<sup>3</sup> Frequens est in iurandi formulis particula *ita* cum coniunctivo optativo, sequente coniunctione comparativa *ut*, plerumque (at non semper) cum indicativo; v. g.: *Ita mihi salva republica perfrui liceat, ut ego moveor humanitate et misericordia* (Cic., *Cat.*, IV, 6). — *Ita deos mihi velim propitiros, ut, quem illius diei mihi in mentem venit, non solum commoveor animo, sed etiam toto corpore perhorresco* (Cic., *Verr.*, II, 13). — Nam tecum esse, *it i* mihi omnia quae opto *contingant, ut vehementer velim* (Cic., *Fam.*, V, 21). — *Ita vivam, ut maximos sumptus facias* (Cic.).

Philosophus *ita* moratus, *ut* ratio postulat (Cic., *Tusc.*, II, 4).

*Ut* sementem feceris, *ita* metes (Cic., *De Or.*, 2, 65).

*Quemadmodum* gubernatores optimi vim tempestatum, *sic* multi fortunae impetum superare non possunt (Cic., *Ad Quint. frat.*, I, 1, 1).<sup>1</sup>

III. - Coniunctio *quam* alteri comparationis membro praefigitur post quaevis comparativa, etiam aequalitatis, *ut tam, non magis, non minus*;<sup>2</sup> v. g.:

*Indignius* homine nihil est *quam* si decipiatur.

Xenomenes *tam te diligit, quam si* vixerit tecum (Cic., *Fam.*, XV, 1).<sup>3</sup>

IV. - Comparativa *tanquam, quasi, ac si, ut si, velut si*, quum ab eis verbum pendet, semper coniunctivum re-

<sup>1</sup> Ex contextu probe est distinguendum utrum coniunctiones « *ita... ut* » inducunt propositionem comparativam an consecutivam, quum posterius verbum est in coniunctivo.

<sup>2</sup> a) At, si adhibeantur *is, idem, talis, tantus, tot vel totidem, tantum, toties, eo, tanto,* etc., quae sunt et ipsa comparativa aequalitatis, altera comparationis membro praefiguntur relativa demonstrativa respondentia *qui, qualis, quantus, etc.*, aut, si fieri possit, servatur regula « *Perinde homines de quoque, ut quisque meretur, iudicant* » (cf. supra, I); v. g.: Non *is sum quem putas* — Peripatetici, qui quondam *idem* erant, qui Academici (Cic., *De Off.*, III, 4). — Nemo unquam *tanta crudelitate usus est, quanta Cambyses*. — Plato *idem* sensit atque Pythagoras.

b) Post *alius, aliter, contra, secus* occurrit quoque coniunctio *quem*, si propositio primaria saltem sensu negativa est; v. g.: *Non aliter dico quam sentio* — *Virtus nihil aliud est quam in se perfecta natura* (Cic.).

N. B. - Post *contra* ponitur *quam*, etiamsi propositio primaria sit affirmativa; v. g.: Piso edere est ausus ut senatus, *contra quam* ipse censisset, ad vestitum rediret (Cic., *In Pis.*, 8). Cicero frequentius scribit « *nihil aliud nisi* » quam « *nihil aliud quam* ».

<sup>3</sup> Correlativis valde delectantur latini, praesertim in Periodo.

gunt, quia rem semper tamquam incertam proponunt; v. g.:<sup>1</sup>

Sic cogitandum est, *tanquam* aliquis in pectus intimum inspicere possit (Sen., *Ep.*, 83).

Homines corrupti superbia ita aetatem agunt, *quasi* honores vestros *contemnunt*; ita petunt, *quasi* honeste *vixerint* (Sall., *Jug.*, 85).

Aiunt patriam amicitiae praeponendam esse, proinde *ac si* iam *vicerint*, obitum Caesaris reipublicae fuisse utilem (Cic., *Fam.*, XI, 28).

In eadem sunt iniustitia, *ut si* in suam rem alienam *convertant* (Cic., *De Off.*, I, 14).

## D) - Propositiones concessivae, conditionales, consecutivae.

I. - Coniunctiones *etsi, tametsi* et *quamquam* saepe referuntur ad praecedentia, eaque corrigunt;<sup>2</sup> v. g.:

Do poenas temeritatis meae: *etsi* quae fuit illa temeritas? (Cic., *Att.*, IX, 10).

<sup>1</sup> a) Post « *potiusquam* » usurpatur frequentius coniunctivus; v. g.: Depugna *potiusquam servias* (Cic.) — Zeno perpessus est omnia *potiusquam* conscos delendae tyrannidis *indicaret* (Cic.).

N. B. - Si praecesserit gerundivus cum verbo « *sum* », etiam sequi potest, sine « *sum* »; v. g.: Quae conditio non *accienda fuit potiusquam relinqenda patria* (Cic.).

b) Post coniunctionem comparativam « *quam* » saepe leguntur coniunctiones *si vel ut* cum coniunctivo; v. g.: *Indignius homine nihil est quam si decipiatur* (Cic.). — Maior *sum quam ut* mancipium *sim* mei corporis (Senec.).

N. B. - Relativum etiam ponitur pro *ut* post comparativum et *quam*; v. g.: *Maior sum quam cui possit fortuna nocere* (Ovid., *Metam.*, VI, 195).

Hinc interdum ponitur coniunctivus post *quam*, relativo tacite intellecto; v. g.: Segestanis imponebat aliquanto amplius *quam* (quod) ferre possent (Cic., *Verr.*, IV, 34).

<sup>2</sup> Ut et *licet*, coniunctiones concessivae, non intelligi possunt, nisi quibusdam vocibus subauditis; v. g.: *Ut* (= fac ita, finge ita, ut) desint vires — *Licet* (= licet ut, permitto ut) pugnes.

*Quamquam* huiusce rei potestas omnis in vobis sita est, iudices (Cic., *Pro Mur.*, 38).

*Quamquam* quid loquer?... *Quamquam* quid ego te invitem? (Cic., *Cat.*, 1, 9).

Ut videre est in praecedentibus exemplis, coniunctiones concessivae *etsi, tametsi* et *praesertim quamquam* possunt inchoare propositionem, non solum subordinatam, sed etiam independentem. Tunc absolute ponuntur.<sup>1</sup>

II. - Sequenti verbo, *nisi* exceptionem, *si non* concessionem denotat;<sup>2</sup> v. g.:

Impune erit, *nisi* pecuniam promissam dederitis (i. e. excepto si dederitis, quia tunc non erit impune).

III. - Quum nominativus persona est « indeterminata », ut dicimus, seu indifinita, Latini conditioni incertae, i. e. coniunctivo expressae, consequentiam certam, i. e. indicativo expressam, opponere possunt; v. g.:

Suos quisque opprimi non patitur, neque aliter *si faciat*, ullam inter suos habet auctoritatem (Caes.).

Attamen, quum sensus propositionis primariae cum sensu propositionis sub-

<sup>1</sup> TURSELLINI, loc. cit. p. 45. 137. 185. - Hoc in sensu sonant gallice: *Cependant, Du reste, Toutefois*.

<sup>2</sup> Hinc, post *si non, si minus*, propositioni subsequenti solet praefigi una e coniunctionibus *at, tamen, certe, saltem*, quae oppositionem denotant; v. g.: *Si non easdem opes habemus, eamdem tamen sim* mei corporis (Senec.).

N. B. - Id praecipue locum habet, quum non sententiae sententiis, sed voces vocibus opponuntur; v. g.: *Si minus homines, at certe Deum time* — Quintius Naevium obsecravit ut aliquam, si non *propinquitatis, at aetatis sua*: *si non hominis, at humanitatis rationem* habet (Cic., *Pro Quint.*, 31).

*Quum* post coniunctionem nihil sequitur, non dicimus *si non*; sed *sin minus, sin aliter*; v. g.: *Omnis cura mea solet in hoc versari semper, si possim, ut boni aliquid efficiam; sin id minus, ut certe ne quid mali* (Cic., *De orat.* 3, 75).

iectae arcte cohaeret, verbum primariae coniunctivo effertur; v. g.:

Si gladium quis apud te sana mente deposuerit, repeatat insaniens, officium sit non reddere (Cic.).

Aliquando autem primaria effertur indicativo, sive eam quasi independenter a conditionali considerant, sive per emphasm loquuntur; v. g.:

Si per Metellum licitum esset, matres interfectorum, uxores, sorores veniebant (Cic.).

Perierat imperium, si Fabius tantum ausus esset quantum ira suadebat (Sen.).

Indicativus vero huiusmodi saepe coniunctivo resolvi potest; v. g.:

Si manerem in Italia, verebare ne officio deesse ( = tuā sententiā, deesse officio). (Cic., Fam., VIII, 3).

Nisi Hannibal domi civium suorum invidia debilitatus esset, Romanos videtur superare potuisse ( = meā sententiā, superasset). (Corn. Nep., Hann., 1).

IV. – Verbum quo conditio exprimitur, quandoque effertur imperfecto coniunctivi, quamvis conditio praeterita plusquamperfectum postulet; v. g.:

Retinere Quinctium in senatu ne frater quidem, si tum censor esset ( = fuisset), potuisset (Tit. Liv., XXXIX, 42).

Hanc concionem Clodius, nisi ad cogitatum facinus approparet, nunquam reliquisset (Cic., Pro Mil., 17).

Pariter mutatur interdum tempus verbi primarii; v. g.:

Esset ( = fuisset) enim Antonio certe statim serviendum, si Caesar ab eo regni insigne accipere voluisset (Cic., Phil., III, 5).

Vel etiam utriusque verbi simul; v. g.:

Num tu igitur eum, si tum essem ( = fuisses), temerarium civem aut crudelem putares ( = putasses)? (Cic., Phil., VIII, 4).

V. – Quum denotanda est repetitio seu iteratio actionis, propositiones conditionales indicativo efferuntur<sup>1</sup> v. g.:

Poteram, si volebam.

Si quis equo deciderat, circumsistebant (Caes.).

Genuino sensu, tempus imperfectum solitam actionem saepe designat.

VI. – Propositiones consecutivae cum ut vel quin, verbum suum eo tempore habent, quo haberent, si alteri propositioni non essent subiectae;<sup>2</sup> v. g.:

Ea virtute ac fortuna est, ut ea potuerit semper quae nemo praeter illum (Cic., Pro Mil., 29).

In Theophrasto tam est loquendi nitor ille divinus, ut ex eo nomen quoque traxisse dicatur (Quint., Inst., X, 1).

Eo usque se praebebat patientem atque impigrum, ut eum nemo unquam in equo sedentem videret (Cic., Verr., II, 5, 10, 27).

<sup>1</sup> a) Propositiones conditionales imperfecto tunc efferuntur.

b) Item indicativo efferuntur propositiones temporales (*ubi, postquam, quoties... etc.*) et relativae *quicunque, ubicumque, quocunque... etc.*, quae actionem repetitam denotant; v. g.: *Quum* ver esse cooperat, Verres dabat se labori atque itineribus (Cic., De Supplic., X, 27). — *Quacunque* in partem equites impetum fecerant, hostes loco cedere cogebantur (Caes.).

N. B. - Scriptores non optimae latinitatis etiam coniunctivum usurpant; v. g.: *Quum* in ius duci debitorem *vidissent*, convolabant (Tit. Liv.).

Quum actio secundaria primariam praecessit, perfectum propositionis subiectae praesenti propositionis primariae, plusquamperfectum imperfecto respondit; v. g.: *Quum* huc *veni*, hoc ipsum nihil agere et plane cessare me *delectat* (Cic.) — *Messanam* ut quisque nostrum *venerat*, haec visere solebat (Cic., De Signis).

<sup>2</sup> a) Item propositiones relativae quibus consequentia exprimitur.

b) Post verbum quo eventus significatur, imperfectum fere usurpat, si agatur de praeterito; v. g.: *Tantus* in curia clamor *factus est*, ut populus *concurreret* (Cic., Verr., II, 2, 19, 47).

Nemo tam ferus fuit, quin Alcibiadis casum *deplorarit* (Corn. Nep., Alc., 6).

Nil tam difficile est, quin quaerendo investigari possit (Ter., Heaut., 4, 1).

VII. – Quum tantum abest ut impersonaliter et absolute ponitur, subsequenti propositioni contrariae rursus praefigitur ut cum coniunctivo; <sup>1</sup> v. g.:

*Tantum abest ut* haec bestiarum etiam causā parata sint, ut ipsas bestias hominum gratiā generatas esse videamus (Cic., De nat. deor., 2, 63).

Philosophia quidem *tantum abest ut*, perinde ac de hominum vita est merita, laudetur; ut, a plerisque neglecta, a multis etiam vituperetur (Cic., Tusc., V, 2).

(Ad proximum numerum)

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

Publicas collectiones iusserunt Theodosius II et Iustinianus; byzantinus uterque, alter medio saec. v, alter vero medio circiter saec. vi obiit; nihilominus ad hanc referendi sunt aetatem, romanam scilicet, quam claudunt, quippe romanum ius in unum componunt.

Theodosius II (408-450 p. Chr. n.) ut doctrinae ac foro declinantibus quadam tenus succurreret, iussit ut ad Gregoriani atque Hermogeniani codicum instar, novus exornaretur Principum, a Constantino et successoribus, constitutionibus colligendis, iis tantum partibus constitutio num recisis, quae legem generalem non edicerent, ita ut «ex his tribus codicibus et per singulos titulos» cohaerentibus prudentium tractatibus et responsis, unus fere idemque codex pro foro atque pro doctrina haberetur authenticus.

Editus est die 15 mens. febr. 438, ut vigeret a kal. ianuariis 439, salvis Gregoriano et Hermogeniano codicibus legique citationum ante data (426), et, de superioribus constitutionibus, nonnullis tantum. Antequam ederetur, receptus fuerat in occidente a Valentiniano III (437). Non immunis a lacunis et contradicitionibus, in libros sexdecim distribuitur, quorum I de fontibus; II-V de iure privato; VI-VIII de iure publico administrationis, nonnullis permixtis ex iure privato; IX-XI de iure publico processuali, fiscali ac tributario; XII-XV de municipiis; XVI de iure ecclesiastico. Viguit floruitque brevius in Oriente, ubi paulo post superatur codice Iustiniano, quam in Occidente; nec in Italia modo, sed et extra, praesertim vi legis romanae Visigothorum.

## DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA<sup>2</sup>

Constitutiones principum forma quidem variae, numero vero permultae fuerunt, ut difficile fuerit omnes in promptu habere, probe nosse riteque dignoscere; quamobrem coptae sunt in unum colligi, primum privatim, postea vero publica auctoritate. Privatas collectiones ornaverunt Papirinus Iustus,<sup>3</sup> Paulus,<sup>4</sup> Dositeus,<sup>5</sup> Gregorius,<sup>6</sup> Hermogenius.<sup>7</sup>

<sup>1</sup> a) Posteriori ut interdum, sed raro additur contra; v. g.: Cui ego rei *tantum abest ut* tibi sim impedimento, ut contra te adhorter (Tit. Liv., VI, 15).

<sup>2</sup> Cf. fasc. sup. mens. Decembr. MCMXXXIV.


<sup>3</sup> Ex constitutionibus Marci Aureli et Veri, libri XX.

<sup>4</sup> Decretorum lib. III, et imperialium lib. VI.

<sup>5</sup> Divi Hadriani sententiae et epistolae.

<sup>6</sup> Codex Gregorianus, cuius vero nonnisi fragmenta supersunt.

<sup>7</sup> Codex Hermogenianus, ex constitutionibus a Diocletiano ad Valentiniandum II et Valentem. Et de hoc pauca fragmenta supersunt.



Iustinianus, Gothis in Italia deletis, factionibusque Byzantii compositis, iura veneranda Romanorum colligere statuit novisque rebus aptare, opera usus cum primis Tribonianii, Theophili, Dorothei et Anatolii.

A legibus exorsus, has Codice colligendas, componendas, emendandas commisit decem viris, Codicemque ita concinnatum promulgavit d. 7 mens. aprilis 529, ut statim vigeret, nempe a die decima sexta eiusdem mensis. Progressus illico ad iura, eadem digerenda commisit Triboniano et collegio ab eodem Triboniano creando. Magnum hoc opus, cui *Digesta seu Pandectae* nomen datum fuit, promulgatum est Constitutione duplici lingua, latina et graeca, data d. 16 mens. decembr. 533, ut vigeret a pridie kal. Ianuarias anni 534.

Pandectarum ordo hic fere est. Quinquaginta libris (qui in titulos distribuuntur; hi vero in leges, vel fragmenta, et haec, quandoque in paragraphos), praemissa parte generali (lib. I-IV) agitur de iudiciis (V-XI); de rebus (XII-XIX); de variis peculiariibus iuribus (XX-XXVII); de testamentis, legatis et fideicommissis (XXVIII-XXXVI); de iuribus realibus (XXXVII-XLI); de actionibus et exceptionibus (XLII-XLVI); de iure poenali (XLVII-XLVIII); de procedura poenali (XLIX); de municipiis, de verborum significatione, regulae iuris (L).

Paulo ante editas Pandectas, Iustinianus suas edixerat *Institutiones* (d. 21 mens. novembr. 533) ut vigerent a pridie kal. Ianuarii 534; has concinnandas curavit et authentice promulgavit ut tamquam universi iuris syllogen praestaret non scholae modo, sed et foro; ad unguem imitatus *Institutiones* Gaii, in quatuor distributas partes, quarum I introductionem generalem exhibit, II est de personis, III de rebus, IV de actionibus. Quum autem Codex non admodum probaretur, *Repetitam Codicis paelectionem* iussit, quam

promulgavit die 16 mens. novembr. 534, ut vigeret a tertio kal. decembris eiusdem anni: hac nunc utimur, nam prima editio perit.

Distribuitur *Codex repetitae paelectionis* duodecim in libros, qui in titulos dividuntur breves et satis multos; per quos digestae sunt Imperatorum constitutiones, latino vel etiam graeco sermone; omnium vetustissima est Hadriani, unica eiusdem, sine die et consule, novissima autem Iustiniani, data d. 4 mens. novembr. 534. Complures sunt Severiorum, pleraque Diocletiani. Liber I est de iure ecclesiastico deque iure publico generatim; II-VIII de iure privato, IX de procedura poenali, X-XII de iure administrativo.

Constitutiones quas Iustinianus postea edidit dictae sunt *Novellae*; ex quibus 166 ad nos pervenerunt, praeter octo illas, quae Codici paeivere. Colligi coepiae sunt privatim, vivo Iustiniano. Prima Novellarum collectio (125 numero) latine Byzantii edita est a Iuliano, ibidem iuris magistro, ac dicta *Epitome Iuliani*; altera concinnata fertur apud Italiae praefectum: continet Novellas 134, et dicta est *Authenticum*, licet privata prorsus. Amplior autem collectio edita mox fuit, ab ignoto, eadem privata, quae 168 novellas complectitur.

In varia illa quae sequuta est rerum hominumque vicissitudine atque inconstantia, maxime postquam avulsa plane a Roma atque Italia fuit Imperii pars orientalis, studia iuris coincidunt; nam usque ad saec. VIII evulgantur exegeses et glossae operis Iustiniani; saec. IX et X Iustiniani iuris summaria et refusiones; postea siluit plane quinque ferme per saecula, extinctumque fere est cum ipso imperio ius romano-byzantinum.

Vetuerat Iustinianus ne iuris interpretationes ederentur nisi ab Imperatore; permiserat tantum *Indices* et *Paratitia*: horum quedam supersunt, ut index Theo-

phili aliorumque (saec. V); nec tantum titulum Digestorum, sed et commentariolos notulasque exhibent.

Exstat et Institutionum *Paraphrasis Theophili*, de qua eruditissime, nostra aetate, disseruerunt Ferrinius et Bonfante, neque satis convenient utrum tribuenda Theophilo illi, qui Collectioni Iustinianae exornandae operam dedit. Codicis quoque exstant indices; Novellarum autem facta fuit epitome ab Athanasio Scholastico (saec. VI) et a Theodoro (exeunte saec. VI). Saeculo VII tribuuntur commentarioli de suppeditando tempore et de actionibus; imperante Leone Isaurico edita est (an. 740) *Egloga legum* ex fragmentis corporis iuris; et Basilius Macedo edidit (inter annos 870-879), suum *Procheirum*, promptuarium manuale ex indicibus iustinianis et ex novis constitutionibus decertum; alterumque, non tamen publice, editum est paulo post manuale, *Epanagoge legum*. Praestantissima vero huius temporis collectio sunt *Basilici libri*; quam collectionem a Basilio Macedone praexceptam perfecit Leo sapiens, eius successor. Materiam corporis iuris civilis refusam atque breviatam LX libris exhibit haec collectio, quae authentica fuit, non tamen exclusiva, ut cuiuslibet liceret ea uti aequa ac corpus iuris. Saec. X et XI commentaria et summa nonnulla Basilicorum edita sunt, et dein manuale quoddam Constantini Armeropoli (a. 1345); tum Corpus iustinianum, immo iurisprudentia ipsa, in Oriente oblitione obruta iacuit.

At in Occidente, hieme barbarico superato, ver novum floret primum in Italia, opera maxime « Studii Bononiensis », ac sensim in universa Europa, fundamenta iuridicae conscientiae apud gentes excultas omnes paebens.

SYLVIA ROMANI.

## VISIONES ROMANAЕ

### PINETUM.

*Iam sol decessit, caelo micat Hesperus alto,  
nubibus et pulsis Luna bicornis adest.  
Pini — longa cohors, caeli quae immota sub axe  
eminet, et virides tollit ad astra comas —  
dum iam cuncta silent, hominesque feraeque, vi-*

*Tyrrheni vigiles littoris excubiae,  
ne forsitan Sennes, Brenno duce et auspice Brenno,  
rursum Urbis repeatant moenia Romulidae.  
Una prius, dein bina, decussata inde caterva  
restat; quis iussit sistere nocte gradus?  
Forsitan heic acies adstat scelerata Gigantum,*

*mente agitans sedes scandere caelicolum?  
An potius legio est, quae postquam Martia signa  
victrix per populos gesit et arma, viam  
nunc init in patriam, bellis civilibus actam,  
quae vocat ultoris Consulis imperium?*

*At subito horrisono compleetur marmure terra,  
consurgunt venti, nubila et atra polum  
occultant, lunamque tegunt et sidera velant;  
imbres praecipitant, fulmina crebra ruunt,  
grandine plectuntur sylvae, furialiter Austris  
iactantur naves, aequora saeva tument;  
arboris antiquae ventorum turbine rami  
franguntur, foliis et viduata gemit.  
Itam huc atque illuc dum torquens verberat, Au-*

*ster  
concutit et quassat, lambere cogit humum.  
Alligat at pinus, puppim velut anchora, morsa  
radicis terram, vertice et astra petti.  
Ventorum furiae si inter ramata pugnant,  
tunc coma concutitur, firma sed usque manet.*

*Illius et ramos torquens nec deripit Auster,  
illius erectus tunc neque truncus hiat.  
Dein cadit ira ferox venti, cadit aequoris horror,  
imber abit, cessant fulmina, luna reddit.*

*Iam longe reboat tonitru raroque remugit,  
nubila vanescunt, sidera luce rubent.  
Sibilat et laetum pinus paeania, susurrans  
undantes ramos leniter aura movet.*

*Quid Galli, Batavique truces, Parthive fugaces,  
Annibal aut potuit bella tremenda gerens?  
Quid cives, ruptis qui inter se legibus, Urbem*

*in patriam strages, bella fraterna cident?  
Quid catus Arminius, quid farta, incendia, caedes,  
quid perfusa viae strata cruore iuvant?*

*Haud armis domita est, haud tanta eversa ruina,  
sanguine at ipsa suo Roma litata viret,*

atque aeterna manet — sic fata superba tulere —  
aeterni exemplum gentibus imperii.  
Roma aeterna manet, totum prius arma ver Orbem  
terrarum victrix, dein sua iura tulit:  
Roma aeterna manet, totus nunc Orbis anhelus  
noscere iustitiam Consulis ore petit.

Romae.

TITUS BELLATRECCIA.

## PETRUS CARD. GASPARRI

Inter oratores qui ad Conventum universalem utriusque iuris, de quo scripsimus,<sup>1</sup> praestantius retulerunt, eminuit prefecto Petrus Gasparri, S. R. E. Cardinalis, qui ingenue, copiose nec semel salse acuteque nos docuit, secreta saepe reserans, fata Codicis Iuris Canonici pro Ecclesia, quam dicunt, Latina compilandi, digerendi, ornandi ac promulgandi. Quis e plaudentibus diceret orationem illam tanti viri supremam esse inter mortales futuram, ac veluti testamentum? Mox enim, saevo morbo correptus, quattuor post dies e mortali vita eruptus est ad immortalem, xix kal. dec. a. MCMXXXIV.

Natus in vico Capo Vallazza, ex municipio Ussita, inter Picenos et Umbros, tertio non. mai. MDCCCLII, egregie emenso studiorum curriculo in Seminariis Sutriano ac Romano, laurea doctorali in philosophia, theologia et utroque iure ornatus, sacerdotio fuit auctus xxvi annos natus. Cursum autem honorum raptim facileque concendit; nam mox eum Merotel Cardinalis sibi a secretis adscivit, dum Pontificium Seminarium Romanum ac dein Pontificium Collegium a Propaganda Fide inter magistros cooptavit; biennio post (a. MDCCCLXXIX) eum a Leone XIII sibi magistrum impetravit Institutum

Catholicum Parisiense illud, quod tam bene de Civitate, de Ecclesia, de Litteris meritum est atque meretur: ubi undeviginti ferme annos egregie ius canonicum docuit, nec sine elegantia tractatus, quos appellant, canonicos edidit absolutos *De Matrimonio*, *De Ssma Eucharistia* ac de *Ordine Sacro*; quorum vulgatissimum *De Matrimonio*, ad Codicem Iuris Canonici accommodatum denuo nuper vulgavit. Interea, licet doctrinae fere totus incumbens, sacerdotalis nihilominus ministerii nunquam non fuit studiosissimus, pietatis opera atque christiana charitatis exercens inter vel humillimas gentes, maxime inter italos contribules, qui patria procul egeni miserique, ne dicam despici, maxima in Gallorum metropoli errabant, nihil aliud nisi panem operasque sibi suisque quaerentes.

Sed ecce Leo XIII, qui doctrinae, sollicitudinis, religionis opera tanto studio et fovet et excitabat et laudabat amplissime, Petrum Gasparri, episcopali auctum charactere, suum misit anno MDCCCXCVIII Delegatum Apostolicum in Peruviam, Bolivię et Aequatorem respellas, quas tenero diligebat amore; nec est qui ignoret quantopere christianum nomen apud eas gentes viguerit opera cumprimis Petri Gasparri, qui postea, veluti in peculiaris benevolentiae signum, curavit ut sibi esset inter eas successor Henricus Gasparri, fratris filius, idemque hodie Cardinalis. Nihil igitur mirum quod inter infinita fere nuntia, quibus undique populi acerbum expressere de tam lacrimabili luctu dolorem, teneriora dixeris atque suaviora ex illis missa fuisse rebus publicis, Peruvia, Bolivia et Aequatore, quibus susceptorum beneficiorum memoria nunquam praesentissima, nunquam sacra non erit.

Romam autem revocatus, a Secretis fuit in S. Congregatione de Negotiis Ecclesiae extraordinariis; quo in munere

<sup>1</sup> Cf. fasc. sup. mens. decembris MCMXXXIV.

confirmatus fuit a Pio X, novo Summo Pontifice. Expetebatur tunc undique ab Episcopis, a iuris peritis nova iuris canonici compilatio, quae universa iuris documenta sparsim huc illuc diffusa in unum colligeret, vetera resecaret, nova insereret, omnia concinne componeret atque ordine magis usui vitae doctrinae que apto digereret. Nemo ignorat inter tanti operis patronos pietate, scientia, industria, acie ingenii praecelluisse Casimirum Gennari, Cardinalem illum, cui tantopere Pontifex confidebat. Nec negaverim eo auctore Pium X votis undique ad se missis tandem obsequuturum, consiliis quoque suasionibusque Petri Gasparri susceptis, coetum, — Commissionem dicunt, — novo compilando codici constituisse; cui Petrus Gasparri fuit primum ab actis, dein vero, creatus Cardinalis a Benedicto XV, xx kal. ian. MCMVIII praeses, tam assiduus, tam industrius, tam alacer, ut opus illud, quod haud pauci inter doctiores desperabant, paucis annis fuerit absolutum: nam Codex Iuris Canonici, ut omnes norunt, Pii X Pontificis Maximi iussu digestus, Benedicti Papae XV auctoritate promulgatus fuit, Constitutione *Providentissima Mater Ecclesia* data die festo Pentecostes anno millesimo nonagesimo decimo septimo, ut vigeret a die festo Pentecostes anni subsequentis, pro Ecclesia Latina; nam pro Orientali, quam vocant, novus apparari coepus est Codex, a coetu, cui idem vir eminentissimus fuit praefectus; hodie vero praestet Enīus Card. Aloisius Sincero, eiusdem successor.

Dum autem totus incumbit in codicem digerendum, ineunte pontificatu Benedicti XV, inter immani belli aestuentes fluctus, Cardinalis Ferrata, quem idem Summus Pontifex omnium plausu ac spe sibi a Secretis delegerat, inopinato ad caelum rapitur; tunc alias nullus visus est Romano Pontifici aptior ad tantum munus gerendum, quam Cardinalis Pe-

trus Gasparri; nec spes eum fecerit; tanta enim charitate, tam insomni opera, animo tam firme, mente tam aperta, corde tam sincero Pontifici adstitit, ut hic unus, compositis armis, vices dictus sit, nec inter Christi fideles tantum, sed et inter paganos. Optimo igitur consilio Pius XI ipsum eodem in munere confirmavit, in quo tam acerbis belli vulneribus sanandis, odiis inter populos componendis, Civitatibus cum Ecclesia aut reconciliandas aut arctius coniungendas, catholicis ut bonum Christi odorem in publicam vitam actuose diffunderent adhortandis, omnem contulit operam, sed se suaque impedit. Qua in re nescio de qua melius meritus sit, de Ecclesia scilicet an de Civitate, de publica vita an de privata, de humiliore denique gente an de altiore. O utinam omnes semper tanti viri consilia suasionesque exceperint aperta sinceraque mente, quae ipse proponebat! Tanti studii fructus in Italia nostra fuerunt pacta illa solemniter inita ad Lateranum, quae omnes magno plausu exceptimus, novam veluti aetatem auspicati huic Patriae nobis carissimae, cui Deum dixeris commisso munus pacis veri nominis fovenda, tuenda, dilatanda inter gentes, ut quidquid non possederit armis id iure teneat atque religione. Quam itaque de se optime meritum filium Patria summis decoravit honoribus, primum inter Equites torquatos ex Ordine B. M. Virginis ab Angelo salutatae, tum inter Academicos Italiae adnumerans.

Tam multis, tam gravibus, tamque variis operibus aetateque veluti defessus, id tandem vir eminentissimus impetravit a Summo Pontifice, ut secedens procul a temporalibus negotiis totus posset aeternis vacare, in illa Opii collis quieta domo, unde tanta spectari possunt vestigia gloriae fluxae. Nec plane tamen illic labori litterisque pepercit, nam inter meditationem ac spiritualia otia, operam de-

dit novo concinnando Catechismo, veluti ut humilioribus succurreret in re tanti momenti, nec abstinuit quominus omnibus viribus codificationem, quam diximus, iuris canonici orientalis, cui prae erat, proveheret, non desperans forte eam brevi esse absolutum. Deus tamen omnis bonitatis, antea eum ad praemia re vocavit!

Petrum igitur Cardinalem Gasparri hac vita functum merito effusis lacrimis deflevere ac dudum deflent Doctrina, Civitas, Ecclesia: illa quidem canonici iuris peritissimum, altera civem optime meritum, haec denique filium addictissimum, sacerdotem pientissimum, ministrum fidelissimum, Cardinalem denique, cui purpura decorem non dedit sed auxit simul et habuit, ad ultimum usque spiritum vitae.

R. S.

## COMMUNIA VITAE

### De salutatione.

Sicuti literarum notae et verborum sonus gentes apud omnes sunt, ita etiam salutatio; emicant enim haec omnia vel ab instinctu cordis, vel ab instinctu intellectus, vel ab utrisque simul coniunctis; at dum necessarium quoddam est homini illa proferre, libertati subiicitur proferendi modus, propterea quod dum idem sentimus, diversa tamen et longe alia enunciare solemus. Itaque salutandi modos inter se si contuleris, non solum regionum, cultus, humanitatis, originis diversitatem populorum accipies, sed, quae grata apud alias in salutatione congregata fuerunt, haec veluti ingrata detesta que penitus a salutandi ritu remota penes alias fuisse.

Quaenam ergo in salutando sententia singulis? Una quidem: ut non modo ur-

banum, sed benevolentissimum ostendamus in eos animum, quos salvere iubemus.

Quinam vero significandi atque ostendendi modi?... Iam in eo eram ut dicere vetus illud: « Quot capita, tot sententiae »; sed res a capite ad civitates primum, in quibus origo et fons gentis perspicitur; inde ad pagos et provincias, in quibus mores, et soli caelique conditiones plerumque inspiciuntur; denique ad oppida, ne ad familias dicam, contrahenda res est.

In salutatione vero tum danda tum reddenda duplex emicat ordo rerum. Nam aut aliquid signis ostendimus, aut aliquid sermone elicimus. In iis, quae dicimus, unum pre ceteris elucet, nempe ut valeamus, ut salvi simus, incolumes, florentes, beati, ut multos per annos ea felicitate, quae placet, utamur, ut in bonum quaeque cadant, et benevertant. At salutatio quae signis fit, quaeque proinde idem deberet ostendere – nam signum et gestus sunt quodammodo aut verbi, aut cogitationis contracta manifestatio, quae ideo vehementior est quo brevior – etsi eadem ferat, eadem tradat intelligenda, quae verbis exprimerentur faustissimis, quasi lacus, qui plures effundatur in fluvios per diversa et opposita dilabentes, ridicula modo fert quae aliis gravia; modo moventia stomachum, quae aliis delicatissima videantur; modo foeda, quae digna et politiora ab aliis existimentur.

Ecquid vero, quaeso, est illud puerulis, infantibusque paene commune, quo vel digredientem, vel intuentem, vel adeudentem carissimum et arridentem salutant porrecto brachio, porrectis digitis, supina tamen manu, digitisque ita motis, ut por recti, non plicati, in palmam veniant, idque quo citius possint ingeminent? Id vero minime ad hortatum, ut quis accedit, converti potest; nam quem precamur, aut hortamur, aut iubemus accedere

non hoc gestu, sed fere contrario invitamus; non enim extendimus brachium, sed aliquantis per contrahimus, palmam non supinamus in caelum, sed in terram; idem autem est digitis porrectis motus atque plicatis. Quid est igitur hoc, ut caelo digitii manusque salutantium patent, terram invitantium digitii manusque respiciant? In adventantem exspectatum, iucundissimum, cuius desiderio perimus, occurrimus porrectis ulnis, protensis brachiis, quasi corde excepturi, quasi optantes ut pectori nostro inseratur adveniens, meditantes amplexus et oscula, quae postea miscemus. Quid est hoc salutationis genus, quo nil urbanus apud nos, nihil dulcius, quo non parentes in liberos, non avi et abavi in nepotes careant, quo amici fruantur, quo inimici deposita odia iramque testentur, quo concordia, quo foedera, fidesque firmentur, quo venerationem, obsequium vel vita functis ostendimus, quo imaginibus, simulacris, exiguis denique, siqua ex illis supersint, quid alto sentiamus animo tum absentibus, tum praesentibus, tum nobis, tum reliquis et volumus et intelligimus significatum? Quid est hoc salutationis genus, quod neque ingratum Manibus, neque Numini ipsi, Superisque qui in gloria sempiterna sunt, credimus non invisum?

Hinc ego credo altius aliquid esse in salutationis instinctu, quod longe praetergrediatur illa dogmata a nonnullis recens inducta, qui in rem scrutandam incubuerunt. Qui quidem salutationem bifariam dividentes, nempe in eam, quae attactu gaudet, et in eam, quae attactu careat, illud constituunt, nos ideo salutare, ut aliquid gratum ac deliciosum odore, halitu, tactu salutatis faciamus, in salutatis excitemus. Optime vero; at obstat non eodem prorsus munere a salutatis rependi, nec minus dare quam ab iis accipere. Numquid qui salutat, ideo salutat quia delectari odore, tactu, halitu desi derat? Unusquisque se iudice rem facile expediet.

Relictis itaque atque amandatis iis, quae minime rationi factisque respondent, et causam dum quaerunt, sensus in locum animi subdunt, dignum sapiente credimus ea potius notare signa, quae et salutationis et benevolentiae manifestationem praebent.

In insulis, quae Marianna nuncupantur, maximum ostenditur obsequium, et benevolentia maxima si viri, si personae cuiusvis, ad quam salutatur accedimus, addomen levi vellicatione confricemus. In regione Nova Guinea Koiarii populi pro salutatione habent si collo dent circa brachium, mentoque blandiantur manu. In Zambesi fluminis litoraneis ripuariisque regionibus salutem dicit amico qui apertas supinasque eius manus apertis percutit palmis. Arabes, qui Petraea e regione sunt, salutationis modum habent, si quis genas ad amici genas adiungat, nullo tam osculo, nullo amplexu. Ainoi, qui mutua diu consuetudine et aspectu caruerunt, ubi primum obviarint, caput in humerum amici inclinant, et qui senior ex duobus capiti amici inclinato manu blanditur, dein brachio, digitis denique quasi demulcens, nec tamen inter haec verbum, aut exclamatio, prout in quibusdam tribibus Canadensis. Quis ignorat apud Esquimeses magnum salutationis decus esse in demulcenda barba tum accentus, tum propria, idemque in peragendo quoad nasum? Apud Asiaticos, praesertim qui aequum incolunt, amplexus in more est. In amplexus taciturnos ruunt Australiani, et idem apud Bourke ad Darling flumen. Biluchi vero longius rem trahunt, quippe primum vicissim humeris imponunt manus, tum plurima quaerere ritu, a quo nec decidere licet, quoad valetudinem, domum, familiam, loca; quibus ubi ro-gatus satisficerit, eadem quaerit. Hisce absolutis, libero fas est uti inter amicos

colloquio. Apud Latinas omnes gentes commune salutationis est indicium dare, iungere dextras, quo vel maiores nostri antiquitus utebantur, idque erat tum amicitiae sponsio, tum salutatio. Unde illud in VIII Vergili:

... mihi mens iuvenili ardebat amore  
Compellare virum, dexteraque adiungere dextram.

Id porro et apud Massaios, et Wanikas, et Abos in Africa media, et ad Nigrum flumen habetur. Iungunt Angli mutuo dextras, et eas pariter quatiunt, quasi dolore, si quis fuerit, signum fidei ponatur. Papuasiae incolae digitos uncant dextrae manus, iisque digitos laevae manus inserentes, quasi appendunt, quod idem signum multis commune est, si quando nuptias, concordiam, pacem foedusque percussum voluerint indicare. Sinenses et Iaponenses, delicatissimi, simulant manuum coniunctionem, non attingunt, propriaque excutiunt. Sunt qui pro salutatione genuflectant, sunt qui unguis inter corpuscula.

Nunc autem sunt qui autument adesse in rerum natura et alia corpuscula neutra; hoc est ex sola materia inertis constituta, cuius vero pondus, multo inferius quam pondus neutronis, eiusdem magnitudinis sit ac massa electronis vel positronis. Est id quod dicitur *neutrinum*.

Quaestio agitur utrum admittenda sit existentia neutrinorum permanentium, an tantum efformatio eorum in momento emissionis.

Res non est absque momento.

#### DE AQUA PONDEROSA.

Iam alias loquuti sumus de ea, quae nunc dicitur aqua ponderosa, in qua nempe hydrogenium est duplicitis ponderis, et proinde aqua ipsa gravior est quam quae communis.

Disceptationes fiunt de nomine quo isotopum hydrogenii vocandus sit.

Urey doctor, qui illum invenit, proti-

*Non omnis qui parcit amicus est, nec omnis qui verberat inimicus: melius est cum severitate diligere, quam cum lenitate decipere.*

S. AUGUSTINUS.

## SAPIENTUM PERVESTIGATIONES A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE LATINE VULGATAE

### NOTITIAE.

#### DE NEUTRINO.

Postquam existentia positronum demonstrata est, corpuscula quae ad materiae constitutionem pertinent, reducenda videntur ad prima tria illa, nempe neutrones, positrones, electrones, quorum primi non sunt amplius considerandi ut efformati a protone cum addito electrone, sed ut corpuscula primitiva materiae inertis, cuius pondus est sextadecima pars ponderis atomi oxigenii, quum tamen nullus stratus electricus adsit.

Protones ergo non amplius habenda sunt corpuscula primitiva, sed composta ex neutrone et positrone.

Photones vero non sunt numerandi inter corpuscula.

Nunc autem sunt qui autument adesse in rerum natura et alia corpuscula neutra; hoc est ex sola materia inertis constituta, cuius vero pondus, multo inferius quam pondus neutronis, eiusdem magnitudinis sit ac massa electronis vel positronis. Est id quod dicitur *neutrinum*.

Quaestio agitur utrum admittenda sit existentia neutrinorum permanentium, an tantum efformatio eorum in momento emissionis.

Res non est absque momento.

#### DE AQUA PONDEROSA.

Iam alias loquuti sumus de ea, quae nunc dicitur aqua ponderosa, in qua nempe hydrogenium est duplicitis ponderis, et proinde aqua ipsa gravior est quam quae communis.

Disceptationes fiunt de nomine quo isotopum hydrogenii vocandus sit.

Urey doctor, qui illum invenit, proti-

num vocat isotopum unius massae et deuterium isotopum duplicitis massae, dum protonis nomen et deuteronis vel deutonis tribuatur propriis cuiusque nucleis.

Sed sunt qui isotopum massae duplicitis dicant diplogenium, et diplonem eius nucleus.

Quoad symbolum chemicum, si assignandum est, conveniunt pro litera D.

Rutherford in publica lectione sub finem superioris mensis martii habita, apud Royal Institution, experimentis ostendit quaenam sint proprietates hydrogenuis duplicitis massae, et aquae quae ex eo fit.

Oscar Scarpa ex R. Polytechnico Mediolanensi examini subiecit aquam electrolyticam in accumulatoribus existentem, ut inquireret quae sit in ea ratio inter aquam ponderosam et aquam communem, et invenit adesse unam moleculam aquae ponderosae in quinque millibus molecularum aquae communis. Quae ratio etiam alibi servari videtur.

G. Hevesy et E. Hofer in « Instituto Physico-Chemico » Friburgi in Brisgovia inquisiverunt circa absorptionem et renovationem aquae ponderosae in quibusdam piscibus.

Alii inquirunt in spectra emissis a compositis ex hydrogenio duplicitis massae.

## ANNALES

### Nationum Societas.

Apud Societatis Nationum Supremum Consilium disceptatum re vera est de querelis Iugoslavorum contra Hungaros, qui scilicet — uti diximus — ita toleraverint, saltem, terroris, quas nuncupant, factiones in suo territorio, ut possibile fierent coniurationes constitui, quae ad facinora Massiliensis caedis adducerent. Concilium, auditis hinc illinc argumentis tum ad offen-

sionem, tum ad defensionem allatis, neque non orationibus legatorum ex variis nationibus, quae quidem ad animos conciliando maxime fuere, unanimi voto rogationem ratam habuit, qua ignominia notabatur nefaria vis per quam mortem Iugoslavorum rex Alexander et Gallicarum rerum ad exterios administer Barthou oppetiverrunt; affirmabat, Iugoslavorum Gallicorumque dolorem nationes omnes participare; poena in coniuratos omnes inrebat, cuiusvis Civitatis, ac praesertim earum quae Nationum Societati nomen et operam dedere; debitum confirmabat nemdum excitandi, sed ne tolerandi quidem terroris actionem quamlibet in suis finibus fieri. Quum autem videretur aliquis Hungaricus Praefectus per negligentiam contra « terroristarum » artes non satis occurrisse, quum tamen dubitari non posset quin Hungaricum gubernium in eos severe processurum in quorum caput res certe recidisset, Hungaricum gubernium invitabatur ad exitum inquisitionum suarum et exemplarem vindicationem Nationum Societatis revelanda.

Rogatione hac omnium assensu comprobata, gravis haec quaestio feliciter ita conclusa est.

Alii vero nimbi in aere succedunt. Abyssinorum enim regnum violatorum finium Italicum apud Nationum Societatem accusat; quamquam, etiam ex Anglicæ cuiusdam legationis testimonio, res longe aliter, imo contraria prorsus evenisse videtur: Ualal enim locus, quem vi invasum Aetiores affirmant ex vetere pactione — subscripta nempe Adis Abeba in urbe anno MCMVIII, — Italorum est: incursionem itaque hi passi, armis ad vim repellendam adhibere fuerint coacti.

### In Saar provincia.

Iuxta triumvirorum, quos enunciavimus, proposita, quibus et Germani accesserunt, Anglicae, Italicae, Batavicae ac

Suedicae copiae in Saar provinciam missae sunt ad ordinem, populisci causa servandum; licet pro certo iam habeatur, populiscitum ipsum pro territorii ad Germaniam adiectione copiose evasurum.

\* \*

### Circa navalem Londinensem coetum.

Dum concordiae spes circa navalem conventum Londini proxime habendo ad definiendas singulorum populorum classes, nutant, ad augendas difficultates Iaponia accessit, a qua pactum renuntiatur pluribus iam annis Washingtonii initum, in quo tertius locus circa navales bellicos apparatus ipsi tribuebatur: nunc autem Iaponia paria iura sibi repetit quae maximis aliis navalibus civitatibus coancedantur.

\* \*

### Ex aedibus Vaticanis.

Interim paterna caritate iterum Summi Pontificis vox, Natalitiis Dominicis feris redeuntibus, extollitur clamans et suadens pacem. Ecquando vero in universi orbis bonum tandem audietur?

POPULICOLA.

## VARIA

### Virtusne an Fortuna maior causa extiterit Romanis acquirendi tanti imperii.<sup>1</sup>

Existimarent multi, et inter ceteros Plutarchus gravissimus auctor, populum romanum in acquirendo tanto imperio magis fortunae prosperitate, quam virtute usum esse, idque vel ipsiusmet populi romani auctoritate constare. Neque enim fortunae tot tempa dedicasset, nisi ei

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: « De republika disputationes ex prima decade T. Livii » latine vertit H. BINDI.

victorias suas acceptas tulisset. Nam Romae nulli deorum dearumve tot erant posita tempa, uti Fortunae. Eidem huic sententiae videtur Livius quoque suffragari, eo quod in recitandis orationibus Imperatorum nunquam solius virtutis mentionem facit, sed fortunae auxilium adiungit. Ego vero contrarium sentio, neque Plutarchi hanc opinionem defendi posse contendeo. Nam si nulla exstitit Respublica, quae tantum imperium, uti Roma, acquisivit, cur id fortunae potius, quam bonis ipsius legibus et institutis tribuamus? Virtus exercituum et Imperatorum singularis industria imperium Romanum peperere; res autem partas conservarunt bona Reipublicae institutio, rectaque gubernandi ratio a primo legislatore constituta.

Obiiciunt, qui contrarium sentiunt, fortunae fuisse non virtutis Romanorum, quod nunquam geminis magnis ac difficilibus bellis simul impliciti fuerint. Neque cum Latinis bellum gesserunt, donec Samnitium vires fregissent; neque cum Thuscis dimicarunt, donec Latinos sub iugum redigissent, Samnitesque plane oppressissent. Quod si a binorum horum populorum potentissimis exercitibus simul petiti bello fuissent, dubium non est quin in summum discrimen Romanorum res adducta fuisset. Utut res se habeat, hoc certe constat, eos nunquam geminis maximis ac difficillimis bellis simul fuisse occupatos; sed sub finem unius alterum coepisse, et principium secundi priori finem imposuisse. Id ex serie constat bellorum ab ipsis gestorum. Nam ut de iis nil dicamus, quae ante captam a Gallis urbem confecerunt, interim certe dum bellum gessere cum Aequis et Volscis, non habuere alios hostes, quamdiu horum vires firmae fuissent. His perdomitis, ortum est bellum cum Samnitibus; quod etsi primo non plane esset confectum, eousque tamen perductum erat, quum La-

tini bellum moverunt, ut ad Latinos compescendos, auxilium Romanis tulerint. Latinis subiugatis, redintegratum est bellum contra Samnites; fractis Samnitibus, ortum est bellum cum Thuscis; rebus cum Thuscis compositis, tertium redintegratum cum Samnitibus bellum, Pyrrhi in Italiam adventu; Pyrrho Italia pulso, coepit primum bellum Punicum; eo confecto, Galli et qui trans Alpes et qui cis Alpes habitabant, omnes simul adversus Romanos coniurarunt. Victis iis, ac magna strage, inter Pisas et Populoniam, ubi nunc est turris S. Vincentii, caesis, pacem viginti prope annis habuerunt, quibus nil singulare actum est; tantum Ligures et reliquiae quaedam Gallorum in Gallia cisalpina deletae. Postea ortum est secundum bellum Punicum, quod Italia quindecim annos afflixit. Confecto hoc bello magna cum laude, ortum est Macedonicum; subiectis Macedonibus, ortum est bellum Asiaticum cum Antiocho. Victor Antiocho, nullus exstabat iam amplius aut princeps aut Respublica, quae vel sola vel cum aliis coniuncta, Romanorum potentiae resistere posset. Ante ultimam hanc victoriam certe, si quis seriem bellorum a populo romano gestorum diligenter intueatur et modum progrediendi ab eo observatum consideret, fortunae prosperitati immixtam deprehendet singularem virtutem, et rei militaris peritiam, ex qua felicium successum causam potius desumere, quam in unam fortunam omnia referre malim.

\* \*

### Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Oryza Mediolanensium more condita.  
Barbatuli mulli frixi.

Salivi cardui segmentis vitulinis involuti.

Cuniculi, ovis salsamentisque farti, in furno assi.

Fertum ex hiemalibus fructibus sapidum.

\* \*

### locosa.

Amicus Tuccio:

— Persuadere mihi nequeo quanam de causa Dantes Aligherius magistrum illum suum Brunettum Latini inferis adixerit.

Tuccius. — Phi! In aliquo scholastico examine eum improbaverit!

Villicus quidam Tuccio, furenter:

— Heus, Tucci! Tuus canis gallinam meam voravit!

Tuccius segniter: — Gratias ago quod me monuisti: hoc enim vespere eius coenae sumptui parcemus.

### Aenigmata.

Est caput in Divis, cui sacra est integra [virgo.

Effugiat caudam qui timet invidias.

Graeci me clipeum; colubrum dixere La-

Aenigmata in fasciculo mens. Decembribus MCMXXXIV proposita his respondent:  
1 (vulgo Rebus): Repetita iuvant; 2: Tinea.

dia celebrata hiems est, qui dies fuit a. d. X kal. Quint. post festivas epulas Aktinson exposuit se censere versus antarcticum polum eundum esse sciscitatum, quae Scotti et sociorum esset fortuna. Sibi videri veri simile aliquid esse passos in fossa aliqua glacialis Beardmore. Sed esse tanti vel ad Cellam superiorem eius glacialis penetrare, ut cognosceretur ex relictis alicubi litteris, utrum polum adepti essent, an ante revertissent. Placuit consilium omnibus. Omnibus rebus adornatis ex Promontorio Tabernario agmen auxiliare procedere coepit III. kal. Nov. 1912, vesperi. Erant isti octo viri cum mulis. Ipsi kal. Cherry-Garrard et Dimitri cum Aktinsone subsecuti sunt, usi canibus. Quod in via associati hi sunt prioribus, totum agmen III Idus Nov. mane ad Cellam Amphoriam pervenit. Hic pars diei merita data quieti. Postridie, i. e. pridie Idus, profecti vespe, mane conspexere procul rem similem signo viae. Pro eo signo ex nive eminebant bacula skiarria, pro baculis hasta graminea vel bambusea pertica, traheae ut videbatur malus. Invenitum erat tentorium Scotti et duorum sociorum eius, nivibus propemodum sepultum. Introgressi conspexerunt ex anima corpora Roberti Scotti et Wilsonis et Bowers. Hi quidem iacebant in suis saccis cubitorii, supra capita clausis, sicut solebant quum dormituri erant. Scottus post socios mortuus erat reiectis sacci operitionibus et aperta tunica. Eum autem saccum, in quo tres commentariorum libri erant, subiecerat moriens capiti et cervicibus, brachium circumdederat Wilsoni. Praeter commentarios vel decem epistolae ad amicos scriptae inventae sunt, in quibus vel suos commendat vel postremum salutat. Publicis etiam litteris exponit causas calamitatis.

Tum Aktinson, congregatis sociis recitavit ex commentariis postremas horas mortuorum. Deinde effossa trahea est. In

ea fuerunt etiam sexdecim chilogrammata lapidum, quos a Wilsone depromptos glaciali secum usque mortem vixerant, quod sic Wilson volebat. Quadrae photographiae expositae, quae in itinere erant soli, etiam post tantum intervallum temporis educi potuerunt. Corporibus operimento tabernaculi obtectis — verba Aktinsonis sunt — recitavimus defunctorum preces, super corpora ipsa ingentem nivium mollem coacervavimus; quod opus etiam proximi diei partem sibi absumpsit. Ex baculis skiarriis compacta crux infixa in summo est colle; ad dextram et item ad sinistram erecta trahea est, et propter defixa pertica suspenso metallico cylindro, in quem immisae litterae sunt pridie Idus Nov. anno 1912 ad quinquagesimum punctum gradus octogesimi latitudinis meridiana. In litteris erat de laborioso itinere poli deque causis interitus quinque illorum virorum.

Reliquo eius diei spatio et die postero triginta septem chilometra fecerunt, si Oatis corpus invenirent. Invenerunt sane hominis cubitorum saccum, sed nulla fuit facultas inveniendi corporis dudum obruti nive. Et ibi accumulata est nix parvaque insuper fixa crux est, et relictae litterae. Postridie revertentes postremum vale dixerunt duci suo, ibi in perpetuis nivibus cum sociis quiescenti.

Aktinson etiam explicat, qui potuerit fieri, ut in Cellis viae polaris parum reperiretur petrolei: maioribus et caloribus et frigoribus expositum citius evaporasse, praesertim quum lagena in summis collibus collocari essent solitae, quo inde facilius de promeretur a transeuntibus sociis.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

# ALMA ROMA

QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

Per.  
Lat  
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Nuperrime prodiit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubent, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 500 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1000, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXII

Romae, Mense Februario MCMXXXV



Fasc. II

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; *ante solvendum rectoque tramite* mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, *Via del Governo Vecchio, 96*.

PIO XI P. M.

QVARTVM SVPRA DECIMVM  
SACRI PRINCIPATVS ANNVM  
PROSPERE AVSPICANTI

*Nati dum mittunt alaci cum laude salutem,*

*Dum Tibi persolvunt fervida vota, Pater,  
De Christi et Sponsa Te Petri in Sede nitentem*

*Tam clare gestis promeruisse canunt,*

*Omnibus ROMA exsultans en iungitur ALMA*

*Fausta, felici iam redeunte die:*

*Omne bonum ut veniat cum pace beante precata,  
Dum Christi in Regno cuncta novata micent.*

*Princeps sic pacis, Tua longa haec vota coronet  
Diva ALMAE ROMAE Matre iuvante preces!*

IOANNES FRATINI.

## DE NEXIBUS INTER IUSTINIANI CAESARIS CODICES ET DECRETALIA GREGORII IX PONTIFICIS MAXIMI<sup>1</sup>

Conventui huic nobilissimo auspicando Iurisperitorum, qui ex omni gente huc adestis, ad mutuam celebrationem plures centenariae memoriae promulgatorum textuum iuris principum Gregorii Pp. IX Decretalium Codicisque Iustiniane repetitiae paelectionis, humanissime rogatus ut verba facerem, meam nimium sentio imparem proposito vocem. Idque eo vel magis quod, vix ab itinere reduci ultra Atlanticum oceanum, Augusta legatione suscepta, nec satis fuerit temporis nec quietis sive ad magnum ausum aestimandum, sive ad laborem vestrum doctrinaeque proposita expendenda bene reteque, ut, priusquam dicerem, mature cavendum erat.

Videor autem ex illa Bonaërensis Eucharistici coetus celebritate exque Iesu Servatoris universa gloria terra marique nobis viatoribus adfulgente, aliquid mutuare mihi posse, quod sit instar felicissimi auspicii, illius nimirum concordiae, quae dissita loca gentesque omnes ad Christi altaria aliquando componat. Non secus enim veteres illas aetates, hinc Iustiniani Caesaris inde Gregorii IX Pontificis Maximi, almus hic Coetus cum novissima nostra coniungens, utramque veterem gloriam uno est animo commemoraturus. Ut autem ad Bonaërensa comitia convenere popula-

rium agmina ex omni civitate in laudem prona et hosanna pium Filio Dei latenti sub Eucharisticis velis, praesenti tamen omni creaturae, ita omnium gentium non minus communis est hic iurisprudentum coetus, qui ex Oceani utriusque oris convenistis, memoriam simul celebraturi et Pontificis maximi et Imperatoris. Qui uterque Christi nomine et auspicio, ex omni humanarum sacrarumque legum acervo nimia et vana absciderunt, atque hinc et inde universi Iuris omnisque Humanitatis certos condidere terminos, per quos tutu vestigia essent sive ad terrenam sive ad caelestem felicitatem.

Nihil enim novi me vobis dicturum putem quum Christi nomini summorum viorum nomina innexerim, quos in ipsis exordiis operum, quae edidere nullo tempore interitura, una coniunxit sollemnis professio fidei et in Summam Triadem, et in Iesum Redemptorem omnium, regem saeculorum, sacerdotem aeternum. Cuius provido nutu et unus et alter obtinere se fassi sunt imperium, aut sacerdotium, ex Deo scilicet, unde, ut Florentini exsulis verbis utar, « veluti a punto bifurcatur Petri Caesarisque potestas ».

Huius igitur memorialis Conventus altior admodum causa extollitur, quam unius alteriusque rationis, sive Romanae sive Canonicae; dum, videlicet, vinculum est celebrandum inclytæ eorum cognationis, ex qua deinde, licet per varios rivulos, hue et illuc aquae diversae defluxerint, at in unam denique confluxerint bonorum virtutumque moralium copiam communem.

Iamque patet novissimum quemdam auctorem perperam esse vel nuper calumniatum iuris Romani augmenta fuisse

<sup>1</sup> Oratio enim viri Eugenii Pacelli, Patris Purpurati a publicis negotiis Pii Pp. XI, prid. Id. Novembr. MCMXXXIV ad Iurisperitorum Romanum ex omni gente Conventum auspicandum, a I. A. C. ex italico sermone in latinum liberius redditum. Quod clarissimus orator pro summa eius benignitate ultro concesserit ut in ALMA ROMA haec versio ederetur, amplissimas ei gratias habemus atque devote referimus.

per vim Christianae doctrinae intercepta. Nulla enim iniuria fuit, immo officium exstitit optimum morum disciplinam cum iuris prudentia coniungere; neque in ulla legum detimenta, quinimo in summum emolumentum lux illa caelitus arsit, qua frueretur ad emendandos mores respublica Christianorum. Qua igitur luce gradientibus ad novam civitatem tutum iter collustravit, dum videlicet ex Romanorum institutis, quae firmissima essent, Fidei ac moribus Christianorum coniuncta sunt.

Equis enim neget, non modo non imminutum, sed ad altiora proiectum esse ius familiare per Christianorum doctrinam, quae ferream illam veteris patrisfamilias potestatem mitiorem fecit? Aut quis abnuat ius vetus omne ipsamque veterem humanitatem augmenta mira esse adeptam ex Christi caritate praetorum editis ignota, quae servos redemit, aegris et miseriis asyla condidit, in pium omnem ausum testamenta dictavit, poenas criminum mitigavit, succurrit carcere vinctis, emendationem vindictae suffecit, gladiatoriis ludos abolevit?

Atqui: si ius est ars boni et aequi, nonne summa fuit huiusmodi ars rerum incredibili ruinae subvenire, novorumque populorum occurrere fluctibus, imperii fines undique urgentibus, eosque novae aequitati subdere iure Christiano?

Cuius ferme aequitatis – verbis Constantini Ferrini utar, Viri Venerabilis, – longe ubiores evassissent fructus, modo Caesares fuissent magis Christo fideles, aut consulibus melioribus usi. Sic igitur intueamur Iustiniani Caesaris Gregoriique Pontificis nexus ut unius eiusdemque Christianae Fidei cultorum, itemque iuris iustitiaeque, virtutum humanarum equidem maxime, qua videlicet Stagirita Philosophus aiebat non magis fulgere stellam quae aurorae arridet, vesperaque salutem.

Iamque videor, sitque venia verbis, novo

veluti sacerdotio, summum utrumque vi rum videre amictum, quum in *Digestorum* limine primo Ulpiani verbis occurro docentis iurisconsultum nomine sacerdotali iure posse frui, quia « omnis iurisconsultus est iustitiae sacerdos, et quidem verus et non simulatus », « neque eum palliatam sed philosophiam profitentem veram... non simulatam », qua nimirum non unae gloriantur Athenae aut Roma, sed gaudet cuiusvis hominis mens signata lumine divino. Itaque nil moror quin sacerdotale appelem duorum legumlatorum ligamen iurisque conditorum, quos rite et docte celebraturi estis. Etenim in utriusque libris sensim conlatis, nec tam unquam confusis, humanae rationis cum Fide divina concordiam specto, imperiique civilis cum Summo Ecclesiae Pontificatu, veterisque cum nova civitate, Urbisque Romae, sive Tiberis ad oram sedentis sive ad littora Ponti, cum aeterna illa quae a Christo obtinet claves regni caelorum.

Corruere namque Traiani, Hadriani, Constantini, Iustiniani Caesaris imperia, exque oris interni maris dilapsa sunt; nostras provincias novae gentes obtinuere, novaque vela per mare volitarunt quod Crispus Sallustius vocaverat nostrum.

Attamen, quidquid novatorum variae voces effutant, aut eorum sententiae Romano iuri opponant, aut censuræ attentare contendant, nos revocant denique ad illud Senecæ: « Non potest ullam auctoritatem habere sententia, ubi qui damnandus est damnat ». Dum tales igitur aemuli, non enim unquam doctos dicam, adeo vana blaterant, Romana tamen aequitas gentibus nunquam defuit, neque eius obducta graviter supericia adhuc amisere lumen, quod tamdiu praetorum ex oculis iurisque consultorum emicuit.

Namque vel per medias atque asperimas Gregorii IX Pontificis luctas contra

Fridericum Caesarem novi Romani imperii nimium adsertorem, lux nova exarsit cunctisque aliis altior, quam Pontifex ad legitimam concordiam canonum per multa volumina discordantium, sua ipse manu succedit.

Sacri autem legislatoris auctoritas, non ut Iovis ara de Capitolio, aut Caesaris thronum decidit unquam; sed vixit superstes successitque in novos semper heredes, qui et eam servaverunt et ad nos usque custodierunt. Ex qua aetate igitur Iustinianeo Codici iurisprudentia Romanorum condito Gregorii IX decretum adscitum est Fidei Christianae connisum, duae veluti faces in unam eamdemque connivere quasi in victricem iridem aut in novi foederis arcum inter divinam fidem humanamque rationem caelo inscriptum; infra quod foedus omnium populorum historia totiusque Christianae civitatis augmenta gradirentur ad unam et alteram metam, quas, ceu Poëta noster maximus scripsit, Dei Providentia hominum vitae proposuit; huc terrenae felicitatis, in quam civilis imperii nutu per philosophiae documenta, iuxta praecepta virtutum sive moralium sive intellectualium progrediamur; illuc autem caelestis beatitatis ad quam, Christi Vicario duce, per documenta spiritualia, iuxta theologalium virtutum doctrinam ascendamus.

At nos Christi verbo edocemur quae sunt Caesaris dare Caesari et quae sunt Dei Deo. Quamobrem Christianus ille Imperator, hodiernae celebritatis particeps alter, vel a primo novi codicis titulo, ut Patrem et Pastorem Petri heredem honorat qui « caput est omnium sanctarum Ecclesiarum ».

Tantorum virorum geniis sint igitur dignae laudes, quarum per semitas utriusque iuris arce coniunctas tanta ubique gentium vestigia exstant, nostrumque sit alterutrius distinguere voces ac distinctam dicere gloriam.

Sed in tanto virorum conventu tanta que iuris doctrina iurisve prudentia polalentium, iurisve historia eruditissimorum ex omni gente, nimis mihi usurpare videar si ipse eos deducere velim per longas aetatum tenebras infidamque caliginem, ut indigitem quot inter volumina, collectanea, codices Constantini magni Theodosiique heres e nova in Propontide Roma, Alexandri III et Innocentii III successor ex hac ipsa Urbe omnium capite ausum iniere suum: ille ut iuris civilis Romano imperio, hic ut iuris canonici Romanae Ecclesiae novum authenticumque corpus compararent.

Satis sit igitur nonnullos superaddere nexus, quo melius evincatur quanta sit illis communis gloria, et quales unius alteriusve lauros, licet septem saeculorum spatio dissitas in hac centenaria celebratione promulgatarum ab alterutro legum rursus ac perpetuo conserat.

Hinc itaque Iustiniano adest Tribonianus sacri palatii quaestor, inde autem Gregorio Raymundus a Peñafort, qui ei a sacris erat atque ab animorum ditione piaculari sive poenitentiali.

Tribonianus, iuris acer investigator, librorum collector ex omni sapientia veterum, cuius diligentissimae manus volumina attigerant ignota vel eruditissimis viris, qui que primo imperialium legum Codici compilando, mox *Digestorum* ingenti thesauro ordinando praefuerat, denique, legum quoque Codice renovato, cumque *Digestis* composito, novisque constitutionibus imperatoriis ditato novisque sententiis, novembri mense a. p. C. n. DXXXIV ipsi Iustiniano eum obtulit *Codicem repetitae praelectionis*. Quo videlicet exacto, cum suo tum principis nomini gloriae monumentum addidit haud equidem minus, immo lauris longe perennius, quas illi Belisarius per Africæ Italiaeve oras victor messuerat.

Non secus Raymundus de Peñafort, qui et Gratiani decretum et cetera cano-

num collectanea ut nemo versaverat, Gregorio IX Pontifici, anno MCCXXXIV, compilationem eorumdem novam, seu sextam tradebat, quae *Decretalium* nomine exstat, in quam tamen, pro Ecclesiae officio erga omnes gentes materno, praeter Romanas leges, iura alia multa ex aliarum quoque nationum more, Germanorum maxime ac Celtarum, invecta erant. Quantus autem labor aut quale studium, quantumve indaginum pondus in tantum opus conlata sint, non melius vobis retulissent veteres illi iurisperiti quam recentiores nostri facient, e quibus non unum tantum Romanae Ecclesiae Purpuratum Patrem adstare hoc adspicio, qui et doctrina multa et studiis diuturnis operam diu contulerunt in redigendum novum Iuris Canonici Codicem Ecclesiae hodie vigentem. Quorum facile principem salutare nemo dubitet Petrum Gasparri, Patrem Purpuratum, qui pro summa auctoritate sua, omni rei moderae ac perficienda assiduus praefuit; quique ad vos per hosce dies, nil certe detrahens aliorum promeritis, quos adiutores vel consultores adhibuit, « historiam codificationis Iuris Canonici pro Latino-rum Ecclesia » narraturus est.

At, quamvis bene auspiciatum fuerit ac bene placitum Menti divinae hinc Iustiniano Caesari inde Gregorio Pontifici Maximo Tribonianum aut Raymundum a Peñafort, summos equidem viros, summis in ausibus adfuisse, non tamen digestae ab eis leges plenam illam auctoritatem, qua tot a saeculis valent, aliunde obtinuere, quam per imperii signa aut summi Pontificatus, perque augusta nomina, quae illas inaugurate sunt atque, ut componi iusserant, ita et confirmarunt. Unde nimur omne momentum ac pondus sive Iustiniiane Codicis viguit sive *Decretalium* Gregorii, quae dum iuris gloriam per aeva multa deducunt, simul in novam vitam leges iuraque civilia aut canonica renovarunt.

Utque tunc Scholae cooperunt per orientales imperii oras Byzantii ac Berit florescere, ita per occidentales provincias tribunalia scholaeque Bononiensium vel Parisiensium eas brevi aemulata sunt. Itaque per saecula septem inter Iustiniani Gregoriique dictiones aut stabunt aut gradientur omnes vel novae ipsae gentes, sive barbarorum, sive etiam Islamitarum, nostra litora invadentium finesque nostros.

In ipso tamen Evangelii lumine, novae Fidei afflatu morumque meliorum pro linibus renovatae Urbis vix a catacumbis emersae at iam templis ditatae regalibus, reliquias et memorias Caesarum praetorumque venerabuntur barbari, seque fieri Romanos exoptabunt, ac sensim nativa se feritate exuentes, aut publicum ius suum privatumque mitigantes, codices mollient, legesve capitulares tenuabunt ad ipsius, quod everterant, imperii ius, novo tamen christiano more in novam vitam revocatum novamque unitatem. Tunc Christiana Civitas nascetur nova, quae crucisgnatis clypeis vexillisque ad recuperanda littora fidei incunabula suae, spe nunquam victa, redibit.

Hoc namque vel in mediis ipsis cum Friderico Caesare contentionibus princeps erat Gregorii votum. Qui, dum post novae aetatis studia ad altarium decus Franciscum Assisiensem, dilectum sibi amicum, et Dominicum Calaguritanum provehit, et Fidei tuendae tribunal condit, et Aristoteli Parisiensis scholae pandit aditum, ita denique, scholae Bononiensium Romani iuris magistrae « dilectis filiis doctoribus et scholaribus universis Bononiae commorantibus, ad communem et maxime studentium utilitatem » *Decretalium* librum tradidit.

Cui igitur gloriae Bononiensis civitatis, urbanum hunc hodie fastum Pius XI Pontifex Summus fauste feliciter regnans addit, cuius placito conditum est Pontificium hoc

iuris utriusque athenaeum, hodierni conventus domicilium.

Quot autem virorum illustrium mentes sive per Orientis sive per Occidentis solis terras voluminibus illis unius alteriusve iuris vires suas studiaque tota dederint, nemo facile dicat, quantaque ab eis sint posterritati relicta scholarum testimonia contentionumve assiduo labore admittentium, ut iura omnia, omnemque civitatem et humanitatem ad faustiora et altiora extollerent.

Atqui hoc ipso in littore Tiberis, unde orta fuit vetus illa civilis iurisprudentia, quae cum canonica et sacra tam arcte coniungitur, atque ad ipsam Petram super quam suam aedificavit Ecclesiam Christus, in Vaticana aula quae a Signatura dicitur, Raphaelis Sanctii divina manu, inter parietes, — quorum ex altero philosophorum colloquiis Platonem circum et Aristotalem Parnassus arridet, ex altero, ad gloriam latentis sub specie Eucharistica Iesu, caeli terraque comitia prostant, Fidei centrum atque Amoris et praeteritis gentibus et futuris, — hic Iustinianum videre est qui iuris civilis *Digesta* Triboniano, inde Gregorium, qui Sacri Consistorii advocates *Decretalium* volumina tradit.

Iamque igitur universo vestrum omnium coetui cunctisque legatis ab omnigenite, virisque doctissimis ingeniisque praeclaris, non meo tantum auspicio, quam omnium etiam qui a sapientiae Athenaeis huc intendunt mentem et animos, enixe opto ut perquam uberi utilitate disciplinarum ex omni iure Pii Pp. XI spei respondeant non minus laetae quam certae, cuius Augusta gratia et Nomine hoc Athenaeum duplum tantam centenariam memoriam commemorat atque concelebrat. Cuius denique mandato, corpore absentis, praesentis autem animo, honorificentissimum habeo Benedictionem Apostolicam, omnis caelestis auxilii omnisque copiae divinarum gratiarum pignus, conventui huic amplissimo impertiri.

## DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>1</sup>

### § III. — De propositionibus relativis.

I. — Relativum *qui*, *quae*, *quod*<sup>2</sup> coniunctivum regit

1<sup>o</sup>) quum finem indicat; <sup>3</sup> v. g.:

Legatos Tyrum misimus, *qui* (= ut illi) pecuniam recuperarent (Cic., *De leg. agrar.*, 2, 16).

2<sup>o</sup>) quum causam significat; <sup>4</sup> v. g.:

O fortunate adulescens, *qui* (= quum tu) tuae virtutis Homerum paeconem inveneris! (Cic., *Pro Arch.*, 10).

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>2</sup> Et relativa, quae huius relativi locum tenent; v. g.: Super tabernaculum regis, *unde* (= ex quo loco, ut inde, ut ex eo loco) ab omnibus consipi possent, imago solis crystallo inclusa fulgebat (QUINT. CURT., III, 3). — Urbe opportunissima, *unde* terra marique quae belli usus poscent suppeditentur (TIT. LIV., 43, 7).

<sup>3</sup> Relativum finem indicate solet post adiectiva *dignus*, *indignus*, *idoneus*... etc... v. g.: Qui modeste pareat, videtur *dignus* esse, *qui* aliquando imperet (Cic., *De Leg.*, 3, 2). — *Tibi* fortasse *idoneus* fuit nemo *quem* imitarere (Cic., *Verr.*, III, 3, 16, 41).

<sup>4</sup> Quum relativum significat causam, saepe ei praefigitur *quippe*, *ut*, vel *utpote*, perspicuitatis gratia; v. g.: Roscius convivia cum patre non inibat, *quippe* *qui* ne in oppidum quidem, nisi perraro, veniret (Cic., *Pro Rosc. Am.*, 18). — Dictator, *ut* qui magis animis quam viribus fretus ad certamen descendaret, omnia, circumspicere coepit (TIT. LIV., VII, 14, 6). — Lucius quidem frater eius, *utpote* *qui* peregre depugnarit, familiam ducit (Cic., *Phil.*, V, 11, 30).

N. B. a). — *Qui* potest aliis relativis suppliri; v. g.: Detestabili exemplo rem agi, *quippe* *ubi* (= *quippe* in quâ) fraude ac periurio decus petatur virtutis (TIT. LIV., XXVI, 48, 11). — Neque opere emunitus erat locus, *ut* *ubi* (= *ut* in quo) ipsius loci ac stagni praesidio satis creditum foret (TIT. LIV., XXXVI, 46, 2).

b) Legitur etiam *utpote* *qui* cum indicativo; v. g.: Ea nos *utpote* *qui* nihil contemnere solemus, non pertimescebamus (Cic., *Att.*, II, 24).

Quamquam quid ego te invitem, a quo iam sciam esse praemissos? (Cic., *Cat.*, I, 9).

3<sup>o</sup>) quum oppositionem seu concessio nem denotat; <sup>1</sup> v. g.:

Qui sero ac leviter graecas litteras attigisse, tamen complures ibi dies sum commoratus (Cic., *De Orat.*, I, 18, 82).

Hi miserrimo atque patientissimo exercitu Caesaris luxuriem obiciebant, *cui* semper omnia ad necessarium usum defuisse (CAES., *De bel. civ.*, III, 96, 21).

4<sup>o</sup>) quum sequelam exprimit; <sup>2</sup> v. g.:

Nemo est tam senex, *qui* se annum non putet posse vivere (Cic., *De Sen.*, 7).

<sup>1</sup> Quum oppositioni non attenditur, usurpant indicativum; v. g.: Ita ego, *qui* me ostreis et muraenis facile abstinebam, a beta et a malva deceptus sum (Cic., *Fam.*, VII, 26, 2).

<sup>2</sup> a) Post est, sunt, inventiuntur, reperiuntur; nemo, nullus, nihil est; quis, quid, quae res est? et similes locutiones indefinitas et universales, relativum sequitur coniunctivus; v. g.: Quum prium fuit, *cui* litteras ad te darem (Cic., *Att.*, IV, 1). — Sunt qui discessum animi a corpore putent esse mortem (Cic., *Tusc.*, I, 9). — Nihil est quod tam miseros faciat, quam impietas et scelus (Cic., *De Fin.*, 4, 24). — Quotusquisque philosophorum est, *qui* sit ita moratus, ut ratio postulat? (Cic., *Tusc.*, II, 4).

Huc refer impersonale est, quum sequitur *quod* cum coniunctivo, coniunctionis instar, sed reipsa neutrum pronomis, subaudita praepositione *propter*; v. g.: Est *quod* gaudeas te in ista loca venisse (Cic., *Fam.*, VII, 10). — Si unquam fuit *quod* gratias ageretis (TIT. LIV., I, 28). — Non est *quod* invideas istis, quos magnos felicesque populus vocat (SEN., *Ep.*, 94). — Quid est *quod* tantopere te commoveat tuus dolor intestinus? (Cic., *Fam.*, IV, 5).

Similis est constructio verbi *habeo*; v. g.: *Habeo* alia signa *quae* *observem* (Cic., *Fam.*, VI, 6). — Nil *habeo* *quod* *agam*. — Non *habebant* *quo* *discederent*, *unde* *viverent*... etc....

N. B. — Quum apud est *qui*, *sunt qui* effertur nominativus, usurpandus est coniunctivus, si res indeterminate exprimitur, v. g.: *Quae latebra est in quam non intret metus mortis?* (SEN.). — *Nemo est orator qui* se Demosthenis similem esse nolit (Cic., *De Opt.*, 2).

At si res determinatae sunt, ut dicimus, sequitur indicativus; v. g.: *Sunt bestiae in quibus*

Nulla est gens tam fera, *cuius* mentem non imbuerit deorum opinio (Cic., *Tusc.*, I, 13).

Non sumus ii, *quibus* nihil verum esse videatur; sed ii *qui* omnibus veris falsa quaedam adiuncta esse dicamus (Cic., *De Nat. deor.*, 1, 5).

II. — In narratione ponitur nonnunquam relativum aut coniunctio cum imperfecto vel plusquamperfecto coniunctivi, pro iisdem temporibus indicativi, quum de actione saepe repetita sermo est; v. g.:

Semper habiti sunt fortissimi, *qui* summam imperii potirentur (CORN. NEP., *Eum.*, 3).

Quemcumque lictor iussu consulis prehendisset, tribunus mitti iubebat (TIT. LIV., III, 11).

Cincinnati filii, consilium et modum adhibendo, *ubi* res posceret, priores erant (TIT. LIV., III, 19).

Nec quisquam Pyrrhum, *quae tulisset* impetum, sustinere valuit (IUST., XXV, 4).

Ut quisque maxime laboraret locus occurrebat (TIT. LIV., XXXIV, 38).


In privatis rebus, *si* *qui* rem mandatam negligentius gessisset, eum maiores summum admisisse dedecus existimabant (Cic., *Pro Rosc. Am.*, 38).

inest aliquid simile virtutis (Cic., *De Fin.*, 5, 14). — Sunt multi, et quidem cupidi honoris et gloriae, *qui* eripiunt aliis quod aliis largiantur (Cic., *De Off.*, I, 14).

*Sunt qui*, nullo nominativo comitante, semper coniunctivum requirit, saltem in soluta oratione.

b) Relativum sequelam indicare potest, quamvis nullum praecedat demonstrativum; v. g.: Nonne satius est mutum esse, quam *quod* nemo intelligat dicere? (Cic., *Phil.*, IV, 9).

N. B. — Huc pertinent sententiae incidentes, in quibus neutrum *quod* cum coniunctivo sensum sententiae praecipue restringit; v. g.: Tu velim, *quod* commodo valetudinis tuae fiat, quam longissime poteris, obviam nobis properes (Cic., *Fam.*, XIV, 5). — Pergratum mihi feceris, si eum, *quod* sine molestia tua fiat, iuveris (Cic., *Fam.*, XIII, 23).



Desperato senatus auxilio, *quum* in ius  
duci debitorem *vidissent*, undique convo-  
labant (TIT. LIV., II, 27).

#### § IV. - De participio.

##### A) - *De usu participii.*

I. - Participium coniunctum saepe lo-  
cum tenet propositionis relativae;<sup>1</sup> v. g.:

Est enim lex nihil aliud, nisi recta ratio  
*imperans* (= quae imperat) honesta, *pro-  
hibens* (= quae prohibet) contraria (CIC.,  
Phil., 1, 12).

*Homini perditō* (= qui perditus est) et  
collum in laqueum *inserenti* (= qui in-  
serit) subvenisti (CIC., Verr., IV, 17).

Huc pertinet usus participii praesentis,  
post verba quae significant *audio, video*»,  
quum attenditur ad definitum statum rei  
vel personae;<sup>2</sup> v. g.:

Caecitatē ita moderate tulit, ut neque  
eum *querentem* quisquam *audierit* (COR.  
NEP., Tim., 4).

Adolescentium greges *vidimus certan-  
tes* (CIC., Tusc., V, 27, 77).

<sup>1) a)</sup> Tunc est veri nominis adiectivum. Propositionem relativam supplere non potest, quum uni  
nominī adderentur duo participia, quorum alterū ab altero penderet; v. g.: Ciceronem *quem inven-  
eram legentem* salutavi (Ne dicas: *inventum le-  
gentem*).

b) Participium ponī etiam potest pro substantivo, ut *vidimus*, seu pro propositione relativa,  
cuius antecedens est demonstrativum, quae utraque  
supplet; v. g.: Felicitas Deo *adhaerentium* (= eo-  
rum qui adhaerent) magna est — Nullus *agenti*  
(= illi qui agit) dies longus est.

N. B. - In principio sententiae potius usur-  
pant relativum in nominativo positum; v. g.: *Qui  
Deum amat*, felix est (Ne dicas: *amans*).

<sup>2)</sup> Quum attendunt ad ipsam actionem, infinitum cum accusativo usurpant; v. g.: C. Heium  
iuratum *dicere* audistis (CIC., Verr., II, 2, 5, 13).

Aut usurpant coniunctivum cum coniunctione;  
v. g.: Saepe soleo audire Roscium *quum ita dicat* (CIC., De Orat., I, 28, 129). — Saepe ex socero  
meo audivi, *quum is diceret* (CIC., De Orat., II,  
16, 22).

Item post verbum *facio*, quum signi-  
ficiat *fingo*;<sup>1</sup> v. g.:

Xenophon *facit* Socratem *disputantem*  
formam Dei quaeri non oportere (CIC.,  
De Nat. deor., 1, 12).

Polyphemum Homerus cum ariete *col-  
loquentem* facit (CIC., Tusc., V, 39, 115).

II. - Propositionis adiunctae locum  
tenet participium:

<sup>1) b)</sup> tum coniunctum;<sup>2</sup> v. g.:

*Aranti* (= quum araret) Q. Cincinnato  
nuntiatum est eum dictatorem esse fa-  
ctum (CIC., De Sen., 16).

<sup>1) a)</sup> Tunc usurpant etiam propositionem infi-  
nitivam, imprimis quando verbum tempore per-  
fecto aut voce passiva efferendum est; v. g.: Plato  
*construi* a Deo atque *aedificari* mundum *facit*  
(CIC., De Nat. deor., 1, 8). — Hac oratione Plato  
*facit* Socratem usum apud iudices (CIC.).

b) Verba *induco* et *fingo* habent etiam post se  
participium praesens verbi activi et participium  
perfectum deponentis.

<sup>2) a)</sup> Si verbum caret debito participio, rema-  
nebit coniunctio; v. g.: *Quum Caesar rediisset*  
Romam, senatus ei triumphum detulit — *Quum Ci-  
cero esset consul*, Catilina eum occidere voluit.

N. B. - Poterit tamen, pro verbo activae vocis,  
sumi synonymum deponens; v. g.: Caesari  
Romam *reverso* (= quum rediisset) senatus tri-  
umphum detulit.

Poterit item, cum transitivis activae vocis, mu-  
tari constructio in passivam, et usurpari ablativus  
absolutus; v. g.: Cn. Pompeius, *captus Hierosolymis*  
(= quum cepisset Hierosolymas), vitor ex  
illo fano nihil attigit (CIC., Pro Flac., 28).

Poterit denique subaudiri participium verbi  
*esse*; v. g.: Ciceronem *consulē* (= quum esset  
consul) Catilina occidere voluit.

b) Quum participium locum tenet propositionis concessivae, verbo primario saepe adnectitur  
*tamen*; v. g.: Ingratus est civis qui, armorum per-  
iculo *liberatus*, animum *tamen* retinet armatum  
(CIC., Pro Marcel., 10, 31).

Possunt *tamen* aut *nihilominus* apponi parti-  
cipio, etsi logicē ad verbum primarium pertineat;  
v. g.: Atque hunc *tamen* flagrantem invidia propter  
interitum C. Gracchi, semper ipse populus romanus  
periculo liberavit (CIC., Pro Sest., 67, 140).  
N.B. - Apud scriptores optima latinitatis,  
propositio concessiva cum expressa coniunctione

Dionysius, cultros *metuens* (= quia  
metuebat) tonsorios, candenti carbone  
sibi adurebat capillum (CIC., De Off., II, 7).

Risus interdum ita repente erumpit,  
ut eum *cupientes* (= quamvis cupiamus)  
tenere nequeamus (CIC., De Orat., II, 58).

Misericordia occurrit ipsa solet sup-  
plicibus et calamitosis, nullius oratione  
evocata (= etiamsi nullius oratione evo-  
cetur) (CIC., Pro Deiot., 14),

<sup>2) b)</sup> tum absolutum;<sup>1</sup> v. g.:

*Reluctante natura* (= quum reluctatur  
natura), irritus labor est (SEN., De  
Tranq., 6).

*Parta victoria* (= postquam parta est  
victoria), conservandi sunt ii qui non cru-  
deles in bello fuerunt (CIC., De Off., I, 11).

Eclipses non ubique cernuntur, ali-  
quando propter nubila, saepius *globo ter-  
ræ obstante* (= quia globus obstat) (PLIN.,  
Hist., II, 13).

Eum interficere, *proposita sibi morte*  
(= quamquam illi mors proposita erat),  
conatus est (CIC., Pro Sext., 21).

Haud scio an, *pietate* adversus deos  
*sublata* (= si sublata sit), fides etiam et  
societas generis humani tollatur (CIC., De  
Nat. deor., I, 2).

B. - *De constructione participii absoluti.*

I. - Quando comitatur propositionem  
primariam, cuius verbum est activum,  
ablativus absolutus cum participio pas-

rarissime verbo finito caret, si tamen excipias  
*quamvis*, cui annexi potest adiectivum aut etiam  
adverbium.

<sup>1)</sup> Respuitur ablativus absolutus, ubi aliorum  
ablativorum concursus sententiam efficeret obscu-  
ram. Sic dices: *Quum Cn. Pompeius Strabo, de  
caelo tactus, obiisset*; non autem: *Cn. Pompeio  
Strabone, de caelo tacto, mortuo.* — *Quum Gaius  
puer mortuus esset*; non: *Gaius puer mortuo.* —  
*Quum milites invicti ex castris educti essent*; non:  
*Militibus invictis ex castris eductis.* — *Quum mi-  
litibus fortiter pugnantes caesi essent*; non: *Militibus  
fortiter pugnantibus caesis.*

sivo plerumque exprimit actionem, quae  
est nominativi propositionis primariae;  
v. g.:

*Cognito* Caesaris adventu, *Ariovistus*  
legatos ad eum *mittit* (CAES.).

*Hostes* maximo clamore insecuri, quasi  
parta victoria, vallum ascendere coeperunt  
(CAES., De Bel. gal., V, 44).

Per omnem Hispaniam cives nostros  
venumdatos, missis qui conquerent, in  
libertatem restituerunt (TIT. LIV., XXVIII,  
39).

II. - In constructione ablativi absoluti,  
nomen personae agentis semper ex pro-  
positione primaria intelligitur; v. g.:

Caesar, Pompeio victo (a Caesare), in  
Asiam transiit.

Partibus factis (a leone), sic locutus  
est leo.

III. - Intellecto participio verbi *sum*,  
participii praesentis locum saepe supplent:

<sup>1) b)</sup> nomina substantiva quae actionem  
verbi exprimunt; item nomina munera  
ac dignitatum;<sup>1</sup> v. g.:

*Magis auctoribus*, Xerxes inflamassee  
tempa Graeciae dicitur (CIC., De Leg.,  
2, 10).

*Sapientia praeceptrice*, in tranquillitate  
vivi potest, omni cupiditatum ardore re-  
stincto (CIC., De Fin., 1, 13).

<sup>1) a)</sup> Sic dicimus: *Adiutrice fortuna*; *comite An-  
tonio*; *natura duce*; Polybio *interprete*, *iudice*; Ari-  
stotle *magistro*, *praeceptore*; Curione *teste*; Cice-  
rone *consule*; Caesare *imperatore*; *praetore* Verre...  
etc....

<sup>b)</sup> Singularis nonnunquam est ablativus abso-  
lutus substantivi apud Tacitum et Suetonium; v. g.:  
Quae *triumviratu* (= quum triumviratus esset)  
iusserset (TAC., Ann., III, 28). — *Proscriptione*  
(= quum proscriptione esset) pecunias ex aerario  
aceperant (SUET., Caes., 11).

<sup>c)</sup> Participium futurum activum et praesertim  
adiectivum verbale raro occurunt in ablativo ab-  
soluto. Satius est propositionem adiunctam usur-  
pare.

O quam facile erat orbis imperium occupare, aut mihi, *Romanis militibus*, aut, *me rege*, Romanis (FLOR., I, 18).

<sup>20</sup> nomina adiectiva; <sup>1</sup> v. g.:

Romani, *Hannibale vivo*, nunquam se sine insidiis futuros arbitrabantur (CORN. NEP., *Hann.*, 12).

Emere ad meliorem vitam, *propitio Deo* (SEN., *Ep.*, 22).

*Parvis adhuc Romanis rebus*, quanta tamen in re militari virtus erat! (EUTROP., 2, 6).

IV. – Quaedam participia perfecti passivi interdum sola ponuntur in ablativo absoluto, et locum tenent coniunctionis cum tempore finito verbi passivi impersonalis; <sup>2</sup> v. g.:

Alexander, *audito* (= quum auditum esset) Darium movisse ab Ecbatanis, fugientem insequi pergit (QUINT. CURT., V, 13).

Ad Pluinnam est progressus, nondum *comperto* quam regionem hostes petissent (TIT. LIV., XXXI, 39).

Versatur in animo meo cogitatio tuendi consulatus, quae quum omnibus est difficilis et magna ratio, tum mihi praeter ceteros, cui, *errato*, nulla venia; recte *facto*, exigua laus et ab invitis expressa proponitur (CIC., *De Leg. agrar.*, 2, 2).

Eadem ratione usurpantur aliquando etiam adiectiva; v. g.:

Priverni, *sereno* per diem totum, rubrum solem fuisse nuntiabatur (TIT. LIV., XXXIII, 12).

<sup>1</sup> Sic dicimus; v. g.: *Invita Minerva; aspera hieme; sereno caelo; te ignaro; illis consciis...* etc...

<sup>2</sup> Sic legimus; v. g.: *desperato, edicto, explorato, nuntiato. — Auspicato, consulto, directo, festinato, improviso, inopinato, iterato, merito, sortito.* Sunt etiam huiusmodi ablativi absoluti, sed transierunt in adverbia.

Multi adnantes navibus, *incerto* prae tenebris quid peterent aut vitarent, foede interierunt (TIT. LIV., XXXIII, 36).

(*Ad proximum numerum*)

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

## EPISTOLARUM COMMERCIIUM

### De renovando apud omnes gentes linguae Latinae usu.

SOCIETAS LINGuae LATInAE USUI INTERNATIONALI ADAPTANDAE « Almae Romae »  
Moderatoribus s. d. p.

Gratum hoc nobis officium existimamus Vos de Societate nostra certiores facere atque commercium Vobiscum appetere.

« Societas Linguae Latinae usui internationali adaptandae », quae anno 1933 Thaddaeo Zieliński prof. praeside Varsoviae constituta est, linguam universalem populis cultis necessariam putat. Sunt tamen diligendae nec populorum ullorum qui nunc sunt linguae aemulationis causa, nec linguae arte factae utpote cultum nullius gentis exprimentes, itaque ab omni cultu et humanitate alienae. Lingua Latina restat, quae internationalis usque ad xviii saeculum vigebat quamque in illam pristinam dignitatem restituere conatur. Consilia nostra imprimis inter Polonus facile propagantur, quorum animi omnibus temporibus humanitate Romae antiquae imbuti erant.

Sed externarum quoque gentium societas, non sunt nobis neglegendae, quae eundem finem appetunt. Institutum Studiorum Romanorum dico et Societatem Latinam Monacensem et Umfiam Parisinam (*Union Médicale Franco-Ibéro-Américaine*), quae usum propagat lin-

guae Latinae ut scientiarum linguae internationalis, atque glossarium vocabulorum Latinorum medicinae pharmaciaeque edit.

Iam cum Ministerio Rei Scholasticae nostro egimus, ut in linguae Latinae institutione naturae eius, ut linguae etiam nunc vivae, ratio haberetur. Quod factum est, ut in gymnasiorum Polonorum programmatibus colloquia Latine inter magistrum discipulosque facienda praescriberentur.

Tum nobis auctoribus scholastici nonnullorum gymnasiorum Varsoviensium epistolarum Latinarum commercium cum sodalibus externarum gentium faciunt.

Imprimis maximi momenti esse putamus commissionem philologorum internationalem constitui, quae linguae Latinae glossarium ad usum horum novorum temporum componat.

Propositiones nostrae, quas auctoritatibus internationalibus (*Ligae Nationum eiusque Commissioni Mutuae Operae Intellectuali*) subiecturi sumus, eo tendent, ut linguae Latinae usus internationalis ante omnia in rebus ad cultum communem pertinentibus agnoscat, id est in scientiis, artibus, ratione civili.

De quibus omnibus, quae agamus, si in « Alma Roma » lectores vestros certiores facere velitis, magnam gratiam Vobis habeamus. Imprimis autem a Vobis petimus, ut egregii « praeconii Latinitatis » Vestri fasciculos nobis constanter mittatis... Omnia bona Vobis precamur summaque reverentia permanemus.

Pro Praeside  
IGNATIUS WIENIEWSKI  
Secretarius.

Sapiens non metu frangitur, non potestate mutatur, non extollitur prosperis, non tristibus mergitur.

S. AMBROSIUS.

## SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

### A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE

#### LATINE VULGATAE

##### NOTITIAE.

###### DE ISOTOPIS.

In literis ad commentarium *Nature* missis Aston dr. novissima retulit a se obtenta in isotopis statuendis.

Calcium, praeter isotopos 40 et 44 iam notos, continet etiam, quamvis rariores, isotopos 42 et 43. Forte habet etiam 41, sed inevitabilis praesentia potassium prohibet quominus accurate definitiatur et libretur.

Titanium, cuius analyses usque incertos habuerant exitus, certum nunc et definitum massae spectrum dedit, cuius intensior linea ad 48 pertinet, quam alii levioribus 46, 47, 49, 50 symmetrice dispositis comitantur.

Et sic, omnia elementa a numero atomo 9 ad 56 cognita sunt.

Inter graviora elementa Hafnium spectrum habet 5 isotopos includens: 176, 177, 178, 179 et 180, quorum primus debilior, alii intensiores.

Rhodium non praebet nisi lineam 103.

Samarium, iterum ad analysis subiectum, duos debiles isotopos 144 et 150 continere ostendit.

Thorium simplex appetet, cum massa 232.

###### DE MASSA NEUTRONIS.

Ex recentioribus mensuris a I. Curie et F. Joliot peractis in *Institut du Radium* Parisiis, massa neutronis, deducta ex disintegratione bori, aluminii, et magnesii, sub proiecione helii expenditur per 1.0098, 1.0092, 1.0089.

Primus istorum valor accuratior et videri censendus quam alii; nam pro aluminio et magnesio energiae valores

non sunt tam accurate cogniti quam pro boro.

Attamen ex iis quae deduci possunt ex consideratione stabilitatis nuclei berillii, videtur minimum quod assignandum sit pro massa neutronis esse 1.0107.

Error vero admittendus in mensura berillii bene esse potest 0.001.

Hinc Auctores censem valorem assignandum pro massa neutronis esse 1.010, cuius error probabilis non excedat 0.0005.

#### NOTITIUNCULAE.

Rev. Dom. Professor G. H. Lemaitre ex Universitate Lovaniensi, cuius bene notae sunt cogitationes cosmologicae de expansione universi, donatus est praemio duabus ante annis a Francqui constituto pro Belgicis qui, per scientiam, patriam suam condecorant, et quod ad quingenta millia « francorum » ascendit.

Ad construendum speculum reflectoris, cuius diameter erit quinque metrum, adhibitae sunt viginti amphorae substantiae vitreae, h. e. viginti millia kilogrammatum.

Quamvis in fusura aliquod inconveniens intervenerit, tamen exitus fusurae satisfecit, et nunc per aliquot menses substantia sibi ipsi relinquitur, ut refrigeretur.

#### NOTIFICATIO.

Pontifícia Academia Scientiarum « Novi Lyncae » biennale praemium decem milium libellarum italicarum, quod nomine celsissimi Sodalis sui Pii Papae XI feliciter regnantis exornatur, proximo anno academico adiudicabit. Hoc praemio donabitur opus novum et notabilis momenti *de geophysicarum perinvestigationum utilitate*, quod prae ceteris quae proponentur dignum iudicabitur. Quo themate Academia eo spectat, ut disceptetur utilitas methodorum geophysicarum in perscrutatione subterranearum regionum.

Ad hoc certamen invitantur docti viri cuiuslibet Gentis hac lege, ut opera gallico vel italicico vel latino idiomate exarata, nondum edita et quinque exemplaribus « dactylographice » transcripta, ad Pontificiam Academiam Scientiarum ante Kal. Nov. a. MCMXXXV mittantur.<sup>1</sup>

Nulli vero ex Pontificiae Academiae Scientiarum Sodalibus Ordinariis, sive Romae commorantibus sive alibi incolentibus, praemium adiudicari poterit.

Auctoribus fit facultas apponendi nomina sua scriptis, vel dictum aliquod aut signum, quod repetendum erit super involucro, nomen auctoris continente sub sigillo.

Iudicium de certamine fiet a Coetu ab Academia ad id constituto; praemium autem victori tradetur per Summum Pontificem in solemni primo Academiae Conventu proximi Anni Academicici, qui locum habebit mense Decembri vertentis anni.

## COLLOQUIA LATINA<sup>2</sup>

### XII.

#### Elementorum conformatio.

IOANNES, EUSTACHIUS.

IOANNES. — O scitissimum archetypum! o speciosissimas literas! o illecebras! Divina, quod aiunt, virgula adeptus es hanc elegantiam. Sed unde?

EUSTACHIUS. — Meus germanus patris iussu manu sua mihi confecit.

IOAN. — Ubi porto ipse didicit ductus hosce bellissimos?

<sup>1</sup> Inscriptio italica: *Pontifica Accademia delle Scienze Nuovi Lincei*. — Città del Vaticano.

<sup>2</sup> Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Pro gymnasista latinitatis*, — Passim retractavit, ho-dernisque moribus aptavit I. F.

EUST. — Semper huius artificii studiosus fuit et in quemdam magistrum anno proximo superiore incidit, qui latinas, graecas, germanicas pingebat excellentissime.

IOAN. — Exemplar et prototypum quodam mihi quoque datum est muneri ab amico; verum prae tuo sordet. En.

EUST. — Quare contemnis? Si ad istum modum ac formam effinxeris elementa, ut in hac papyro tua effecta conspiciuntur, iudicabo te oleum non perdisse.

IOAN. — Atqui optima imitandi cupido assidue versat animum meum.

EUST. — Atqui hic non quaeritur optimum.

IOAN. — Laudatur tamen.

EUST. — Non nego.

IOAN. — Ostende mihi tuam manum.

EUST. — Ecce.

IOAN. — Quasdam formas propemodum perfecte, quasdam non assequeris, quod pace dixerim tua.

EUST. — Paullatim et consuetudine imitandi assequar.

IOAN. — Proh! quam decentia f, quam decora p, q, et omnes denique caudatas literas facit ille frater tuus!

EUST. — Quid notas grandiores? Nonne amas?

IOAN. — Mirifice.

EUST. — Aspice A, vide D et M, tamquam si ex typis aeneis in chartam essent impressae.

IOAN. — Ipsa vero quae alphabeto subiecta est scriptura, quam ad lineam rectam sine linea directis versibus! Quam aequalibus sursum ac deorsum elementis! Unum te volo.

EUST. — Vel decem.

IOAN. — Nonne tibi praecepta dat pingendi, et lapsus corrigit?

EUST. — Certe; et nonnunquam, sua manu meam tenentem, calamum comprehendit, atque alienis digitis pingit, ut ego tractibus literarum hac ratione asuescam.

IOAN. — Inires a me non vulgarem gratiā, si exemplum a fratre mihi curares.

EUST. — Difficulter inducam. Nihilominus quoniam te tanto studio pulchre pingendorum characterum ardere animadverto, curabo ut voti compos fias.

IOAN. — Quotnam intra dies polliceris daturum in manus?

EUST. — Intra quartum.

IOAN. — Perlubenter gratissimum hoc donum tamdiu exspectabo, cogitaboque interim quo te honorario remunerer.

EUST. — Sic utique habeto, me gratuito hoc operis non esse facturum.

## ANNALES

### Foedus Gallos inter atque Italos sanctum.

Faustis quidem de pace auspiciis initus est annus MCMXXXV; primis enim eius diebus Romae simul convenere Italicorum rerum supremus gestor Mussolini atque Laval, Gallorum ad exteris administer, ut opinionis erroribus perpurgatis, qui tamdiu alteram ab altera civitate dividebant, non mutuas tantum rationes comparent, sed universae Europae paci concordi animo prospicerent. Sanctum inde foedus est die vii mensis Januarii, per quod firmati sunt Africi fines inter italicam Libyam finitimasque Gallorum colonias; itemque inter Erithraeam sinusque Somalorum gallicum, in usum sic tandem adhibita pactionis illius Londinensis, ex pleto recenti immanni bello initiae, parte, quae ius latioris territorii in Africa Italies tribuebat. Praeterea conventio Tunesiae late prorogata est tum circa Italorum scholas civitatisque sua tutelam in illa regione, tum circa quaestiones alias in eadem conventione dispositas; denique

actio communis constituta in Europae centrum ad Danuvium flumen, qua et Austriae libertas defenderetur et conamen quodvis contra integratatem territorii rei que civilis singularum civitatum contrahentium oppugnaretur. Capita quoque inducta sunt de duarum nationum propriarumque coloniarum re oeconomica, deque bellicis apparatis; uno verbo, de pluribus rationibus, quibus vetus Gallos inter et Italos amicitia amplissime restitueretur.

Facile coniectui est quam libenter ubique terrarum huiusmodi foederis nuncium acceptum fuerit; neque minus quod praefatus Gallicus minister Laval illis ipsis diebus Summum Pontificem inviserit, postquam septuaginta per annos circiter a nullo exterarum rerum Gallico administro id factum minime fuerit: inde enim confirmatum est et officia inter Apostolicam Sedem Gallicamque rempublicam optime restituta fuisse.

Hosce conventus alter magni pariter momenti sequitur inter Gallos Anglosque administratos, cui hac ipsa die pridie kal. Februarias initium fit.

#### Nationis Societas - Sarrense populiscitum.

Quum Sarrense populiscitum, ut omnes facile praevidebant, favorable omnino Germaniae cessisset, Societatis Nationum supremum concilium, Genevae congregatum, die xvii huius mens. Ianuarii MCMXXXV, territorium illud Germaniae addixit, quae proximis kal. Martii illud suum iterum reapse faciet. In oratione quam Hitlerus, Germanorum Praeses, ad rem habuit, declaravit Germanorum civitatem nihil iam a Gallia ultra repetendum habere; quod veluti confirmans de pace signum vulgo habitum est. Fxit Deus!

#### Aethiopum provocaciones.

Post Aethiopum in Italos provocations, de quibus in superiore hac recensione nostra loquuti sumus, en aliae in Gallos fiunt. Gallicae enim rei publicae illic procurator, cum duodevinti militibus atque octo supra octoginta Somalis, foede interficitur in Somaliae gallicae territorio, ab Abyssinorum manu, Gallicos fines praetergressa. Non igitur mirum si ad fines suos ab huiusmodi excursionibus tuendos tum Itali tum Galli copias illuc mittere coacti erunt. Sunt autem et qui quaerit utrum illius adhuc barbari generis populi digni sint qui Societatem Nationum participant.

O utinam via inveniatur, quae ad discrimen sine sanguinis ulteriori effusione componendum adducat!

\*\*

#### Inter Iaponiam et Sinarum rempublicam.

Iaponensium et Mandchourianarum copiarum terminorum excessiones inter Sinarum provincias Ciahar et Jehol congressionibus locum dedere; hinc nova inter Iaponenses et Sinarum administratos inita colloquia Nanchino in urbe, quae fundamento esse poterunt ut rationes omnes civiles, oeconomicae, nummariae in examen revocentur, atque tandem aliquando definiantur.

POPICOLA.

*Non facit nobilem atrium plenum famosis imaginibus: nemo in nostram gloriam vixit, nec quod ante nos fuit nostrum est: animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione supra fortunam licet surgere.*

SENECA.

#### VARIA

#### Crescit Roma Albae ruinis...<sup>1</sup>

« Crescit interea Roma Albae ruinis » inquit Livius. Nam qui potentem urbem quampiam efficere vult aptamque ad imperium occupandum, in id unum debet incumbere, ut eam magno civium numero repleat, sine qua re nunquam ad fastigium aliquid pervenire poterit. Idipsum duobus modis praestabit, quorum unus facilis et gratus, alter violentus esse videtur. Primus est, si aditum pateficerit omnibus peregrinis, ut tuto in urbem tuam commigrare, et illic habitare et ausint, et libenter velint. Violentus alter est, si vicinas urbes destruxeris. Ita enim compelles earum incolas in tuam urbem commigrare. Utrumque modum observarunt Romani; quamobrem tam cito crevit Respublica, ut, sexto illorum rege imperante, octoginta millia civium illic habitarent, qui ad arma ferenda apti essent. Violentus ille modus similis est ei, quo agricolae in excolendis arboribus utuntur. Nam ut plantae altius consurgent, firmiores fiant atque foecundiores, amputare solent primos ramos et stolones omnes, videlicet ut succus in superiores plantae partes uberior feratur, et planta maior foecundiorque fiat. Necessarium autem esse id in augenda viribus atque imperio Respublica vel Spartanorum et Atheniensium exemplum documentum esse potest: quae urbes etsi munitissimae essent et optimis legibus institutae, non potuere tamen Romanam potentiam adaequare, quamvis Roma minus bene instituta videretur ob tot patrum plebisque conten-

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: « De republica disputationes ex prima decade T. Livii » latine redditum H. BINDI.

tiones. Cuius rei ratio est, quod Roma utrumque modum in augendo civium numero servans, potuit ex suis civibus ingentem exercitum producere. Athenienses et Spartani contrariam viam ingressi, nunquam potuere plus, quam viginti millia civium suorum singuli proferre. Neque enim attribui debet id diversitati situs locorum, solive foecunditati, sed causis iam expositis. Lycurgus enim, Spartanorum legislator, nulla re facilis abrogari posse leges suas existimavit, quam peregrinorum hominum adventu. Itaque omnia in Republica eo direxit, ne civibus suis occasio esset cum exteris hominibus conversandi, aut negotiandi. Ob quas causas ne peregrini reciparentur interdixit, et matrimonia, quae cum exteris contraherentur, prohibuit; denique ne occasio exteris mercatoribus daretur merces suas eo comportandi, mandavit ut moneta ex corio uterentur; quibus omnibus de causis nunquam potuit Spartanorum civium numerus vehementer augeri. Sed quum res humanae, quaecumque aliud artificii continent, naturam imitari debeant, nec fieri possit ut planta tenuis ponderosos ac magnos ramos sustineat, nequaquam existimare debemus, Rempublicam exiguo civium numero constantem posse occupare, aut, si quando occupavit, conservare, urbes maiores et frequentiores, quam ipsa sit. Nam si quando tale quiddam ei contigerit, ex levi aliquo motu rursus omnia perdet, perinde ut tenuis planta, ponderosiores ramos habens, ex levi vento confringitur. Quamobrem Spartani, etsi Graeciae totius imperium occupassent, tam inepti fuerunt ad id conservandum, ut, deficientibus Thebis, reliquae simul civitates omnes defecerint, amissoque universo imperio, perinde affecti erant, ut planta sine ramis. At id Romanis non contigit, quoniam domi plantam habebant firmam, quae validos illos ramos facile sustineret. Haec praincipia causa fuit ma-

gnitudinis Romani imperii, quam Livius, ut diximus, praeclare expressit, inquiens: « Crescit interea Roma Albae ruinis ».

\* \*

**Piscator.**

In fluvio Piscator quidam retibus expensis captabat pisces; tum, ad fustem lapide alligato, aquam feriens et limum turbans, quae pellucidum erat illis adimebat, ut temere fugientes pisces retibus implicarentur. Hoc alius, qui prope eum fluvium habitabat, fieri, et puras aquas inquinari moleste ferebat. Tum Piscator: — Nisi — inquit — aquae commotae turbidae redundantur, mihi fame pereundum sit.

Fabula est de turbulentis hominibus, qui quum in pace nihil bona spei inventant, ad commovendum statum et tranquillitatem rei publicae incumbunt.

\* \*

**Pro iudicibus mensarum elegantibus.****ESCARUM ORDO:**

*Pasta tubulata lycopersici suco Neapolitanorum more condita.*

*Tomacula suilla.**Brassicae romanae in acetum immersae.*

*Pectora gallinacea in fasciolas secta, cum solani tuberibus per cibrum actis.*

*Cremum malo aureo saporatum.*

\* \*

**Iocosa.***Tuccius in schola.*

Condiscipulus Magistro: — Ehi mihi! Tuccius colaphum mihi impegit!

*TUCCIUS.* — Neutquam verum est!

CONDISCIPULUS. — Non verum dicis, impudens?

*TUCCIUS.* — Taceas, ni velis ut alapam alteri genae tibi ducam!

**Magister TUCCIO:**

— « Optimus » cuius vocis est superlativus gradus?

TUCCIUS prompte: — « Septimi »!

\* \*

**Aenigmata.**

I

Sume duas voces: timidam notat una va-

[gamque

Bestiolam, murmur quam fugat exiguum.

Altera vox ordo est, mortali non violandus,

Qui multat sonentes, innocuosque tegit.

Primae, retrorsum versae, subiunge secun-

[dam:

Quo conclave tuum condecoretur habes.

II

Quinque notas habes: per saltus prataque

[curro,

Cum strepitu volvens irrequietus aquas.

Cum prima mutat verbi nota tertia sedem?

Me fuge, nam pestem perniciemque fero.

Aenigmata in superiore fasciculo propo-

sita his respondent: 1) *Vesta-lis*: 2) *Aspis*.**Libri recens dono accepti.***ARNOBI Adversus nationes libri VII.*

Recensuit C. MARCHESI (Ex aedibus Io. Bapt. Paraviae et Soc., Aug. Taurinorum - Mediolani - Florentiae - Romae - Neapol - Panormi, 1935). - Ven. lib. 28.

*Liviola*, I. B. BELLISSIMAE fabella (Senis ex Bernardiniana officina typographica, a. MCMXXXIV).

I. FAVARO, studiorum in R. Universitate Mutinensi anatomies normalis Profess. Ordin. — *De processibus haemalibus ossis coccygis hominis animadversio anatomica* (Iena, 1934).

**DE ROBERTI SCOTTI**

[33]

**NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO**

Notat item iam duobus igitur abesse diurnis itineribus ab Amphoraria Cella. Deponere se theodolitum, cameram, Oatis saccos dormitorios, et quae Wilson voluisse adduci exempla lapidum et commentarios suos aut apud se aut in trahea inventum iri. XV. kal. scribit trigore sibi ustum dextrum pedem et se stulte liquefacto pemmicano<sup>1</sup> miscuisse *curry-powder*,<sup>2</sup> quo cibo adfectum esse ut tota nocte nihil dormiret.

Satis valere unum adhuc Bowers. « Socii aut putant aut putare se simulant — inquit — nos evasuros esse quoquo modo in tutum. Authepsam dimidiam implevimus, postea aliquantulum restat spiritus, deinde necabimur siti ». A. d. XII. kal. Apr. dicit Wilsonem et Bowers ad Cellam Amphorariam, quae chilometris abesset viginti, ire velle petentes ignaria. A. d. X. Kal. vero scripsit breviter sic: « Nullo temporis puncto cessante procella duo socii non potuerunt abire. « Cras — inquit, — si quid adhuc facultatis est, cras necesse est ostendatur. Oleum iam nullum est, alimenta suppeditunt in diem aut summum in biduum. Finis adest. Constituimus naturalem opere mortem: cum rebus nostris vel sine rebus profecti corruemus in via ».

A. d. IV. kal. Aprilis confirmat ex a. d. XII. kal. continuas furere procellas,

<sup>1</sup> *Pemmicanum* Indorum nomine dicuntur placenta factae ex siccatis et in *putverem tritis* carnibus, immixta adipe.

<sup>2</sup> *Currypowder* vel *Ragoutpulver* condimentum est rizae vel carnis mixtum ex coriandro, zingibere, cumino, curcuma, pipere albo et Hispanico, sinapi.

cotidie se fuisse ituros ad Cellam, sed ante tentorium misceri turbines nivium. « Non credo, — inquit, — rerum futuram esse mutationem, sed etiam extrema durabimus. Attenuamur autem et mortem cernimus propinquare. Tristissima res est, sed non credo me deinceps valitum ad scribendum R. Scott ».

Postrema commentariorum verba addidit haec: « Per Deum obsecramus, eorum suscipite curam, qui nobis sunt superstites ».

Quod postremis diebus spem erigebant venturos auxilio socios cum canibus, revera, sicut Scottus praescripserat, Dimitri et Cherry-Garrard a. d. IV Nonas Mart. anno 1912 pervenerant ad Amphorarium Cellam. Ibi retenti sunt procellis quadratum et frigoribus; nam singulis diebus ante solis occasum hydrargyrum thermometri infra quadragesimum descendit gradum. Frigoribus etiam canes vehementer afflictabantur, quos ipse Scottus severe praeceperat esse servandos. Itaque quum nulla ostenderetur ad procedendum versus polum facultas, Cherry-Garrard, quod faciendum erat, fecit: ad Cellam Amphorariam expectatis tot diebus, ut canum pabulum restaret dierum octo, post eos dies reposito penore, quantum quinque viris in totum mensem suppeteret a. d. VI Idus Apr. revertit.

Interim « Terra Nova » reverterat cum novo vietu et cum mulis Indicis et cum novis canibus. Nova hiems in hibernaculo transacta est eo fere ordine, quo superiore anno actum erat sub Scotto. Quo die me-

dinis, quam ex Australio ligno fecerat Davies, tignarius, quae diligenter et alte defixa multos annos reservabat memoria quinque illorum, quorum inscripta nomina sunt et honores. Gherry-Garrard inscribendum curaverat « In memoriam », et post nomina: « qui revertentes a polo antarctico mense Martio anno 1912 obierunt.

Quaerentes invenerunt - pugnantes non cesserunt ».

Longe signum in Rossi glaciem prospicit.

Et opere perfecto spatio bidui Terra Nova cursum tenuit versus septentriones ad occidentalem oram sinus Murdonii, ad portum graniti; postea ad illam speluncam niveam omni carcere foediorem, ubi Campbell cum suis hiemem agere coactus erat. A. d. IV. Idus Febr. Terra nova attigit Oamaru, parvum Neoselandiae portum. Pennell et Atkinson egressi in terram telegraphicos mandaverunt nuntios ad *Central News* ad « communem sedem rerum novarum per orbem divulgandarum ». Pridie Idus Febr. appulerunt in Lytteltonensi portu demissis vexillis. Milia hominum confluxerant salutantes et suum testantes dolorem. Quae doloris significaciones ex omnibus mundi cultioris partibus per complures dies continuos allatae sunt. Terra autem Nova III. Idus Mart. ex illo egressa portu, postridie Idus Iun. anni 1913, ipso anniversario profectionis die tertio, pervenit in Britannicum portum Cardiff.

Habes optime lector, quae ex commentariis Scotti, ut polarem illam molitionem cognosceres, iudicaveram licere decerpsti. Quodsi tu tibi nunc videris detexisse languidum quoddam et inornatum tantisque laboribus minus accommodatum narrandi genus, non tu rem detexisti novam, verum quam ego dudum planeque senserim. Sed si vel ex languidis meis desiderare coepisti rem diligentiore cognitione dignis-

simam, vel ut editionem Anglice scriptam, ut emas, sim auctor: ab John Murray, *London W 1, 50 Albemarle Street*. vel, si mavis eleganter Germanice, ab F. A. Brockhaus, *Leipzig C. I. Querstr. 16.* - Quibus ex libris cognosces etiam, quae ceteris Scotti sociis fuerint proposita, quibus illi laboribus et aerumnis se ipsi exposuerint, ut scientiae naturalium rerum servirent et gloriae patriae suaee. Et speramus quidem tantum eos suscepisse laborem cum Dei summi voluntate, hoc magis, quod in illis regionibus non obliscebantur religionis. Sed mihi scribenti saepe occurserunt illi labores qui pro re Christi in Eskimorum terris et in aliis mundi partibus et suscepti sunt a missionariis nostris et suscipiuntur. Etiam hoc cogitare coepi multos certe reperiri sacerdotes catholicos, qui tali expeditioni libenter associati in antartica continenti per duos vel per tres annos Christiana ministraturi essent mysteria. Pulchrum esse subibat orationem ab ipso Christo, universi herede mundi, discipulis traditam in utroque polo huius terrae globi recitatam esse, et pulchrum fuisse futurum, si in antarctico polo aurea demissa esset nomine Christi in terris vicaria crux, quemadmodum factum tradunt in polo arctico. Postremo: Quam stulti - inquam - sumus, qui a fortibus hominibus incredibiles videntes suscipi labores, exauriri aerumnas, perferri frigora, quibus illi ad polum terrae penetrare et servire velint gloriae Angelorum, ne vigesima quidem laboris parte mercari cupiamus illum caelestem polum perpetuamque Angelorum societatem!


FINIS.

ANDREAS HABERL.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreon.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.



Ann. XXII

Romae, Mense Martio MCMXXXV

Fasc. III

Nuperrime prodit

IOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteras nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

## FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 500 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1000, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium subnotationis an. MCMXXXV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

### AEQANDAENE MULIERES VIRO IN OMNIBUS DISCIPLINIS?

Sine ira et studio rem aggredimur, dum praiejudicialis quaestio suapte exortitur graviore expendenda consilio, stylo exprimenda graviore. Viro daturne mulier aqua, compar, et socia; an minor, et quasi commendata potentiori? Si primum, par pari nihil debet, ergo libera mulier a quavis potestate viri; vir igitur tyrannidem faciet, si mulierem ad labores impulerit, quibus ipse nutriatur ab illa. Sin alterum, honor onere, honore onus tutelae rependendum est; atque ideo mulierem vir, qui caput eius est, enutriet, alet, fovebit, atque tuebitur; nec interest utrum uxor, an mater, soror, an filia, an consanguinea, an ancilla, fuerit: quod mulier sit, unum sufficit. Haec, quasi scholastico acinace usi cominus, edimus. At mulieri tanta dignitas et reverentia est, ut eam prope modum immortalibus aequet diis; quid enim matre augustius, uxore carius, sorore sanctius, avia et amita venerabilius, si Numen in terris exceperis? Iudicabis ergo, lector, desperatissimi philosophi beluinam sententiam, quae mulieres definiebat dimidium humani generis impen-

dio, labore, caede alterius dimidii vivens!... Haec in perniciem familiarum nostra tempora retulerunt? Quisnam aequo animo haec de matre, de uxore, de filiabus, de sororibus suis tolerabit?

Attamen haec omnia reducit, qui aequaliter mulierem in laboribus viro, sive labores huiusmodi ii sint, quibus apud silvestres barbarosque Africæ, Americae et Asiae populos feminae damnantur forma humanae, officio deteriores asellis; sive in intellectu simul atque opere praesumentur, prouti habeantur si mulieres medicæ, artifices, causidicæ, litteratae, et reliquis imbutae disciplinis optentur. Qui mulieres captiosis eruditioñis verbis inebriant, non elevant, sed ad iugum et servitatem inducunt.

At nobis, qui Christiani sumus, qui Evangelio attendimus, quasi lucernæ ardenti in caliginoso loco, melior et certior iudicandi via patet. Iubet enim nos Apostolus mulieri parcere tamquam infirmiori vasculo; iubet Christus in illas obsequium veluti in animas, queis patet caelum, quae nobiscum peregrinantur in terris aeternam felicitatem in caelis aliquando virtutibus adepturae: iubent sacrae litteræ denique memorari illa verba creantis Dei, qui mulierem dum homini condidit (et futura tamen videbat): «Faciamus, — dixit —,

adiutorium viro, illi simile»; simile, inquam, non aequum; longe enim et quam longissime paritas a similitudine distat. Itaque sociam, non parem fecit, auxiliatricem in laboribus ferendis, non aemulam constituit, dixitque homini: «In sudore vultus tui comedes panem», mulieri nihil huiusmodi dixit, atque ideo a durissimis laboribus exemit: unice huic, quod pareret in dolore filios, et viro subiiceretur. Hinc qui mulieri libertatem preeferunt, illi mihi videntur feminae offerre quod antea perdidit, scilicet aequam cum viro societatem et parem; at nescia reverti Numinis vox improbum urget conamen, quippe nec dolores parturientis auferunt, nec praepotentiam viri destruunt, nec paritatem virum, ingenii, mentis, consilii redundunt misellis. Quibus quum haec desint, pronus et quotidianus in servitutem casus, atque hic eo durior et atrocior, quo magis viro erit femina laboribus utilior suis. Si vero, quod experientia probamus, minor quam utilis femina sperato fuerit, rixae, despectus, mala verba, ruinae. Scimus enim mulieres optimas, quantumvis optimas, altaque praeditas mente anima duce, voluntate auxiliantibus atque intellectu, eo potuisse, ut maximum sibi patriaeque suae nomen, et maximas opes ferme in artibus singulis comparaverint.

Age iam; quot habuit Graecia vates eximios? Sexcentos. Dabis pro tot unam Sapphonem quae non Homero, non Pindaro, non Euripidi, non Sophocli, non Aeschylo comparanda est; longissime distat. Vix Alcaeum compar habetur, ac tamen candide confitetur Ovidius non aequare:

*Nec magis Alcaeus, consors patriaeque, lyraeque,  
Laudis habet, quamvis grandius ille sonet.*

Numquid in Latinis Falconiam Probam cum Vergilio, Statio, Lucano, Horatio, Lucretio, Terentio, Claudio comparabit, quae centum et ultra gradibus Si-

donio Apollinari et Prudentio, quin etiam Damaso inferior est? Et nos, qui tot habemus poëtrias italico carmine insignes, numquid hae Allighero, Petrarchae, Areosto, Tasso, Metastasio, Alferio, Montio bellum utile inferent? Qui tot habemus illustres pictura, sculptura, musica feminas, edemus ne nomen ab iis, quod Raphaeli, Bonarrotio, Iulio Romano, Leonardo, Signorelli, Della-Porta, Canovae, Titiano, Fracassino, Murillo, Rygierio, Berninio, et sexcentis post hosce comparetur? Quae-nam ausa est opus, quod a longe saltem sequeretur Paisiellum, Cimarosam, Per-gulensem, Palestrinam, Rossinium, Bellini, Donizettium, Mercadantem, Raimondium, Pacinium, Ponchiellum, Petrellam, Verdium? Si medicos exquisieris annales, vix invenies idoneam docendo in athenaeo aliquo. Dic idem in iure; dic in mathesi et in reliquis. Atque hic ego affirmo ac teneo, quos illae olim suscep-tunt honores, bono iure tenuisse, bono certamine suscepisse, atque illud corde toto detestor, quod invidus Corillae titulis monumentoque adscripsit:

*Gloria parta genis, partaque luminibus.*

Delatores horreo apertos, opertos indices, non minus ac detractores apocriphos. At illud semper exstabat, mulieres in artibus ingenuis, non minus ac litteris, sapien-tioribusque disciplinis, etsi tamquam prodigiales et portentosas habitas, nunquam tam vel mediocres viros aequasse. Quaeso, undenam hoc? Ex instinctu dicam, ex in-dole, ex ipso feminei corporis tempera-mento, quod quidem quanti sit nemo non videt, ex infirmitatibus adventantibus, ex omnibus hisce simul coniunctis, quo fit ut mulier huiusmodi, quae sexus proprii supergraditur vires, tamquam prodigium habeatur, gaudeatque *viris concurre-re virgo*.

Quemadmodum itaque, rari etsi ferantur caeci, muti, claudi, surdi, imbecilles, inter viros, non ideo tales dicimur, pa-

resque imbecillibus, surdis, claudis, mu-tisque caecisque existimamur viri omnes, ita, quamvis insignes in scientia discipli-nisque optimis nonnullae feminae enumera-mentur, ideo minime dicendae erunt omnes aptae ad has artes et disciplinas, nec illis imponendus erit labor, cui delicatissimum corpus saepissime impar est.

Quid ergo dicemus, quasi retia primae huius elucubrationis nostrae trahentes ad navim? Dicemus, quae apparent: liberam esse puellis viam reliquendam; siquae studiis, siquae litteris, sive disciplinis in-dolem, potiantur optato tramite, currant, et feliciter currant. Hoc ominamur; pa-rentes vero sedulo caveant ne delicatulas, ne labori improbo studiorum impares, inconsutas illae, imprudentes, temerarias dent manus, desertae viribus in via moritiae potius, quam regressurae, et re-cessurae magna cum sui ignominia.

G. P.

3º) in ceteris usu receptis dicendi rationibus; v. g.:

*Aes alienum - Pro virili parte - Exspe-ctatione citius - Plus aequo - Terra ma-riique - Ultrō citroque - Ventis remis - Sursum deorsum.*

II. - Quaevis appositio postponitur 1º) nomini proprio; v. g.:

*Lysimachus rex (Cic., Tusc., I, 43).*

*Archias poëta - Dionysius tyrannus - Alexander, rex Macedonum - Pythagoras et Plato, locupletissimi auctores (Cic., De div., II, 58, 19).*

2º) aut magis praecipuo; v. g.; *Philosophia, vitae dux (Cic.).*

Nisi tamen 1º) peculiaris ei vis insit; v. g.: *Vir magno ingenio Lucius (Cic.). Poëta Ennius (Cic.).*

An *Scythes Anacharsis* potuit pro nihilo pecuniam ducere, nostrates philosophi fa-cere idem non potuerunt? (Cic., Tusc., V, 32, 90).

Duas *urbes* potentissimas, Carthaginem atque Numantiam, ab eodem Scipione esse deletas (Cic.). - *Cinna collegae* sui Cn. Octavii praecidi caput iussit (Cic., Tusc., V, 19, 55);

2º) aut usus sit contrarius, praesertim in nominibus, ut aiunt, geographicis et in quibusdam usu receptis dictionibus; v. g.:

*Ludi Floralia - Ludi Megalesia.*

*Cimon in oppido Citio mortuus est (CORN. NEP.).*

*Fluvius Eurotas propter Lacedaemonem fluit (Cic.).*

III. - A vocativis vulgo non incipit oratio; <sup>1</sup> sed nonnullis vocibus, pronomi-

<sup>1</sup> Saltem quum aliquem pacate alloquimur. Verum, in oratione vehementiore, quum compel-lamus, vocativus, initio sententiae ponitur; v. g.: *Tiberine pater*, inquit, te sancte precor (TIT. LIV., II, 10). — *Patres Conscripti*, Micipsa pater meus... (SALL., Iug., 14).

b) Latine vocativus plerumque sine praeeunte

*Populi scito in exsilium erant expulsi (CORN. NEP., Phoc., 2).*

*Tribunus militum (CAES., De bel. gal., III. 5, 2).*

<sup>1</sup> Cf. fasc. sup.

nibus praesertim, iisque imprimis eiusdem personae, hi recte postponuntur; v. g.: *Credo ego vos, iudices, mirari* (Cic., *Pro Rosc. Am.*, I).

*Quod quidem ego, Brute, ex litteris sentiebam* (Cic.).

*Etsi contentus eram, mi Dolabella, tua gloria* (Cic., *Fam.*, IX, 14).

*Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra?* (Cic., *Catil.*, I, 1).

IV. – Pronomen «*quisque*» immediate postponi solet: 1º reflexivis; 1º v. g.:

*Etsi suae quemque fortunae maxime paeniteat* (Cic., *Fam.*, VI, 1).

*Suum quisque noscat ingenium* (Cic., *De Officiis*, I, 31).

*Pro se quisque quod cuperat afferebat* (Cic., *De Officiis*, III, 14).

2º relativis; v. g.:

*Quod cuique obtigit, id quisque teneat* (Cic., *De Offic.*, I, 7).

*Quam quisque norit artem, in hac se exerceat* (Cic., *Tusc.*, I, 18).

3º interrogativo «*quis, quae, quod, quid*» et aliis; v. g.:

*Videndum est quid quisque sentiat* (Cic.).

Praedici posset *quid cuique* eventurum et *quo quisque* fato natus esset (Cic., *De Divin.*, I, 1).

interiectione usurpat, nisi ad exprimendum magnum affectum in vehementi apostrophe aut exclamatio; v. g.: *O tenebrae, o lutum, o sordes, o paterni generis oblita* (Cic., *In Pis.*, 26).

N.B. - Nominativus pro vocativo usurpari potest in exclamatioibus, aut accusativus; v. g.: *O conservandus civis* (Cic., *Phil.*, XI, 18, 37).

1º Attamen *quisque* reflexivo interdum praeponitur; v. g.: *Quanti quisque se ipse facit, tanti fit ab amicis* (Cic., *De Am.*, 16, 56). — *Ut quisque sibi plurimum confidit* (Cic., *De Am.*, 9, 30). — *Quod quisque sua manu ex hoste captum domum retulerit* (Tit. LIV., V, 20, 8). — Id enim maxime quemque decet, quod est *cuiusque* maxime *suum* (Cic., *Off.*, I, 31). — Cf. BERGER, *Stylistique latine*, n. 151, 10º.

*Quotus enim quisque est qui possit...* (Cic., *Att.*, I, 13).

4º superlativis; v. g.:

*Optimus quisque maxime gloria ducitur* (Cic.).

*Ex ceteris philosophis nonne optimus et gravissimus quisque confitetur multa se ignorare?* (Cic., *Tusc.*, XIII, 28).

5º ordinalibus; v. g.:

*Quartus quisque annus est intercalaris.*

*Quinto quoque anno Sicilia tota censetur* (Cic., *Verr.*, II, 5, 56).

V. – Post unam alteramve vocem ponuntur verba «*opinor, credo, inquam (inquit), quaeso*», quae breves propositiones formant, quas «*incidentes*» vocamus; v. g.:

*Vult, credo, gratissimum facere suis.*

*Animus aeger, inquit Ennius, semper errat.*

*Vide, quaeso, satisne rectum sit.*

VI. – Praepositiones generatim casibus suis praeponuntur, idque immediate; v. g.:

*Huiusce rei potestas omnis in vobis sita est* (Cic., *Pro Mur.*, 38).

*De Hispania novi nihil, sed exspectatio valde magna* (Cic., *Fam.*, XI, 17).

*Plus eloquentia circa movendum valet* (Quint., IV, 5).

Postponuntur semper «*versus*» et «*tenus*», uti et substantiva «*instar, opera, causa, gratia, ergo*», quum praepositionum vices agunt; v. g.:

*Lateri capulo tenus abdiditensem* (Verg., *Aen.*, II, 553).<sup>1</sup>

Praepositiones «*ante, contra, inter, propter, circa, penes, ultra*», et monosyllabae «*de, ex, cum, post, in, ob*», quum sub-

<sup>1</sup> Poëtae autem et recentiores historici alias etiam praepositiones substantivis postponunt; v. g.: *Viam propter*.

Tullius tamen scripsit: *Multa facimus causa amicorum* (Cic., *De Am.*, 16); et alia id genus, quae non imitanda.

stantivum regunt instructum adiectivo, participio aut pronomine, frequenter mediae inter utrumque collocantur; v. g.: *Medios inter hostes*.

*Quibus de rebus mihi pro rei dignitate parum dixisse videor* (Cic., *Pro Client.*, 58, 160).<sup>1</sup>

«*Ante, contra, inter et propter*» interdum postponuntur relativo, cui nullum substantivum adiungitur; v. g.:

*Ii quos inter erat.*

*Is quem contra venerat.*

Diem Chabriae praestiterunt, quam ante domum nisi redisset, capit is illum damnaturos denuntiarunt (Corn. Nep., *Chabr.*, 3).<sup>2</sup>

Praepositio «*cum*» postponitur et adnectitur pronominibus personalibus. Relativo autem subiecti potest, non debet; v. g.:

*Vobiscum - Quibuscum vel cum quibus.*<sup>3</sup>

Inter praepositionem et eius casum seu regimen intercedere potest genitivus qui cum praepositionis regimine velut unam notionem efficit; v. g.:

*Inter sociorum iura* (Cic., *Verr.*, I, 33).

*Sextum post cladis annum* (Tac., *Ann.*, I, 62).

*Propter Hispanorum apud quos fuerat consul penurias.*<sup>4</sup>

<sup>1</sup> Sic magis eluet adiectivum quod praepositioni praecedit; v. g.: *Magna ex parte - Summa cum cura.* — *Paucos post menses - Tribus de causis - Qua de causa.*

<sup>2</sup> Item, sed rarius, «*circa, penes, ultra*» - «*De* autem, non nisi in iuris formulis; v. g.: *Quo de agitur* (Cic., *De Inv.*, I, 19, 27).

<sup>3</sup> Cicero scribit «*quocum*», quasi unice quum sermo est de re aut persona determinata, ut dicimus; v. g.: *Avunculo, quocum erat nostra materna* (Cic.). — *Usurpat quicunque quando agitur de persona sive determinata sive indeterminata;* v. g.: *Quidam socius et affinis meus, quicunque mihi necessitudo vetus intercedit* (Cic.). — *Quid dulcius quam habere quicunque omnia audeas sic loqui ut tecum?* (Cic.).

<sup>4</sup> Alius casus etiam raro sic interseritur; v. g.: *In bella gerentibus* (Cic.). — *Adversus hostilia* Sullae victoram. (Cf. BERGER, p. 314).

Rarius praepositio intercedit inter genitivum et nomen a quo regitur ille genitivus, nisi tamen genitivus sit pronomen relativum aut demonstrativum; v. g.:

*Quorum de virtutibus.*

(*Ad proximum numerum*)

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

## ANIMALIA MIRABILITER DEMIGRANTIA

Neminem credimus latere posse qua causa plurimorum animalium de loco in locum quotannis demigratio fiat, qua causa certo tempore quotannis accidat, qua sit causa quotannis certo pariter mense redditus. Satis explicasse omnia plerumque videmur, si dixerimus hoc esse ex ineluctabili necessitate cibi, cuius defectu premuntur, urgentur; et quis fami instanti resistat?

Non tamen omnia nitent; subsunt enim pleraque in factis, quae inexplicabilia passim habentur, quum notiones in animalibus indicent, immo sapientiam ostendant, quam homines, etsi consilio, intellectu praediti, longo saeculorum decursu vix adipisci potuerunt. Ut rem ad communia et fere quotidiana feram, in promptu causa est, qua alaudae, motacillae, turdi e montosis in planitiem, expellentibus nivibus, gelu, ventis, descendant mitiore aërem,

ausos (Tit. LIV.). — *Praesidiis* firmando moenia. — In *mihi* invisum locum.

Intercedere potest etiam adverbium; v. g.: *Ad bene beateque vivendum. Ad recte discendas litteras graecas.* — *Praeterea particulae ne, ve, que;* v. g.: *Exque iis - Deve coloniis.* — *Postve ea - Cumque libellis* — ; nisi tamen adiungit praepositiones «*ob, a, ad, apud, sub*»; v. g.: *Ob eamque causam* (Cic., *Acad.*, I, 4, 16). — Identidem coniunctiones «*et ... et; aut ... aut; vel ... vel*»; quandoque ordinantes «*vero, autem, enim*»; v. g.: *Post vero* Sullae victoram. (Cf. BERGER, p. 314).

ciborum copiam quaerentes; at nihil ex hisce dabit quod conveniens existimari hirundinibus et coturnicibus possit, quorum demigrationes indicant inesse iis commune consilium, astronomicam et geographicam scientiam, leges denique, quibus regantur, congregentur, deducantur ad transmarinas regiones, quas pleraque ex illis nondum viderunt, quippe ortae in regionibus nostris aestate nupera. Quis convocavit ad litora maris? Quis monuit ne, adversis ingruentibus ventis, iter suscipiant? Quis ut in ripis morentur, donec non modo propitia sint viaturis aurae, et secundo flamme vehantur, sed harum tamdiu perseveret halitus, quamdiu sufficiat ut optata terra potiantur? Et quis ita moderatur abeuntes, ne aberrent a proposita meta, dum subter, circa, nihil apparel praeter immensos et uniformes caeli marrisque tractus, idque interdiu, idque noctu? Numquid siderum adspectum, vicesque norunt?

Haec instinctu fieri dicimus, qui pars quaedam aeternae Providentiae est, qua, etsi minima, servantur, diriguntur, qua in numero, pondere et mensura singula disponuntur et omnia. Sed nonnullis placuit amovere Deum, et sine ipso adstruere, quae mira contigunt. Quem in laborem, audacem quidem, Darwin et Wallace incubentes eo devenerunt, ut adstruerent migrationes huiusmodi ab animantibus iam inde fuisse susceptas, quando sensim et pedetentim de die in diem a rigidioribus in mites temperatasque descendebant; retro vestigia rerum referrent, ubi, veris adventu et aestatis, minus aestuosa, quae iampridem liquerant, loca requirent. Sic quae Apennina iuga incolebant aves, autumno veniente caepita sunt linqui, Apuliae et utriusque Campaniae coepitae sunt frequentari planities; hieme autem altius et vehementius urgente, quae nunc sunt sub Tyrrheno mari et Siculo, et Ionio, tunc nondum pelago obruta loca, habi-

tabant, et Africam usque tepidiorem petebant.

Ita millennis actum; assuetumque migrationibus huiusmodi genus omne. At ubi ex Gaditano freto irrupt Oceanus, dehiscentibus terris, quae inter Mauritaniam, Hispaniam, Libyam et Italiam sunt, ubi

*Piscium summa genus haesit ulmo,  
Nota quae sedes fuerat columbis,  
Et superiecto pavidae natarunt  
Æquore damae,*

*Omne dum Proteus pecus egit altos  
Visere montes;*

quum assuetae migrationibus terrestribus volucres loco terrarum undas invenissent, pennis credidere sese, et longe separatam undis recentibus Africam quaeviserunt. Eadem circa redditum gesta sunt; atque ita migrationes huiusmodi non sapientia servatoris Numinis, non praelucente instinctu, sed casu obvenerunt; dein usu et habitu, quasi naturali quadam lege constituta, steterunt, atque migrationis annuae leges singulas avium species, olim tantummodo errabundas, vinxerunt.

Quidquid fuerit, miror hosce viros illa vidisse, quae tot saeculorum millibus antea acciderunt, illa scivisse, quae monumentis nemo tradidit, quae nemo scivit ante eos; at graviori haec opto firmata argumento. Non enim me movet gratuita hypothesis, quem unice, quoniam de factis agitur, evidencia facti moveret.

At si quid concedi posset hisce migrantibus ut viverent, quid concedere possumus quum nunc agatur de migrantibus ut pereant? Esto quod illae atavarum atavae volucres primum demigrarint, ut pascerent in uberioribus tepidioribusque regionibus; esto quod migrantes et ultrius abiturae, quoniam mare erat ubi olim nota et hospita tellus, arbitratae non esse mare sed flumen, sese alis crediderint et migraverint primum, dein opportuna tem-

pestate redierint; esto quod vivae natos de migratione docuerint; quid, quaeso, est quod sint aliae migrationes, e quibus nemo redit retrorsum, quia morte operiuntur eunes, atque idcirco neminem de ineunda migratione monere possunt? Ac tamen migrationes huiusmodi sunt, eaeque nec rarae, nec insolite; quid si dixerit nec incertas, nec anticipites, sed quasi plus minusve certo tempore et, cometarum quasi lege quadam, redeuntes?

Nomina facimus, resque adducimus satis cognitas, quippe in Norvegia accidunt, ubi modo triennio, modo quadriennio, fit agmen rodentium animalium, quae decumanos sorices ferme corporis mole aequant, et proprio locorum nomine vocantur *Lemmingh*. Hi a Scandinavis Alpibus in Atlanticum Oceanum pergunt recto itinere, atque, ubi stetere ad litora maris, ultra natatu aequora tentant. Visne scire multitudinem innumerabilem? Collettus auctor est, qui testatur se anno MDCCCLXVIII quindecim horas integras navigasse in Oceano turba Lemmingh horum undique circumfusus; atqui navis erat velox cursu, neque segnius procedebat in illum natantium populum, e quo nec unus quidem superfuit; nam aut fame, aut defatigatione, aut undarum aestu, aut omnibus hisce simul pereundum singulis fuit. Referamne quod Collettus adstruit dicens haec fieri, quia olim, ubi nunc est Oceanus, illic montes terrarumque tractus fuisserent? Fateor Lemmingh uti geographia nimium obsoleta, quae ad minimum sex annorum millibus antiquior sit. Romanes autem retur ista fieri, quia Lemmingh fallit Oceanus; nam hunc non nisi fluvium, instar eorum, quos peracto itinere transeunt, esse arbitrantur. Miror et hunc, cui peritura illa agmina opiniones suas crediderunt; agmina inquam ab Alpibus venientia et maris immensi spatium oculis dominantia. Sed alio maturemus.

Cur desperatae hae gentes conferta

acie in interitum voluntarium ruunt? Si nimis frequens populus, inter se pugnarent pro esca et cavea. Nihil proeliorum; nemo insequitur. Ergo quae causa viae? Latet. Nec minore arcano obvolvitur causa, qua hae coloniae mortis tertio, vel quarto quoque anno aeternum non reditiae mittantur. Qui enim apponet esse propitiā temperiem caeli et soli copiam generationibus quarto quovis anno, et ideo expelli, hic nubes nubibus infuscabit, quum nihil praemanibus illi sit, quo probet quae loquitur. Atque hoc praesertim assurgit ab iis, plura esse quae explicare velimus, nec minora tamen quae explicare nesciamus. Nonne meministis? Multum temporis non defluit, quum in urbe Topeka, quae non ultimum profecto inter oppida americanae regionis Texas est, tanta fuit repente papilionum, quibus nomen *Anoxia Plexippus*, copia, ut nemini licet per aperta sub dio versari, ut vaporitrahæ et currus quominus procederent prohiberentur; nam sulcos rotarum ita impleverant, ita cumulaverant, ut, iis oppletis, rotae libere vagarentur. Quod pariter paucis ante annis factum est in Nebraska ad Unadillam, ubi dum idem terris contingit, alia agmina in legiones coacta et exercitus atris quasi nubibus et solum opacabant, et caelum diemque simul auferebant ex oculis incolarum, lentoque volatu in meridiem pertinebant. In urbem Lincoln anno 1890, advesperascente die, tot *hydrophili*, coleopterorum genus, repente adventarunt, tantoque impetu ferebantur, ut viatores a via prohiberent, et quasi grandinis nimbus in vitra fenestrarum, in facies, in portas irruerent sonanti crepitum, lucemque electridis in vias obruerent. Vieper in Iava insula, in Sumatra, quinimo et apud Celebem, papilionum agmina, qui *Catopsilia Crocales* nominantur, vidiisse refert, radentia ferme solum, et vallium sinus, collumque ardua aequa semper ala sequentia. Cohors ex



hisce, stricta, conferta, non tamen quinque latior metris, talis attamen ut ferme tristes perpetua videretur, apparuit mirabilis visu insigni foeminae De Meuron Wolff in Helveticis: in pago ad Vaud super oppidum Grandson: lente abibat; duas tamen horas in abeundo a meridie in septentriones consumpsit. Quinimo Ficalbius doctor animadvertisit in mari latos huius tractus et spatia cadaveribus papilionum obiecta e specie illa, quae *Vanesia Cardi* appellatur. Atque iis, qui matutini surgunt, interdum contingit exercitus ex hisce respicere, quae a litore volant quasi transmarinas pterent regiones; devota proculdubio morti acies in fluctibus.

Ecquis igitur, et undenam impetus, quo haec animalia adiunguntur? Darwin ipse fatetur minime explicari posse deficientia cibi, necessitate quaerendi alio liberam regionem, et per sexcenta similia, praesertim si horum indoles minime migratoria sit, sed domiseda; quinimo quum neque soleant in societate vivere, nec quaerere societatem.

Est autem et alia migratio mirabilis, et haec locustarum, bruchorum. Num de locustis loquar in Libyphoenica apud Tunesim regione? Idem saepe vaporivehis obiex et impedimentum. Num climaces recensem? Etiam ex his conflantur exercitus, etiam ex hisce obtegitur via, etiam hisce iter in interitum.

Sed et scimus, in America praesertim formicarum esse migrationes, flagellum regionis ingens, quae multa chilometrorum milia obtengunt abeentes, vastantes, siccantes omnia, resides, segnoresque incolas, quotquot sint, interfactae, voratae, donec aut mare inveniant, aut immensa illa fluenta, quibus, dum tranare tentant, rapiuntur, fluctibusque obruntur. Howard auctor est in *Insect Life* miriades blattorum pertinaciter certo die obsedit domum, qua habitatores expulerunt frusta re-

pugnantes pluribus horis, et exterminium in venientia agmina scopis, everruculis, quibusvis poterant argumentis tentantes. Vincebat multitudo vim, ac foedis advenis prope relinquendum erat hospitium, nisi consilium homines adiuvasset. Hi enim igne, cinere ardent, prunis obiicem, quasi aggerem, constituerunt. Quis acarum turpem *Glycephagum cursorem* ignorat, cui vita graveolens est in corruptis? Atqui ex hisce immundis agmen Banfleur oppidum ita occupavit, ut stromata, supellectiles, cibos, armaria, parietes, vivosque homines repente prorsus obtexerint. Sulphureae aspergini, sulphureo pulveri, sulphureo fumo in tantum non cessere in quantum vitam ad ultimum amisere.

Possum addere plura; sed ne longior ac molestus sim, heic finis esto.

P. A.

## VISIONES ROMANAЕ

### NYMPHAEUM.

*Ut prius instituit pagum, valloque quadrato condidit aeternum Romulus imperium, Mercurii et Fauni, Iuturnae, et fonte Lupercae dux gregis incumbens ore trahebat aquas. At septem colles cum Roma amplectitur, Urbis tum crescunt circum moenia tuta novae, quae centum includunt rivos, vallesque silentes, delicias pecudum, deliciasque hominum. Fontibus et domus ornatur, rorantur et agri, atque Deum sacris tempula piantur aquis. Interea fulvum civis sibi congerit aurum, atque auro vitae commoda grata petit. Non armenta boum pecudumque, aut iugera terrae sufficiunt illi; balnea, stagna capit. Marcia tum Roman ducta est, celeberrima aquarum, garrula Pelignis montibus exsiliens. Condita seu currit saxosis ductibus altis, seu fovea occulta defluit unda ruens. Frigida et ardorem lenit, dulcissima et haustu est, munus et hoc Romae creditur esse Dei. Copiam aquae magnus monstrat fons atque de-*

[corus,

*qui nunc in vastis murmurat Exquiliis. In medio, Herculei Tritonis colla lacertis compressus, lympham piscis ad astra iacit, quae caelo attinco spumosa relabitur; altam plurima et in concham fistula portat aquas. Naiades et quatuor resupinum pectus ad auras opponunt, cupidae et frigora amoena bibunt. Seu manibus volucrum depellere pectore lympham tentant, aequoreis seu dominantur equis, seu super extentae stant monstrum, corpus an-*

[lum

*undique desiliens molliter unda lavat. Unda eadem refluit; manet idem in saecula no-*

[men,

*ut magis Urbs crescit, crescit et unda simul. Altera splendidior facies sed fontis in Urbe adstat, quam mirata advena turba videt, restat et obtutu tacito, dein marmore sculptas effigies laudat, monstra marina stupet. Marcia quantum algens, tantum purissima Virgo*

[est,

*lene caput serpit, ductile flumen adest.*

*Errabat quondam Legio sitibunda per aestum quaerens quo posset fonte levare sitem, obvia cum miseris venit, sic fabula, Virgo pastor; Dux illi talia verba refert: Parva gregis custos, pulcherrima virgo, Salonei, oh! quam tu miseris dulce levamen ades! Nobis sola potes venas ostendere aquarum, sic Venus et Pan, te, numina sancta iuvent! Nos sitis excruciat, nostra haeret lingua palato; si cordi pietas est tibi, confer opem.*

*Vix parvas Virgo scatebras ostenderat, illas et plenis galeis, fauce et arente trahunt. Dum virtus animusque redit, tellure refossa occultos latices fluminis inveniunt.*

*Ducitur et Romam novus hic decursus aquarum, undaque Nymphaeum confluit in Trivium. Serpit lene caput, sed nunc est marmore onustus fons, cuius praecens obstrepit unda fluens, quam sitiens bibit indigenus, bibit advena et*

[hospes;

*Virginis assiduas urna ministrat aquas. Cur vastam in concham peregrinus ter iacit as-*

[sem?

*Ut Romam redeat postulat augurium.*

*Cur, pede fallente, in terram si labitur, altos laetosque emitte virgo puella sonos?*

*Nam tunc, fama refert, innuptae sic Hymenaeus annuit optatum flammeo adire torum.*

*Quas alias referam? Felicem seu Sabathinam, quas alias avide florida prata bibunt?*

*Sunt quibus et vires aliquas Natura medelae addit: Sancta, Acris, Claudia, Lancisia.*

*Et velut aeterna unda fluit, sic Roma manebit aeterna, et turba huc undique conveniet*

*usque nova atque eadem; renovant ut flumina fontes, assidue ut primam comprimit unda sequens. Roma aeterna manet, populis aeterna magistra, Fas et Iura colit, Iustitiamque docet.*

Romae.

TITUS BELLATRECCIA.

## MEDICAE NOTAE<sup>1</sup>

### De medicinae ortu, obiecto et fine.

Ne ἀμεθόδως agere videar, usitata hanc tenus et in scholis trita mihi quoque calcanda erit via, atque pauca quaedam de medicinae natalibus dicenda, quo innotescat omnibus, quibus medicina cooperit primordiis, quibus cincta pomoerii, et quomodo habitum suum experimentorum ope nostro hoc tempore institutorum longius nunc extenderit. Et nemo quidem, opinor, inficiabitur, Deum saluber-

<sup>1</sup> Collectione cum superiore anno expleta praceptorum medendi generalium, quae ex adversariis quibusdam manu scriptis, in Romana Casanatensi bibliotheca asservatis, depropromsimus, ne de medicinae argumenta et in posterum in commentario hoc nostro deessent, ac simul ut ostenderemus quam facile, expedite, et etiam eleganter haec per saecula latine, neque in Italia solum, pertractata fuerint, excerpta aliquot ex operibus Iohannis Iacobi Waldschmidt, clarissimi, ineunte saec. XVIII, archistar Hassiaci et Academiae Marpurgensis medicinae et physicae professoris, in nostras paginas revocare constituimus; simulque vocabula plura iam in re adhibita doctis iis offerre, qui nostris diebus in nova artis medicinae lexica conficienda tum Parisiis, tum Romae, ut nunciant, incumbunt. Quin imo, et ad hunc finem, notulas ex parte nostra addemus vocibus iis, quae vel minus propriae nunc nobis visae fuerint, aut latinis iam existentibus suffici valeant. Quum autem, in prolegomenis, quae hodie edimus, Auctori philosophari placeat, notabimus etiam quae, nostro iudicio, reprehendenda, vel, saltem, explicanda in hac provincia occurrant. — A. R.

rimae huius scientiae esse auctorem; is enim est qui percutit et sanat, is est qui facultatem largitur ut appropriata remedia inveniantur, et quum non iisdem in omnibus utatur viis, ea nunc casu dicimus fuisse inventa, nunc intellectu et ingenio excogitata, nunc experientia probata; hinc est quod ipsam medicinam casu, ratione et experientia sumpsisse incrementa vulgo dicant.

Quamvis autem primis temporibus medicina fuerit diaetica et chirurgica, ipsaque chirurgia, non quidem medica seu rationalis, sed practica et empirica caput extollere coepit, quod simplici tunc homines uterentur victu, atque a morbis internis fere immunes viverent, factum tamen est, ut concurrentibus variis causis nunc ex tellure suppeditatis, nunc ab astris transmissis, nunc ex novis ingestis noviter productis, varii quoque orirentur morbi, unde, urgente sic necessitate, coacti fuere homines curas et animum ad interna quoque intendere remedia; id quod primi fecere Aegyptii, quorum caput dicitur Hermes Trismegistus, auctor tabulae smaragdinae, cuius epulas degustare contendunt alchymistae et omnes qui ad mensam hanc accumbere satagunt. Ab his studiis sanitatis translatum est ad Graecos, hisque subactis, ad ipsos Romanos devolvebatur, a quibus tandem in universum fere transit terrarum orbem.

Variae autem variis temporibus fuere sectae, a se invicem tum in explicandis caussis morbificis, tum in medendi methodo distinctae, quarum prima fuit *empirica*, quae quidem inter Aegyptios olim coepit, sed ad hoc usque aevum stetit et contagio suo contaminasse videtur, quum omnis terra eiusmodi alat homines, quorum magna in curandis morbis, quorum caussas tamen ignorant, est praesumptio. Secunda est *dogmatica* seu *rationalis*, in qua principem obtinent locum Hippocrates et Galenus, conatique sunt artem

medicam sub certis quibusdam praeceptis et thematibus complecti, atque in formam systematis redigere: verum quum Galenus erronea et imaginaria fuisse imbutus philosophia, res male huic quidem cessit, ipsaque medicina non parum inde dedecoris et detrimenti passa est, ut vel hodierno tempore prudentioribus tali sub forma adhuc displiceat. Tertia dicitur *methodica*, quae quum Herculis cothurnos puerorum pedibus applicare voluerit, sponte sua cecidit atque penitus expiravit. Quarta est *secta spagyrica, chymica, hermetica*, cuius asseclae adepti filii artis vel alchymistae vocantur, ad quos helmontianos, tachenianos, sylvianos omnesque, qui philosophi per ignem audire malunt, referimus. Quinta est quae de principiis dogmaticorum et chymicorum participans *dogmatico-hermetica* dicitur. Sexta est *dogmatico-mechanica*, quae κατ ἔξοχην *rationalis* vocatur, atque lucem suam ex philosophia Renati Des Cartes, nec non corporulari Gassendi aliorumque recentiorum foeneratur.<sup>1</sup> Ex quo enim haec philosophia caput suum extulit, novum quoque incolis regni medici ortum est sidus, ipsis aegrotantibus certiore spondens salutem. Nam hac ex philosophia habemus quod morborum parentias per suas caussas evidentissime explicemus, quod ipsos morbos denudatos et tenebris evolutos in apricum ducamus: quod oeconomiam animalem per motum et figuram interpretemur, nihilque admittamus, quod non clare et distinete vi principiorum mechanicorum percipere possimus. Et denique quod remediorum vices et operandi modum ad captum omnium describamus.

Difficile equidem est, fateor, ipsam artem medicam ad certum aliquod redi-

<sup>1</sup> Qui quantopere artem medicam reapse iuverint, videant sapientiores. Philosophiam profecto haud multum;... numne potius implicuerunt?

gere systema, quum primo novi subinde oriantur morbi, novus atque insolitus quandoque per aera volitet aether, nova etiam ex ipsa tellure emergant concreta, et insolitis nunc vesci soleamus alimentis; deinde non omnia forte nobis adhuc sint perspecta, quae ad cognitionem corporis humani alimentorum et medicamentorum requiruntur; facit tamen solita illa recentiorum philosophia, ut ipsam quoque medicinam sub certam atque philosophicam vocemus scientiam, atque ex ratione cognoscere adlaboremus, quid humeri nostri possint, quid ferre recusent: hoc est philosophamur in explicandis corporis nostri functionibus, in indagandis caussis morborum eorumdemque phaenomenorum ipsos concomitantium, nec non in determinando quod corpori nostro proficuum, quid noxiū sit, quibus status eius naturalis conservetur, vel labefactatus restituatur; sicque ipsam medicinam pro parte philosophiae agnoscimus, quum eius obiectum, corpus nempe humanum, aequo extensum sit ac reliqua corpora, et pari iure motui et divisioni subiaceat, ut nullam in eo mutationem vel concipere etiam possimus, quae non in motus, figure et situ particularium partes tum solidas, tum fluidas constituentium mutatione consistat.

Definimus autem medicinam, quod sit ars sive scientia integrum corporis humani sive statuae humanae viventis fabricam conservandi, et labefactatam convenientibus alimentis et remediis restituendi.

De vero genere diu disceptatum fuit a medicis; quam controversiam facile exponemus, si dicamus artem et scientiam pro genere ponи posse. Quippe medicina est ars, si chirurgiam species et modum praeparandi medicamina; est etiam scientia dum aequo in ea rerum per caussas cognitionem instituimus ac in aliis scientiis, dum naturam sanguinis ceteraque fluida

per principia philosophica explicamus, ipsasque qualitates rerum omnium ad forum medicum pertinentium ingenii philosophici robore exhaerimus, ut nihil inaccessum aut extra intellectus ambitum possum amplius videatur. Verum quidem est medicinam a recto trahite longissime deflexisse, dum hodierni practici cum veteribus ad experientiam magis attendunt, quam ad rationes, ipsorumque effectum per sensus cognitionem pro fundamento medicinae potius habere volunt, quam rectam rationem. Interim error ille non obstat, quominus intellectus lumine veram atque solidam scientiam medicam acquirere possimus, atque p[ro]ae illis morborum caussas, et remediorum vires per evidentes consequentias explanemus.

Obiectum tum contemplationis, tum applicationis est statua humana vivens, sive corpus humanum vivens, cuius vita et sanitas in elegantissima illa et stupefacta fabrica omnium partium corpus humanum constituentium consistit.

Sunt quibus displicet, quod corpus humanum cum horologio aut alio automato comparemus, quod haec vita sint expertia, illud vero vitale sit a principio vitae interno vitam habens. Enimvero, quid in vitali illo automato praeter motum reperitur, et quas, quae, edit functiones, quas non certos motus rectius vocaveris? Vivere dicitur quia augetur et nutritur; sed anne propterea aliud tibi finges principium vitae, quod non sit materiale et certo modo modificatum; aut quod per motum, figuram et situm non agat? Quae ut clarius percipias, notari velim, duo in homine reperi agenda principia, quorum unum est *substantia cogitans*, alterum *substantia extensa*. Illius vita et esse actuosum consistit in cogitatione; huius vero in extensione certo modo modificata, a qua caloris succique nutricii distributio dependet et anima corporis vocatur, atque in fluidis potissimum, p[ro]ae-

sertim autem in sanguine consistit.<sup>1</sup> Nemo, opinor, ibit inficias, in homine diversi generis operationes reperi, quarum quae-dam soli menti, 'quaedam soli corpori, aliae toti composito attribuuntur. Quae enim citra cogitationes peraguntur, ita ut mens ipsarum plane non sit conscientia, et quamvis cogitationes suas ad illos intendant, nequaquam tamen propterea alacrius eduntur, quales sunt chylificatio, sanguificatio, sanguinis circulatio, caloris dispensatio, succi nutricii assimilatio aliaeque plures, haec ad solum corpus<sup>2</sup> referuntur, et a mechanico dependent principio. Quae vero nihil nisi certum cogitandi modum dicunt, quales sunt velle, nolle, percipere, sentire,<sup>3</sup> etc. proficiscuntur ab anima rationali et ad eam solam referuntur, quum cum motu vel figura nil commune habent. Tandem, quum duae hae substantiae certis sub legibus a Deo sint coniunctae, vel certus motus corporis, et praesertim cerebri eiusque glandulae pinealis sequi debeant certae cogitationes mentis, et vicissim certae cogitationes mentis, et certi motus corporis, homini sive totius compositi vita in mutuo hoc commercio ponitur, mors vero in eiusdem cessatione totali; quapropter eiusdem attributa, quae et cogitationem et motum involvunt utrique principio, diverso tamen respectu attribuuntur; verbi gratia ambulatio omnesque motus arbitrarii.

Ne itaque eiusdem operationes et actiones confundamus, ipsaque quadrata rotundis misceamus, naturas rerum obscu-

<sup>1</sup> Id vero constat esse praeiudicium quorumdam veterum, opinantium animam residere in corde, in renibus, in iecore aliave corporis parte: nemo autem ignorat diffusam eam esse toto corpore, nec tamen dici posse eam corpore contineri; sed potius corpus ea contineri.

<sup>2</sup> Scilicet vivum, idest anima informatum, quae in homine una est, eaque ratione praedita.

<sup>3</sup> Quarum rerum quasdam anima per organa exercet.

rando et suum cuique non attribuendo, ipsum medicinae obiectum per statuam humanam exprimimus, quae varios pro varietate obiectorum eam affluentium ciet motus automaticos, ut non ineleganter machina hydraulico-pneumatica vocari posset.<sup>1</sup> Huius tanta est dignitas, ut sibi soli propriam scientiam medicam vindicet, arteisque veterinariam brutis medicis relinquit, ne mulo-medici cum dogmaticis et rationalibus confundantur.<sup>2</sup>

Finis medicinae est mederi et fragilis huius machinae fabricam quantum in artis est potestate sartam tectamque servare, aut fractam et labefactatam resarcire, et in integrum restituere. Cui scopo inserunt alimenta et medicamenta, nec non manuales operationes rerumque aliarum ad usum et conservationem vitae conferentium legitima administratio.

E quibus palam fit universam medicinam ad quinque partes ceu totidem libros commode referri posse, nempe ad physiologicam, pathologicam, semioticam, hygienen, et therapeutica; nisi forte semiotica diagnostica ad therapeutica cum Ettmullero vocare velis. In physiologia traduntur fundamenta status naturalis ipsaque fabrica corporis humani, et tota oeconomia animalis ibidem describitur. In pathologia causae morbificae ipsique morbi eorumdemque symptoma. In semiotica signa diagnostica et prognostica exhibentur. In hygiene pracepta diaetetica et prophylactica docentur. In therapeutica medendi methodus cum remediis e triplici regno, et tribus fontibus desumptis, describitur.<sup>3</sup>

<sup>1</sup> Quae tamen, ut planum est, nonnisi allegorice dici possunt.

<sup>2</sup> Hodie tamen ars veterinaria multo altius evecta est.

<sup>3</sup> Quamquam disciplinae medicae sunt hodie in immensum auctae, facile tamen ad haec capita adhuc reduci possunt.

## SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE  
LATINE VULGATAE

### NOTITIAE.

DE QUIBUSDAM ANIMALIUM EXEMPLARIBUS  
MARSILIANIS.

In Regiae studiorum Bononiensis Universitatis museo, animalium descriptioni accommodato, nonnulla, Alexandro Chigi doctore curante, celenteratorum exemplaria asservantur.

Quae quidem, e copiosissima illa ac ditissima, quam L. F. Marsili Comes « Scientiarum Instituto » anno MDCCXXV dono dedit, collectione excerpta, Antonius Neviani Lyncaeus in animadversionibus quas nuper tradidit pontificiae Academiae Scientiarum, accurati illustravit relate ad illa quae in *Histoire physique de la Mer* idem Marsili tradiderat ac descripserat.

Id praecipue Auctor voluit monere, inter exemplaria cognitum atque constitutum esse « genotypum » illud, Corallii Rubri, quod tanta cum diligentia in suo probatissimo opere Marsili Comes describit pingitque.

DE SPECTRO SOLARI INFRARUBRO PHOTOGRAPHICE DESCRIPTO.

G. Herzberg dr. apud supremam scholam technicam Damstadii in reproductione photographica spectri solaris infrarubri usque ad undae longitudinem duodecim millia et nongenti angstrom pervenit.

Reproductionum a Mecke et Baumann anno superiore peractarum maxima fuit ad circiter undecim millia angstrom.

Laminae photographicae, quibus Herzberg usus est, sunt ab officina Agfa paratae pro radiis infrarubris, et earum sensibilitas maxima est ad circiter undecim millia angstrom.

Photographia reproducit in laminis ab Herzberg obtentis spectrum primi ordinis per reticulum obtentum.

Bene apparet zona absorptionis ex vapore aqueo cum sua multiplex structura ad undecim millia et recenta angstrom.

Insuper apparet vitta oxygenii atmospherici inter duodecim millia quingenti, ac duodecim millia septingenti et quinquaginta.

## PISTOLARUM COMMERCIO

De renovando apud omnes gentes  
latinae linguae usu.

« Almae Romae » Moderatores clarissimo viro IGNATIO WIENIEWSKI, a Secretis « Societatis Linguae Latinae usui internationali adaptandae » s. p. d.

Quod humanissimas litteras tuas in hisce paginis, superiore numero, ediderimus, satis superque tibi fuerit quanti eas fecerimus; ceterum vix Societas ista vestra constituta est, amplissime eam, mense Ianuario MCMXXXIII, commemoravimus.

De internationali coetu philologorum creando, cuius sit nova verba novis rebus exprimendis ad trutinam vocare, atque deinde in glossarium ad rem componendum admittere, non est quin ulteriora iis addamus, quae, hunc annum auspicantes, duobus ante mensibus, scripsimus: in hoc unice insistere liceat, nempe ut coetus de quo agitur ex authenticis — sit venia verbo — latinae linguae peritis constet, quorum sapientia, rerum cognitio atque exercitatio satis praestent, ipsos revera ad restituendum latini sermonis commercium esse intenturos; sermonem dicimus cum saeculari structura sua, peculiaribus suis notis, atque, ut ita dicam, immunitatibus, et quidem vocabulis suis, scilicet non peregri-

nos effingendo, quum non sit necessitas; eo magis quod abunde notum sit Latinos ipsos idem vocabulum a propria et singulari ad generales significaciones ex adjunctis (forma, figura, usu, etc.) transferre non dubitasse.

Non igitur ad latinae linguae communicationem inter cultos viros redintegrando de vocabulis tantum actio est, sed non minus, nisi immo maxime, de latina anima, tamquam re vitali, in sermone suo revocanda, quae in colloquiis — voce et scriptis — (quid enim epistola est nisi mutuum inter absentes colloquium?) — exprimi incipiat. Quamobrem ambabus manibus plaudimus vobis, qui felici Minerva eo iam pervenistis, ut « in gymnasiorum Polonorum programmatibus colloquia latine inter magistrum discipulosque praescriberentur ». O utinam et in aliarum gentium scholis id pariter fiat! Navis iam recta secundisque ventis portum peteret!

Neque minus gratulamur, apud vos tirones esse, qui « epistolarum latinarum commercium cum sodalibus externarum gentium faciant »; quibus eorumque clientibus, si utile id communi causae evadere possit, locum et in nostris paginis libenter offerimus.

Denique quod de propositionibus Nationum Societati subiiciendis est, id habebatis, ad opus nostrum, quodcumque valiturum sit, vobiscum conferendum, promptos usque et paratos nos esse.

*Durate, et vosmet rebus servate secundis!*

## ANNALES

### Aethiopicae res.

Abyssinorum gubernium discrimen cum Gallia per publicas offensionis excusationes refectionemque damnorum com-

posuit; de Italico vero, quod res praesertim de finibus agatur, proposuit ut inter utramque partem territorium neutrum constitueretur, donec coetus legatorum mixtus fines iterum recognoscat, definiat. Accessit propositioni Italia; non vero intermisit illuc copias suas ad cautelam mittere.

\* \*

### Gallorum Anglicorumque administrorum conventus.

Gallorum Anglicorumque administrorum conventus Londini habitus, communibus et ipse de servanda per orbem universum pace consiliis est conclusus. Affirmatum est propositum tum omnibus illis voluntatibus obstanti, quae ad belli apparatus intenderent bellique pericula augerent, tum civilem rationem persecundi ad animorum conciliationem mutuo opere procurandam: quod si ex Versaliensibus pactionibus nulli nationi facultas est copias suas praeter illic constitutas augendi, visum tamen est generales regulas ex liberalis universorum negotiationibus manantes ita decerni posse, ut quae nunc contentio animorum est, in alternam fiduciam convertatur. Id de Germania ad amussim dicendum est; quae vero, paribus iuribus per huiusmodi cautiones acquisitis, in Nationum Societatem redire deberet. Praeterea Galli Anglicique administri statuerunt ut Italicam, Germanicam, Belgicamque civitates vocarent ad singularem conventionem cito serendam, per quam nationes quae ad eam accessurae sint, mutuo aërearum copiarum suarum auxilium illi ipsarum sint praebiturae, quae alicuius ex partibus contrahentibus causa, aëreo incursum immerito obnoxia fuerit.

Rata denique sunt quae de servanda Austriae libertate superiore mense inter Italicarum rerum Duxem Mussolini, et Gallicarum exterarum Laval constitutum

fuit; de quibus profecto quo certior fieret, gratiasque ageret, Austriacus Cancellerius Lutetiam Parisiorum primum, ac deinde Londinum visitavit.

POPLICOLA.

## VARIA

### Ratio progrediendi in bellis gerendis a populo Romano usurpata.<sup>1</sup>

Qui bellum gerit pro animi arbitrio, nulla coactus necessitate, propositum finem proculdubio habet comparare imperium, et partum conservare, non amittere; ditare patriam, non ad paupertatem reducere. Ex quo sequitur, rationem habendam esse sumptuum, ne nimis magni fiant. Omnium horum naturam Populus Romanus uno quasi fasce comprehendit, dum bella gerenda esse statuisse magnis viribus, ut brevi temporis spatio conficerentur. Itaque magnis copiis in campum prodibant, et hosti obviam profecti statim dimicabant. Victis leges et pacis conditiones imponebant, aut eo coloniam, quae esset Romanorum finium custodia, deducebant; ex quo fiebat, ut brevi temporis spatio bella conficerentur, et absque magno etiam sumptu. Nam interim dum aperte bellum indiceretur, sufficiebant coloniae ad fines eorum imperii tutandas: bello publice indicto, magnis cum copiis prodibant, pugnabant, et victis graviores, quam prius, conditions praescribebant: atque ita sensim eorum potentia augebatur, et hostium vires imminuebantur. Hunc gerendorum bellorum modum servarunt,

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: « De republica disputationes ex prima decade T. Livii » latine reddidit H. BINDI.

donec perventum esset ad Veiorum obsidionem; tunc enim, aucta Republica, stipendum ex aerario militibus constiuerunt, quo diutius bellum protrahere possent; quae res ante necessaria non erat, quum bella cum vicinis proximis gererentur, eademque brevissime conficerentur. Id autem solvendarum stipendiiorum institutum, etsi eo pertineret, ut bella quae procul ab Urbe gerebantur melius confici possent, et exercitus diutius sufficeret ad illa conficienda, non tamen desierunt in id maxime eniti, ut illa quoque quam fieri posset citissime absolverentur, et ut, victis hostibus, eo coloniae dederentur. Nam praeter communem populi Romani cosuetudinem efficiebat etiam consulum ambitio, ut quam citissime bella absolverentur; quoniam annuus erat eorum magistratus, nec triumphum ducere poterant, ni prius confectum bellum fuisset. Ut deducendarum coloniarum ratio conservaretur efficiebat utilitas, quae ex illis ad cives Romanos dimabant. Haec progrediendi ratio igitur a populo Romano perpetuo observata est in bellis gerendis, nec quicquam immutatum, praeterquam in praeda distribuenda, in qua liberaliores a principio fuerunt, quam postea, idque ob eam causam fecere, quod quum stipendia militibus solverentur, magis aerarii publici, quam privatorum utilitatis rationem habendam putarent; ut si aerarium ditesceret, stipendia solvi possent, tributo civibus non indicto. Itaque hisce rationibus factum est, ut Romanus populus ex bellis ditatus fuerit, non ad paupertatem redactus: ceteri principes et respublicae quae populum Romanum imitari nesciunt, non raro piura amittunt, quam acquirunt. Tanta erat autem Romae ditandi aerarii apud omnes cupiditas, ut eo redacta fuerit res, ne cuiquam consuli ducere liceret triumphum, ni simul magnam auri argenteque vim, et alias praedam multiplicem aerario inferret. Univer-

sum igitur populi Romani institutum eo spectabat, ut bellum brevi tempore con ficeret, hostem aut vinceret, aut excur sionibus et praeliis fatigaret et ad conditions pacis petendas impelleret; ipse vero magis magisque ditesceret.

\* \*

### Pro iudicibus mensarum elegan tibus.

ESCARUM QUADRAGESIMALIUM ORDO:

*Sorbitio ex variis oleribus commixta.*  
*Pulpamenta ex gado morrhua, frixa.*  
*Farinacei globuli, lycopersici suco con diti.*

*Anguilla assa cum salgamis.*

*Scriblita amygdalina.*

\* \*

### Iocosa.

TUCCIU in schola.

Magister de columbis diu disseruit, et esse inter illos, qui columbi viatores appellan tur. Tum Tuccius:

— Eureka! Causam tandem percep i, ob quam Christophorus ille, qui Ameri can repperit, Columbus sit appellatus!

Mater Tuccio:

— Heus, Tucci: dedistine fratri tuo optimam piri partem, quemadmodum te iusseram?

— Certe; ei dedi semina, e quibus, consitis, fructuosam arborem habebit.

\* \*

### Aenigmata.

I

Ipsa gerit lapidem, quam continent annulus

[ipsam;

Litterulam dupla: corpora tota tegit.

Litterula inlecta, tritae pars restat avenae;

Pone aliam: siccis crescit amoena locis.

II  
 Quadrupedantis equi collum decoro que leonis:  
*Rho mihi subnectas: ex me lux spargitur*  
 [alma.

Aenigmata in superiore fasciculo pro posita his respondent: 1) *Lepus, Lex, Su pellec;* 2) *Rivus, Virus.*

### LIBRORUM RECENSIO

ARNOBII *Adversus nationes* libri VII; recensuit C. MARCHESI — Ex aedib. Io. Bapt. Paraviae et Sociorum. Aug. Taurinorum. (x-435 pag. Pretium lib. it. 28).

Corpus scriptorum Latinorum Paravianum augetur hoc volumine, quod LXII est amplissimae illius collectionis. Prodit autem volumen ex optime merita officina regia tempore opportuno: quo si bonorum hominum animos recreat iuvenum plurimorum redditus atque contentio ad nobilissima religionis christiana atque optimarum artium studia, non minus contrastat ac veluti terret complurium ad feritatem atque immanitatem veluti belluinam re versio ac prolapsus: idque mirum, quod hi perditissimi homines, Christi religioni, quam plane ignorant, abiecte insidentur atque irridere audeant, calumniantes eam dignam non esse fortibus nostri temporis civibus, quem tamen quaerent atque iactent novum nescio an veterimum alium solis, astrorum, idolorum barbarum cultum. His censeo utilissimum esse futurum si hoc pacato percurrerint animo volumen, quod Arnobius (nec enim hodie de auctore dubitare licet) eo consilio scripsit, ut ethnicos quosdam sui temporis, divinam Christi religionem calumniantes, oppugnaret.

E quo liceat haec, quibus exorditur, decerpere:

« Quoniam comperi nonnullos, qui se plurimum sapere suis persuasionibus credunt, insanire, bacchari et velut quiddam promptum ex oraculo dicere: Postquam esse in mundo Christiana gens coepit, terrarum orbem periisse, multiformibus malis affectum esse genus humanum, ipsos etiam caelites derelictis

curis solemnibus, quibus quandam solebant invisiere res nostras, terrarum ab regionibus exterminatos: statui pro captu ac mediocritate sermonis contraire invidiae et calumniosas dissolvere criminationes, nec aut illi sibi videantur, popularia dum verba depromunt, magnum aliquid dicere aut, si nos talibus continuerimus a litibus, obtinuisse se causam

putent, victimam sui vitio, non adsertorum si lentio destitutam ».

Editio critica, uti aiunt, est omnibus numeris absoluta, eleganti praefatione, copioso doctrinae apparatu, triplici indice, scriptorum qui ab Arnobio citantur, nominum et rerum belle instructa, nec incompto involuero connecta.

s. r.

### DE ROBERTI SCOTTI

[34]

#### NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

Evaporationem etiam acceleratam esse hac re, quod scortei illi circuli, qui ad densandum obturamentis circumdati essent, frigoribus acerbitate essent perdit.

Et Georgius Simpson meteorologus, propositis proprio libello rationibus illarum regionum meteorologicis, quum de procellis, hoc est de orcanis dicere coepisset: Qui Amundseni iter legerit<sup>1</sup> miratus erit nomen « procellae » vix sibi occurrisse quaesi erit qui id fieri potuerit. Et recte — inquit — quaerimus causam rei istius, quae, si ante fuisse cognita, longe aliter polus expugnatus esset: nam hodie subductis meteorologicis rationibus universis pro certo confirmari potest: procellas Angliae explorationi antarctidis tam funestas ventos esse proprios occidentali parti Liminis Rossici.

Totius autem expeditionis Scottianae hic fuit exitus. Terra Nova XIX. kal. Ian. anno 1912 e portu Lytteltonensi tertio ad antarctidem egressa est. Septingenta vi ginta chilometra taetro cum glacie certamine obtenta sunt. A. d. XV. kal. Febr. Promontorium Evanum tetigerunt. In ora

unde viginti homines conspecti sunt. Interrogant ex navi: Salvine omnes? Campbell contra ex ora: Fuisse illos ad polum, sed revertentes interisse; adesse commentarios. Statimque transgressus cum Aktinson e ubi enarrabat sortem ducis et sociorum, quibus omnibus iam in navi ornata erant cubicula. Tota igitur per navem conticescente laetitia oborta tristitia est. Ablati lecti, demissa in medios malos vexilla, obsignatae litterae reddenda mor tuorum amicis.

Ea quea secuta est nocte omnes sarcinae, omnia saxorum exempla, totus expeditionis apparatus congestus est in navem. Hibernaculum purgatur, tabulae deponuntur rerum reliquarum, postremo clauditur. Repositum illic alimentorum est, quantum satis esse duodecim sobriis viris potest vel in totum annum.

A. d. XIV. kal. Febr., qui dominicus fuit dies, post meridiem a Promontorio Evanio discessum est, primumque navigatum versus Promontorium Tabernarium. Postridie mane Aktinson cum septem viris progressus est ad collem, qui observationis dictus erat, in quo summo posuerunt crucem trium metrum altitu

<sup>1</sup> Cuius ego utinam accipere potuissem exemplar!

mysteriis Aegyptiorum cognoscendis intentus. Quem ut Cinna comperit longe alium a ceteris esse philosophis, angustiis iis atque ieunis, brevi sibi eum cum arctissimo familiaritatis vinculo adiunxit. Insidebat in animo senis forma quaedam eximia humanae vitae ad paecepta rationis componendae, eratque doctrina cum dicendi copia et suavitate coniuncta. Quibus de rebus etsi magna esset admiratio adolescentis, stupor tamen longe maior iniicebat ore senis ad ingentem tristitiam composito. Itaque saepe in eo fuit ut ex ipso quaereret causam moeroris, suumque animum aperiret.

Forte vespere, quum, remotis arbitris, uterque in peristylio constitisset in mare porrecto, apprehensa manu senis, adolescentis acerbitas sua virus evomuit, atque:

Hoc - inquit - vitae taedium mihi causa fuit consulendi philosophos. Te fortuna obiecit meae interpretem vitae; qui nisi meipsum mihi revelaveris, spem omnem ademeris, parem huic officio praestando quemquam futurum.

Cui Timon, diu aequor intuitus imminente luna splendescens:

Notastine - inquit - avium huc a nigris septentrionibus commigrantium agmina? Quid hiemantes in Aegypto quaerant ignoras?

Nempe lucem et calorem.

Hominis quoque mens expedit lucem, quam sola gignit veri inquisitio atque investigatio; ab eodemque calor quaeritur, qui est idem atque amor. Sed inter homines et aves hoc maxime interest, quod his iter ad felicitatem cognitum est atque paratum; illis agitur vita perpetuis curis et anxia dubitatione tristissima.

Ita plane. Verum quid causae est cur tranquillae vitae degendae viam homines nullam inveniant?

Quandiu pietas in deos altis stetit fixa radicibus, animorum quietus et pla-

catus status erat. Postquam vero, deorum opinione sublata, religioni, quasi lucernae humore defectae, philosophiam suffecrunt, nulla pars relicta est vitae beatae. Plerique enim, ut scis, philosophorum greges, quum Romae, tum Athenis, nihil cognosci, nihil sciri posse contendunt, omnemque veritatem in profundo esse demersam; quos equidem non expetitae tranquillitatis, sed maxima perturbationis esse autores existimo. Ita fit ut, protensis manibus, per anfractos obscurissimos temtemus egressum.

— Neque adhuc invenisti?

— Mihi quidem tentata res est; non tamen ausu feliciore quam tuo. Num quum animi securitatem tu in corporis voluptatibus, ego in cogitatione quaerem, caliginem in qua versamur neuter discussit. Nec te solum angi putandum est, sed in te aegrotare animam mundi. Quam multo abhinc tempore opinionem de diis immortalibus abiecisti?

In nostro quidem populo deorum cultus religionumque sanctitates existunt in dies maiores; neque enim iis repudiantur, quorum ex Aegypto atque Asia ingens fuit quotidie multitudo. Verum infinita illa ratio superstitionis nemini probatur, nisi forte olitoribus urbem petentibus, quos novi solos infelicitatis expertes. Iam vide, utrum vivere an mori sit optabilius.

Eccui exploratum est, exutis corporibus, quae fata nos maneant?

Plane mihi videris non aliter sentire ab iis philosophis, qui de omnibus dubitantes quasi noctem quandam rebus offundunt.

(Ad proximum numerum)

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

# ALMA ROMA

QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

Per.  
Lat  
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

Nuperrime prodit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)


Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 500 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1000, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXII

Romae, Mense Aprili MCMXXXV

Fasc. IV



# ALMA ROMA

## LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

### PRO IOANNE FISHERO ET THOMA MORO<sup>1</sup>

Beatissime Pater,

Hieromartyres magni Ioannes Fisherus et Thomas Morus, pro quorum canonizatione sollemni huius Apostolicae Sedis ritu celebranda dicturi sumus, non solum nobilissimi martyrii et vitae sanctitatis admiratione, verum etiam rerum gestarum et doctrinae fama omnium animos iam pridem ad se converterunt. Ioannem Fischerum, Episcopum Roffensem, quo nihil aut doctius aut sanctius, teste Sandero, Anglia protulit, Pontifex Paulus III ad romanam purpuram quum illum eveheret, merito praedicavit sanctitate conspicuum, doctrina celebrem, aetate venerabilem, Angli Regni ac totius ubique Cleri decus et ornamentum: Thomam vero Morum, Fisheri aequalem atque amicissimum, probatissimis operibus editis et advocationis primum, dehinc munera publicorum perfunctione praclarum, ut virum amoënius ingenii et varia doctrina excultum,

theologum, philosophum, iuris consultum, oratorem, poëtam, historiae et graecae latinaeque linguae peritissimum, celebrant omnes uno ore aevi sui scriptores. Quamobrem si singula ad utriusque vitam et gloriosum martyrium pertinentia persequi vellemus, enimvero oratio nostra fieret prolixior, atque Tua et huius amplissimi Senatus tempora, Beatissime Pater, longius, quam par est, moraremur. Igitur quoad eius fieri potest paucissimis cuncta studebimus absolvere.

Ioannes Fisherus, honestis parentibus ortus Beverlaci in Anglia ex dioecesi Eboracensi anno 1469, vix septemnis patre orbatus, prima litterarum rudimenta a pio quodam sacerdote habuit, ac deinde Cantabrigiensem Academiam ingressus, liberalibus artibus, dialecticae ac philosophiae, mox graecae atque hebraicae linguae tam impense vacavit, ut triennio post doctor renuntiatus, inter procuratores Academiae regendae adlegeretur. Sacerdotio auctus, Theologiae addiscendae tanto studio operam dedit, ut summa omnium gratulatione laurea donatus, brevi post doctissimis Europae theologis accenseretur.

<sup>1</sup> Peroratio ab Auctore habita in S. Consistorio d. 1 huius mens. Aprilis.

Quum porro eius fama longe lateque percrebusset, Margarita, Henrici VII regis mater, Fisherum selegit, qui suis et familiæ confessionibus excipiendis praeesset.

Quo in munere tantam apud Regem aestimationem sibi comparavit, ut plura ad opera misericordiae exercenda et ad duo magnifica in Academia Cantabrigiensi Collegia, unum Servatori, alterum Sancto Ioanni Evangelistae dicatum, instituenda Reginae suadere potuerit. Itemque theologiae cathedras Cantabrigiae unam, Oxonii alteram, et plures graeci atque hebraici idiomatis fundavit, instaurata prius Cantabrigensi studiorum Universitate.

Humanis divinisque disciplinis doctissimus, eximia virtute praeclarus, totius Angliae Episcopis carus atque acceptus, ab Henrico VII Episcopus Roffensis anno 1504 designatus, confirmatus est litteris apostolicis a Iulio II Pontifice Maximo.

In dioecesis regimine eximia effulsit prudentia, labori non parcens in singulis paroeciis invisendis, caritateque aestuans in hereticis confutandis, Lutheri praesertim conatibus Angliam pestifera doctrina inficere cupientis, acerime restitit. Divini praecepti memor atque apostoli monitum continuo mente recolens, non solum assiduus erat in precibus, sed corpus suum abstinencia, ieuniis, ciliciis castigabat. Pro fide catholica tuenda praesertim contra Lutherum multa eaque insignia scripsit opera, quorum nonnulla edita fuere, plurima dispersa, vel ab adversariis combusta.

Totam vitam sapientis meditationem esse mortis Ethnici quoque agnovere: Ioannes noster, ne unquam illius memoria animo suo excideret, tam in altari in quo celebrabat, quam domi in mensa, aliquius mortui calvariam collocari iussit: aiebat mortis memoriam nunquam videri importunam. In pauperibus atque aegrotantibus invisendis ac succurrentis prae-

cipua ei cura erat. In aedibus ac tuguriolis fumo oppletis ipse tribus vel quatuor horis continua manebat persaepe infirmis atque ope indigentibus consolandi, praeposito domus sua mandans, ut cibos eis delicatores transmitteret.

In hospitibus autem excipiendis huminissimus, iucundus, ac benevolentissimus esse solebat; merito aegrotorum medicus, claudicantium baculus, viduarum defensor et patronus, pupillorum tutor, peregrinorum et iter facientium hospes habebatur.

Sermone mansuetus, temperatus, modestus; at in rebus ad Deum et Ecclesiam pertinentibus, quas tunc temporis quidam perturbare cooperant, praeter consuetudinem vehemens, intrepidus atque heroic fortis erat.

In divortio quod Henricus VIII ab uxore Catharina cupiebat oppugnando, Ioannes Fisherus admirabilis animi fortitudine fuit, et coram Pontificis Legatis, praesente ipso Rege, affirmare non dubitavit, matrimonium Catharinae cum Rege, usquequa legitimum, nulla humana potestate dirimi posse.

Thomas Morus, paulo post Fisherum anno 1478 natus, patre Ioanne advocate, et matre Agneta Graunger, sub rigida patris custodia atque educatione, docilis puer, obediens amabilisque exstitit: vivido a pueritia enituit ingenio, et vix adolescens apud Cardinalem Ioannem Morton magnam aestimationem sibi comparavit. Primum scholas divi Antonii celebravit, ac deinde a Cardinali Morton ad studiorum Universitatem Oxfordensem missus, per illustribus Thoma Linacre et Guillelmo Groscyn docentibus, sedulo litteris aliisque disciplinis dedit operam. Paternae voluntati obtemperans, Londonum revertit vacaturus forensibus studiis, et paulo post magna cum laude advocatus fuit renuntiatus; quo in munere exercendo diligentia et virtute mirum in modum eminuit. Eximia pietate et religionis

doctrina funditus enutritus, religiosum vel sacerdotalem statum amplecti cogitabat, sed confessarii consiliis ductus, laicus remansit.

Octo supra viginti agens annos, Ioannam Colt duxit uxorem, ex qua quattuor habuit liberos Margaritam, Caeciliam, Elizabeth et Ioannem. Uxore Ioanna vix quinque post annis vita functa, quo liberos melius curare posset, viduam Alicem Middleton duxit, quacum iugiter vixit mira concordia.

Anno 1523 Thomas sibi suisque domum apud colles Thamensis construendam curavit, quae domicilium musarum et omnium virtutum fuit; oratorium in ea instituit atque bibliothecam posuit, ibique una cum suis et propinquis artium litterarumque studio et pietate vitam transibat, atque « ad amicitiam natus factusque » benevolentissime excipiebat amicos. Praecipua eius cura erat sancte erudire liberos et nepotes. Liberalium artium studiosus atque humanis divinisque litteris doctissimus, plura scripsit ad veritatem tuendam et ad virtutem pietatemque fovendam, Celebris eius *Utopia* inter classica recensetur opera.

Sed alia non minoris momenti habentur, videlicet: *Responsio ad convicia Martini Lutheri congesta in Henricum VIII*; *Expositio Passionis Domini*; *Quod pro fide mors fugienda non est*; *Precatio ex Psalmis*; *De quattuor novissimis*; *Dialogus circa cultum imaginum et reliquiarum*; *Dialogus contra pestiferam Lutheri et Tyndali sectam*; *Dialogus consolationis in tribulatione*; *Dissertatio epistolaria de correctione Vulgatae Novi Testamenti*; *Tractatus de Communione eucharistica et spirituali*; *Oratio pro animabus*, atque alia, et plurimae epistolae, in quibus non nisi fidem ac religionem, praecipue contra novatores, invicte defendit.

Quadragesimum circiter aetatis annum agens publicis negotiis tractandis adhiberi

coepus est: ac primum anno 1516 legatus in Belgas est missus; anno 1517 alia munera exercet; anno 1518 in privatum Regis Consilium adsciscitur; deinde Orator – (qui Anglica lingua *Speaker*) – in Consilio publico, Cancellarius Civitatis Lancastrensis; denique ab Henrico VIII rege, tamquam praemium summae qua apud Eum gaudebat aestimationis, anno 1526 totius Angliae Cancellarius renuntiatus est. In muneribus obeundis eximia fide ac diligentia refulsi, et quo plus dignitate, auctoritate honoribusque extollebatur, eo magis modestia, integritate, humanitate et patientia iugiter admirabilis exstitit.

Quum autem Henricus, insano erga Annam Bolenam captus amore, omnibus rebus vellet, ut Catharina sibi non legitimate matrimonio coniuncta declararetur, de divortio pluries Thomam interrogavit; qui non dubitavit suam aperire sententiam contra Regis desideria, nimirum pro matrimonii cum Catharina contracti validitate. Nec minus strenue Thomas opugnavit Henrici conatus, cupientis supremum se Ecclesiae Anglicanae caput et haberi et appellari.

Hinc ira et grave Regis odium in eum, qui postquam perspexit Regem obstinato esse animo cum Anna Bolena nuptias ineundi, ne quid contra Dei atque Ecclesiae leges agere cogeretur, summo magistratu se abdicavit.

\* \*

Nam quid ego, Beatissime Pater, de nobilissimo utriusque martyrio deque causa martyrii memorem?

De qua quum recitato Decreto hieromartyres nostros de more collaudares, tam multa eaque praeclara Ipse dixisti, tanta sententiarum gravitate et copia splendidissimae orationis ornata lumenibus, tam apte ad causam, tam accommodate ad utriusque personam, ut quivis

vel doctissimus, nedum ego vix tinctus his litteris, ab ulterius dicendi facultate deterreatur.

Ne tamen officio et gratissimo demandato nobis muneri defuisse videamur, pro re pauca loquar.

Satis omnibus exploratum compertumque est, Henricum VIII, Angliae Regem, luxuria diffluentem et insano Annae Bolenae, perditae mulierculae, amore captum, Catharinam uxorem legitimam, cum qua annos viginti vixerat, liberis ex ea quinque susceptis, repudiasset. Repudii causa ad Sedem Apostolicam delata, diu matureque discussa die 23 martii anno 1534, Clemens VII, lata sententia primi matrimonii cum Catharina confirmavit validitatem reiecitque secundas nuptias cum pellice initas. Ea propter gravius ira Regis exarsit contra Catharinam eiusque defensores, quos inter iam praecelluerat Episcopus Roffensis. Primum igitur poenis gravissimis edixit, ne quis in posterum Catharinam reginæ nomine vel uxoris donaret: deinde legitimas cum Anna initas nuptias legitimaque successionem regiam ex ipsa Anna Bolena declaravit, insimulque ad ipsam successionem regis confirmandam iusiurandum statuit. Deinceps primatum in spiritualibus sibi soli, ut Summo Ecclesiae Anglicanae Capiti, vindicavit, omni potestate et iurisdictione in Anglos et Hibernos Pontifici Romano in perpetuum dempta: atque in negantes poenâ laesae maiestatis decretâ. Immo ipsum *Papæ* vocabulum odio ita prosecutus est, ut nullus Romanorum Pontificum vocaretur *Papa*: mandavitque ut capititis damnaretur, si cuius in libro vel solum nomen *Papa* non deletum extaret.

Episcopus Roffensis, qui matrimonii Henrici VIII cum Catharina validitatem coram ipso Rege defenderat, iuramento profiteri abnuit nuptias cum Bolena problemque inde susceptam legitimas esse; quam ob rem in carcerem coniectus est.

Ad Ioannem in vincula datum Rex interdum misit episcopos et proceres quosdam laicos, qui illi suaderent ne obstinato animo iusiurandum recusare pergeret; sed frustra omnino; quippe Beatus noster tanta fuit animi constantia, ut nec carceris foetore, nec verborum blanditiis et illecebris a recta sententia et proposito dimoveri potuerit.

Privilegio dignitateque episcopali spoliatus, apertissime declaravit Regem nullo modo esse caput Supremum Ecclesiae Anglicanae; quare capitis fuit damnatus.

Nec minus strenue Thomas Morus nuptiarum Regis cum Catharina validitatem et Romani Pontificis in universa Ecclesia principatum defendit; qui, ut supra retulimus, ne quid detrimenti conscientia sua caperet, officium tantæ auctoritatis una cum maximis emolumentis dimittere ac perdere non dubitaverit. Recolenti Norkolf: « Indignatio Principis mors est », firmiter et prompte Thomas respondit: « Nihil aliud praeterera, mi domine? Inter vos et me non aliud intercedit discrimen, nisi quod ego hodie, vos cras moriemini! » Omnimodis tentationibus rationibusque humanis heroica fides et tentata fuit et probata: sed nec rationes una cum lacrimis uxoris, nec affectus tenerrimus filiae Margaritae eiusque fletus ac lamentationes, nec omnium bonorum suorum publicatio, nec virorum benevolorum et praestantium argumenta, nec adversariorum contumeliae ac minae, nec extrema paupertas familie sue, nec carceris foeditas ac saevitia, nec fames nec persecutio, nec mors eum removere a proposito atque conturbare potuerunt.

Silentio praeterire non possumus quae Thomas Morus capititis damnatus respondit Iudicibus extollentibus publici Anglicani Consilii, Episcoporum et nobilium totiusque Nationis Regis voluntati assentientium, auctoritatem: « Acta ac Decreta — inquit —, quorum vi damnor, non

minus Dei legibus quam Ecclesiae iuribus sunt contraria, quibus nemo, ne regia quidem dignitate praefulgens, potest sibi adrogare ius potestatemque, soli Romano Pontifici in universam Ecclesiam competentem ». Habere se pro sua sententia oecumenica Concilia abhinc amplius mille annis usquedum celebrata, quae publici Anglicani Concilii nova dogmata reprobarent, quin quereret, quibus illud tunc temporis componeretur. Fedifragis Episcopis posse se singulis centenos opponere, eosque in sanctorum album relatos, et Anglorum nobilitatem procul dubio cum origine praeclaram, tum opibus et egregie factis esse conspicuam, sed ne comparari quidem posse cum excelsa illa martyrum et sanctorum nobilitate, quae tota sibi plauderet et consentiret. Denique Angli regni potentia quae obiceretur non minorem esse Galliarum, Hispaniarum, Italiae, atque omnium Christianae reipublicae regnorum, quae novis Britanniae rebus adversarentur. Addidit augurium caritatis plenissimum: « Quemadmodum, — inquit, — Sanctus Paulus, qui se sancti Stephani percussoribus adiutorem praebuerat, nunc cum glorioso martyre vivit in Christo, ita vos auguror atque ex animo opto, quum e vita excesseritis, possitis in caelum pervenire, ubi una tecum beati aevo sempiterno fruamini ».

\* \*

Iam vero quae in ipso mortis articulo sequuta sunt quis, vel tantum memoria recolendo, temperet a lacrymis?

Ioannes Fisherus, in theatro consistens, sic populum allocutus est: « Christiani fratres! ecce hic prodeo pro Ecclesiae Catholicae fide moriturus. Deo autem me sustentante, hactenus valde praesenti animo fui: nullam neque trepidationem, nec mortis horrorem persentiens. Quare vos omnes rogo ut me precibus vestris ad Deum fusis adiuvetis, ut in ipso mortis

articulo sine ulla vacillatione firmus et in fide catholica constans permaneam: de reliquo, ego pro meo quantulocumque officio Deum immortalem pro infinita bonitate sua et clementia obtistor, ut Regem, regnumque hoc salvum et incolume conservet, ipsique Regi sanum et salutare consilium in omnibus suppeditet ac suggerat ».

His atque aliis id genus magna animi alacritate, decora venerandaque gravitate, animo laeto et iucundo atque firma claraque voce prolatis verbis, genibus flexis alias ad Deum fudit preces, quas inter hymnum « Te Deum », et psalmum « In te Domine speravi ». Hinc vir sanctus et innocens, manibus et corde in caelum sublatis, collo super trabem positio, carnicifici obtulit caput.

Thomas autem die 6 iulii 1535 summo mane monitus Regis iussu hora nona capitalem sententiam executioni mandatum iri, Regi gratias egit, et passionem Domini continuo meditans, tamquam ad festum properans e carcere exivit crucem manibus gestans, atque oculis in caelum sublatis, plenissime sui compos ad patibili locum pervenit. Ibi universo populo spectanti atque audienti confessus est « mori se in Ecclesia et pro Ecclesia catholica non minus Regis quam Dei fidelem servum ».

Deinde genibus flexis pientissime recitavit psalmum « Miserere »; quo dicto surrexit laetitia perfusus et carnificem veniam poscentem amplexus, eidem dixit: « Tu mihi eiusmodi tribuis beneficium, quo maius ab homine mortali mihi reddi nullum potuerit ». His dictis, magna animi alacritate carnifici obtulit caput. Et ita, quemadmodum paucis ante diebus Ioannes Fisherus, Thomas quoque Morus, pro sanctitate christiani coniugii, pro Romani Pontificis primatus praerogativa ultimo supplicio damnatus, fortissime mortem oppetiit.

Fortunati ambo! si nihil illustrius, nihil sanctius, nihil martyrio pro Christi fide et doctrina nobilis caelo receptos heroes atque aeternâ beatitate perfruentes «nulla dies unquam memori Vos eximet aeo!»

Merito igitur Sanctitas Tua a. d. IV Idus februarias proxime elapsas decrevit: «ita evidenter constare de martyrio et causa martyrii beatorum Ioannis Fisher et Thomae Mori, ut concessa a signis seu miraculis omnique alia opportuna et necessaria dispensatione procedi posset ad ulteriora»; atque in sequenti Decreto postmodum edito pronuntiavit: «Tuto procedi posse ad eorum canonizationem». Quapropter, beatissime Pater, ad Sanctitatis Tuae pedes prostratus, nomine Archiepiscoporum, Episcoporum Angliae, Caledoniae, Hiberniae, et totius Imperii britannici atque Americae Septentrionalis, nomine Seminariorum, Studiorum Universitatum, Collegiorum atque innumeralium tum sacerdotalis tum laicalis ordinis Christifidelium, quorum postulata Ioannis Fisher et Thomae Moro admiratione virtutum non minus quam devotione erga Beatitudinem Tuam redundantia iampridem ad hanc Apostolicam Sedem delata sunt, supplici oratione mea et prece te rogo atque obtestor, Pater Sanctissime, ut quos pia Mater communis sancta per orbem terrarum Ecclesia, quos Decessorum Tuorum auctoritas ut veros Christi martyres iamdiu veneratur et colit, Eos quater centenario ab eorum obitu vertente anno, in album Sanctorum sollemnibus huius Apostolicae Sedis ritu et caeremoniis quantocius digneris adscribere.

AUGUSTUS MILANI

S. Consistorii Advocatorum Decanus.

Semita certe  
Tranquillae per virtutem patet unicae vitae.  
IUVENAL.

## EX AMERICIS

### Respublica Argentina in inferiore America pacifera.

Tristissima hac tempestate, qua pacis omnibus gentibus communis fundamenta ubique ex imo commoveri videntur, supremis populorum moderatoribus nihil magis cordi est, quam ut vincula amicitiae cum aliis nationibus, finitimis praesertim, arctius constringant; ad hoc suscepta a legatis vel regni administris itinera ad pactiones conficiendas de pace, de commercio, vel de limitandis aut non capiendis armis.

Quod in praecipuis Europae civitatibus perficiunt ii qui praesunt, etiam in America Meridionali contendit gerere excellentissimus exercitus imperator Augustinus Justo, Reipublicae Argentinae Praeses, qui abhinc paucis diebus tertium ab inito mandato annum feliciter explevit, civibus etiam ex alienis politicis factionibus plaudentibus.

Dux noster, vertente anno MCMXXXIII, amicitiae augendae gratia ad Brasiliannam Rempublicam se contulit, non priuatus civis, sed tamquam magistratus, magno apparatu, ingenti navi «Moreno» omnium maxima argentinae classis, comitantibus delectis ex nobilitate viris. Impossibile dictu est qua humanitate, quibusve aestimationis signis in civitate Rivi Ianuarii, Brasilianorum capite, amplissima legatio argentina a reipublicae Praeside Getulio Vargas, a magistratibus, ab exercitu, a civibus omnibus excepta fuerit.

Praeses eiusque comites nonnullas illius reipublicae urbes inviserunt, ubique magna populorum frequentia atque affectione circumdati. Omnes Argentinam ad caelum extollere, eius praeclera gesta mirari, illustres viros honorare, pacem et amicitiam inter duos populos inconcussam

atque aeternam proclaimare! Quo strictiori vinculo Brasiliani et Argentini copularentur, uterque Praeses praestantissimas pactiones per ministros cancellarios conclusit.

Foederis complendi necnon, ut aiunt, visitationis retribuenda causa, mense maio, quo tempore Argentini festa anniversaria emancipationis politicae celebrant, Praeses Brasilianus se Bonas Auras ventrum promisit et confirmavit. Non est dubium quin Argentina civitas illustrissimum hospitem ea humanitate recipiat, cuius in antecessu tot tantaque signa dedit.

Sic duo hi populi qui ab anno MDCLXXX armis saepe contenderant propter acerba inter Lusitaniae et Hispaniarum reges dissidia (quorum dissidiorum consecataria etiam emancipatione adepta ultro persistere) nunc, invidia atque ambitione depositis, arctissimo et nobilissimo foedere copulantur. Huius foederis testis atque signator est Christus Redemptor, cuius immane simulacrum in altissimo monte Corcovado apud Fluminensem civitatem Americanis atque totius orbis advenis divina charitate brachia protendit.

Aliam Argentinorum Praeses visitationem hoc anno est peracturus ad Chilenam rempublicam, eadem ratione ductus, ut scilicet illa inter duos geminos populos augeatur amicitia, quam anno huius saeculi secundo, remoto, Deo iuvante, quod inpendebat bello, signavit monumentum Christo Redemptori in andinis montibus erectum. Doctor Arcturus Alessandri, illius reipublicae moderator, visitationem etiam retribuet quo tempore pacis et amicitiae firmandae causa Bonas Auras non nulli Americae Meridionalis Praesides convenient. Nemo non videt ex his nobilissimis conventibus pacis monumentum aere perennius esse surrecturum.

Horum beneficiorum in totam Americam redundantium causa et inspiratrix Respublica Argentina iure est habenda, quippe quae soror major inter alias civi-

tates nobilissimo munere pacificandi populos fungitur. Huius pacis ferenda studium plurimis Argentina confirmavit indicis, quorum unum saltem heic afferre iuvat: quod exortas cum populis propinquis de finibus quaestiones, nunquam armis aut vi, sed per delectos arbitros solvendas curavit, et illorum sententias, etiam adversis (quod mirum est!), semper omnino acquievit.

Tanti munieris confirmationem luculentissime a Deo accepisse videtur anno superiore, occurrente Eucharistico Oecumenico Conventu, qui ex Pii XI sententia non modo ceteros longe superavit, sed etiam omnes gloriae celebrationes, quae a mundi exordio humanum genus unquam Deo tribuit. Hic animadvertere oportet in eo conventu, solemnissima pompa perfecta, eundem Argentinorum Praesidem coram amplissimo et honorificissimo Cardinalium, Episcoporum, Magistratum caetu, adstantibus hominum fere vices centenis millibus, immo audiente per radiophonicas undas orbe universo, Rempublicam Argentinam Sacro Cordi Eucharistico piissima oratione consecrasse, et pro Americae totiusque mundi pace deprecavisse.

Merito igitur Summus Pontifex tantum pietatis exemplum admiratus, benevolentiae significandae gratia, necnon ad remunerandum ipsum Praesidem pro suo tuendae dilatandaque religionis studio, insignibus ab Ordine Supremo Christi, omnium maximis, quae ab Apostolica Sede dari solent, eum decoravit, quod summo honori tam reipublicae Praesidi quam sibi metipsis Argentini tribuerunt.

Faxit Deus ut Respublica Platensis, Christi Eucharistici irradiata fulgoribus, semper ex purissimo Evangeliorum fonte principia inmutabilia pacis et populorum concordiae perget haurire!

Corduba, ex Argentina republica.

P. ARDIZZONE.



## IMPERII VIA AD CLIVUM CAPITOLINUM

*Panditur levis fora per vetusta  
Imperi nuper Via strata, ad Arcem  
Urbis augustam, recinitque gentis  
fatae latinae.*

*Paululum, civis, prius hac, iture,  
ante Sacconi remorare molem,<sup>1</sup>  
Omnium matrum tumulo sub uno  
corda tegentem.*

*Militi Ignoto sociisque lucem  
posce pro dulci Patria peremptis,  
atque protenso rigide lacerto  
mitte salutem.*

*Inde discedens, oculis utrimque  
mira prospectus studiosus hauri;  
Numine huc disces moderante, cuncta  
vergere saecula.*

*Dextera spectas mutilas columnas,  
Curiam Patrum vacuasque sedes,  
fornices, arcus memores triumphi  
fanaque Vestae.*

*Haud procul, sacrum prope fossa clivum,  
carceris squalens penetrat caverna,  
quo ferunt olim iacuisse nexum  
compede Petrum.<sup>2</sup>*

*Surgit obliquus, nemorosus hortos  
pensiles inter viridesque lauros  
mons Palatinus, fluit unde nostrae  
gentis origo.*

*Huc prior terra fugiens Achiva  
venit Evanderus; pius hic resedit  
hosper Aeneas clypeoque novit  
fata nepotum.*

<sup>1</sup> Marmorea moles, propter Capitolium, Victorio Emmanueli II regi dicata, qua Itali Militis Ignoti ossa servantur, exstructa est a Iosepho Sacconio.

<sup>2</sup> Indicatur carcere vulgo dictum Mamertinum.

*Hic casam textam statuit palustri  
Romulus posthac calamo, vagosque  
sub sua Ramnes ditione cogens  
condidit Urbem.*

*Serpit ad collem Via Sacra, quondam  
vecta qua trivit scelerata plaastro  
Tarquini coniux volucri cadaver  
Tullia patris.*

*Victor hac bello quoties, feroci  
vincla quassantes fremitu, subactos  
traxit insultans resonas triumpho  
pone quadrigas!*

*Obruit fastum strepitumque Sacrae,  
cuncta subvertens fuga saeculorum;  
nunc silet cippis statuisse passim  
obsita fractis.*

*Sed Titi Christum manet arcus ulti,  
postoris signum, Solymae nefandum  
nempe testatus scelus et tremendam  
Numinis iram.*

*Flavit recta venies theatrum,  
illitum crebro pugilum cruento,  
dira quos matrona neci vovebat  
pollice verso.*

*Martyr immitti moriturus illic  
fausta tortori prece flagitabat;  
aemulum dura gladiator illic  
stravit arena.*

*Perstat ad Circum Crucis at tropaeum  
filio moles Helenae dicata,  
usque commonstrans via qua patescat  
certa triumphis.<sup>1</sup>*

<sup>1</sup> Arcus imperatoris Constantini, qui *instinctu Divinitatis* Romanum venit et per salutiferam Crucem victoriam de immani tyranno Maxentio ad pontem Milvium reportavit. Ex hoc monumento nova, nuper strata, *Triumphorum Via* patescit.

*Cernis Augusti patefacta laeva  
Ulpii et Nervae fora, templa et aedes,  
quae diu fossor tumulata nocti  
sustulit atrae.*

*Prodeunt rursus reparata in auris  
prisca virtutis documenta nostrae,  
in futurorum monitum nepotum  
condita terra.*

*Ne gradum, vecors, celera, vialor,  
sedulus visu spatiare circum;  
hisce vox sparsis temere resultat  
alta ruinis.*

*Forsan ingentis speciem sepulcri  
hae tibi praebent; latitat sub isdem  
attamen vitae redeuntis usque  
diva favilla.*

*Has super versas meditare moles,  
rite divinam modo nosce Mentem,  
et quid attollat minuative regna  
percipe prudens.*

*Imperi cunctis dominata terris,  
dissidens Christo, cecidit potestas;  
Imperi fausto Via nunc patescit  
omine rursus.*

*Ecce victrici redimita lauro,  
impias demum Patria execrata,  
Secta quas struxit malesuada, fraudes,  
tempa revisit.*

*Italae, plausus iterate, gentes,  
spem bonam vestris animis fovete;  
vere ceu primo, iuvenescit omnis  
Ausonis ora.*

*Aura fortunis Italica amica  
spirat e caelo; sociata Christo  
ingenii perget renovare mites  
Roma triumphos.*

*En resurgentि Patriae, e columna  
Ulpia insculpta speculatus Urbem,  
Caesarum victor, Petrus adprecatur  
prospera quaeque.<sup>1</sup>*

Romae.

V. G.

<sup>1</sup> Super caelatam columnam imperatori Ulpio Traiano dicatam eminent simulacrum aeneum Sancti Petri Apostoli.

## DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>1</sup>

**De voce latina apte collocanda.**

§ 1. - *De ordine fixo vocabulorum.*

VII. - Coniunctiones generatim praeponuntur ei voci vel sententiae seu propositioni quam cum praecedente connectunt; v. g.:

Pulvis et umbra sumus (HOR., Od., 4. 7).

Itaque, si quid scias, mecum id communica.

Donec eris felix, multos numerabis amicos (OV., Trist., 1, 8).

Verum « enim, igitur, autem, vero, quoque » post primam vocem ponuntur; v. g.:

Attendite enim diligenter (CIC., Verr., IV, 33).

Post duas voces ponuntur, quarum posterior est verbum auxiliare « sum »; v. g.:

Moriendum est enim omnibus (CIC., Tusc., 1, 5, 9).

Adhibita est igitur ars quaedam extrinsicus (CIC., De Or., I, 42, 188).

Quid est enim fletu muliebri viro turpius? (CIC., Tusc., II, 24, 57).

Ratio est enim quae praestet omnibus (CIC., De Nat. deor., II, 53, 133).

Item secundae aut etiam tertiae voci postponuntur, maxime si propositio incipiat negatione aut pronomine relativo, aut voce interrogativa, et secunda aut tertia vox sit magis praincipia; v. g.:

Non dicas igitur... (CIC., Tusc., I, 7, 13).

Non videt autem... (CIC., Tusc., I, 27, 67).

Num non vis igitur audire? (CIC., Tusc., I, 32, 77).

Quid curet autem qui ne sentit quidem? (CIC., Tusc., I, 38, 92).

Ille mihi videtur igitur vere augurari (CIC., De Div., 1, 15).

<sup>1</sup> Cf. fasc. sup.

Postponi etiam possunt post plures, sed raro; v. g.: *Cur non de integro datum poculum?* (Cic., *Pro Client.*, 60).<sup>1</sup>

« *Enim, igitur, autem* », fere intercedunt inter praenomem et nomen; v. g.:

P. autem Vatinius (Cic., *Phil.*, I, 6, 12).

« *Quoque* » quum ad unam vocem referatur, huic postponitur; v. g.:

*Proxime illum quoque fefellerem* (Cic., *Pro Rab. Post.*, 12).

Ut quod ego facio tu quoque animum inducas (Cic., *Ep. ad Fam.*, V, 8, 2).

« *Igitur* » primo loco interdum legitur; v. g.:

*Igitur* fratrem exheredans faciebat auctorem (Cic., *Phil.*, V, 10).

« *Itaque* » saepius primum locum obtinet; v. g.:

*Itaque* rem suscipit (Caes., *De Bel. gal.*, I, 9).

Obtinere etiam potest secundum: Ego *itaque* pacis, ut ita dicam, alumnus (Cic., *Phil.*, VII, 3).<sup>2</sup>

« *Tamen* » primo loco positum plerumque emphasis redolet; v. g.:

Etsi sine re nulla vis verbi est, *tamen* eadem res saepe aut probatur aut reiicitur alio atque alio elata verbo (Cic., *Orat.*, 22, 72).

« *Et, ac, at, atque, atqui, neque, nec, aut, vel, sive, sin, sed, nam, verum, quare, quamobrem, quocirca* » semper primae voci praeponuntur; v. g.:

Nam quid ego de Gratidio dicam? (Cic., *Ad Quint. fr.*, I, 1).

« *Que, ve, ne* » primae voci annexuntur; v. g.:

<sup>1</sup> Quum « *est* » in fronte legitur, *enim, igitur, autem*, proxime sequuntur; v. g.: *Est enim effectrix multarum voluptatum* (Cic., *Fin.*, II, 17, 55). *Est igitur ambulantibus ad hunc modum sermo ille nobis institutus* (Cic., *Tusc.*, II, 4, 10).

<sup>2</sup> Ergo secundum locum obtinet post parenthesim.

Capitolium *diique* et homines tenuerunt (Tit. Liv., V, 51).<sup>1</sup>

Reliquas coniunctiones nonnunquam vox, cui praecipua vis inest, praecedit cum verbis quae ad illam vocem praecipuam pertinent; v. g.:

*Pecuniam si cuipiam fortuna admetit* (Cic., *Ad Quint. fratr.*, XVI).

*Hoc tempus si amiseris* (Cic.).

*Valere ut malis, quam dives esse...* (Cic.).

*Hoc quum dicit, illud vult intelligi* (Cic.).

*Qui quoniam quid diceret intelligi* nouit omittamus (Cic.).

*Quem ut viderunt, omnes, infecto negotio, egressi sunt* (Cic.).<sup>2</sup>

VIII. – Adverbium « *non* » immediate illi voci praeponitur, in quam cadit negatio; v. g.:

*Non te reprehendo, sed fortunam.*

*Hoc factum est, non consilio, sed casu.*

*Cur tantopere te angas, intelligere sane non possum.*

Sed quibusdam vocibus « *non* » modo anteponitur, modo postponitur, sensu valde diverso, ut: *non nemo, nemo non; non nulli, nulli non; non nihil, nihil non; non nunquam, nunquam non; non tantum, tantum non; nonnusquam, nusquam non.*<sup>3</sup>

Voces « *quisquam, ullus, unquam* » et similes nunquam ponit ante negationem, quae in illas influit; v. g.:

<sup>1</sup> « *Que* » secundae voci annexitur, quum secunda et prima vox intime coniunguntur; v. g.: In hoc igitur tanto *tam immensoque* campo (Cic., *De orat.* 3, 31). - Tot *tam variisque* virtutibus (Cic., *Tusc.*, V, 25, 72). - Item, annexi potest secundae voci, quum prima est praepositio monosyllaba; v. g.: Roman (Cato) demigravit, *in foroque esse coepit* (Corn. Nep.).

<sup>2</sup> « *Ut* » frequenter postponitur vocabulis « *vix, poene, prope, nemo, nullus, nihil, tantum* »; v. g.: *Vix ut arma retinere posset.*

<sup>3</sup> « *Nisi... non* » et « *non... nisi* », quibus fere a Cicerone aliiquid interseritur, idem sonant.

*Nemini quidquam negavit.*

Quum, post « *nemo est, nihil est, quid est* », sequitur propositio relativa cum « *non* », negatio statim, aut saltem proxime, sequitur relativum; v. g.: *Nemo est qui non* hanc animi affectionem probet (Cic.).

*Quis est qui id non maximis efferat laudibus?* (Cic.).

« *Nisi... non* », « *non... nisi* » ita usurpatur, ut « *non* » ante verbum ponatur, relicta voce « *nisi* » ante vocabulum exceptionem designans; v. g.:

Hoc sentio, *nisi in bonis amicitiam esse non posse* (Cic., *De Am.*, 5).

« *Ne... quidem* » semper ita usurpatur, ut media inseratur vox, cui praecipuum inest pondus; v. g.:

Assentatio ne *libero* quidem digna est (Cic., *De Am.*, 24).

Epaminondas adeo fuit veritatis diligens, ut ne *ioco* quidem mentiretur (Cic., *Att.* IX, 19).

Ei ne *integrum* quidem erat ut ad iustitiam remigraret (Cic., *Tusc.* V, 21, 62).

(*Ad proximum numerum*)

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

## SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE

LATINE VULGATAE

## NOTITIAE.

### DE ALUMINIO IN SPECULIS PARANDIS.

Doctor H. Spencer Jones in commentario *Nature*, num. 3363, agit de opportunitate adhibendi aluminium in speculis parandis potius quam argentum.

Potentia reflectiva argenti et aluminium pro longioribus undis est fere eadem, quamvis aliquantum inferior pro aluminium. Sic, exempli gratia, pro undis cuius

longitudo est micron 0,7 potentia reflectiva argenti est 0,95, dum pro aluminium est 0,87.

Sed pro brevioribus undis argentum praebet selectivam absorptionem pro undis 0,315 micron. Aluminium vero nullam subit absorptionem, et potentia reflectiva etiam pro regione ultravioleta permanet 0,85 pro undis 0,35 micron, et 0,83 pro undis 0,30 micron, dum pro argento esset 0,08.

Sed id quod magis favet aluminium hoc est: superficies aluminica specularis multo stabilius, et ab agentibus atmosphericis incorrupta permanet, dum superficies argentea facile corrumpitur, praesertim per anydridem sulphuricam in aere existentem.

Aluminii stratus nequit obtineri per projectionem cathodicam ut fit cum argento, sed bene obtineri potest per evaporationem in vacuo.

## DE STROBORAMA.

A. Seguin retulit nuper, coram Associatione Gallica inter electricarum rerum peritos, descriptionem apparatus stroboscopici ab ipso instructi, quo observatione phaenomenorum periodicorum fieri potest in quolibet punto periodi ipsius, praefinito cum approximatione in tempore, cuius ordo est decies centesimam millesimam partem momenti secundi.

Lucis intentio ea est, ut phaenomena visibilia permaneant etiam perluciente die.

Apparatus constituitur per intensam lampadem neon in circuitu electrico, in quo per brevissimum temporis spatium immittitur vis electrica ex condensatoribus, qui per currentem, ampulla rectificatrice interposita, constanter electricitate ditantur. Immissio haec determinatur scintilla, quae per clausuram periodicam contactoris synchroni, ad libitum experimentatoris assignatam, in adnexo spineterometro provocatur.

Unica etiam emissio luminosa bene sufficere potest ut expressio photographica habeatur, ita ut phoenomena quoque rapidissima facile sit reproducere, ut ex. gr. motus missilium, vel motus eliae.

Insuper, per opportunam et gradualem phasis variationem in contactore, haberi possunt super eadem lamina cinematographica reproductiones alicuius phaenomeni per plura millia imaginum secundo quoque temporis momento.

#### DE TRANSLATIONE PER PARALLELISMUM SUPER SPHAERA.

Tullius Levi-Civita Lyncaeus, in memoria quam praebuit Pontificiae Academiae Scientiarum ostendit translationem, super sphaera, per parallelismum iuxta curvam clausam, monodromam evadere, tunc tantum quum ipsa curva aequa dispergit sphaericam superficiem.

#### DE ISOTOPIS CALCII.

Notum est isotopum calcii, cuius numerus 41, difficultatem opponere, eo quod probabiliter non a calcio, sed a potassio procedat.

Difficile est in rem inquirere quum integra separatio calcii a potassio hucusque obtineri non potuerit. Nuper Aston doctor ex Officina Calvendich Cantabrigensi, omnino excludere feliciter potuit potassium ex quodam praeparato calcii, et conclusio fuit isotopum 41 non existere in calcio, quantitate saltem quae superet partem unam in mille. Isotopi igitur calcii reducuntur ad numeros 40, 42, 43 et 44, quorum primus constituit fere totam massam calcii.

*Lepores duos qui insequitur, is neutrum capit.  
Pirum, non ulmum accedas, si cupias pira.*

P. SYRIUS.

## COLLOQUIA LATINA<sup>1</sup>

### XIII.

#### Silentium et attentio.

SIGISMUNDUS, CAELESTINUS.

SIGISMUNDUS. – Dupliciter peccatur in gymnasio quotidie, ab aliis hoc, ab aliis illo modo.

CAELESTINUS. – Quae sunt ista?

SIG. – Confabulari et Praeceptor non attendere.

CAEL. – Qui prius designant, utroque tenentur.

SIG. – Ita prorsus existimo. Verum qui aliud, alibi oculis curiose divagantur, pingunt animalia, equites, stultos, libellos ineptos legunt, chartas et scanna considunt; illi in posteriore genere culpam castigabilem committunt.

CAEL. – Vere dictum sentio et novi quorum ista est consuetudo.

SIG. – Tu ipse unus ex illis es.

CAEL. – Egone?

SIG. – Ita; nae.

CAEL. – Falso hoc in me vitium confers.

SIG. – Mentiri non est meum.

CAEL. – Attentissime audio.

SIG. – Non semper.

CAEL. – Quando eorum quae tu commemorasti aliquid ago, quasi si quid per transennam inspicarem, et levi brachio id fit.

SIG. – Ut elevat hic peccatum suum!

CAEL. – Haud elevo; ut loquor, ita res.

SIG. – Quin est quando sermunculos seris cum proximis.

CAEL. – Demiror tantum tibi esse otii a rebus tuis, ut aliena cures.

<sup>1</sup> Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Pro-gymnasmata latinitatis*. — Passim retractavit, ho-dierisque moribus aptavit I. F.

SIG. – Tam sine pudore id perpetrast, ut non possim non notare; videret vel caecus, audiret etiam surdus.

CAEL. – Vicissim te captabo.

SIG. – Capta, non capies tamen. Sed extra iocum; desiste, si te amas, ab huicmodi virtutibus, et noli cum te ipsum privare tantarum utilitatum fructu, tum alios impediare.

CAEL. – Quos alios impedio quum tenuissimo sono loquar?

SIG. – Qui proprius tibi assident dextra, sinistra et a tergo.

CAEL. – Apage cum superstitione ista religione tua.

SIG. – Amice monenti volens obsecunda, et bono tuo consule; alioqui coactus, non mihi, sed Magistro.

CAEL. – Adeo infanda haec tibi peccata videntur?

SIG. – Magna proculdubio suo in genere. Nam quid indignius ac turpius in schola delinqui possit, haud dispicio.

CAEL. – Nisi aut ego mutus fiam, aut tu obsurdescas difficile pax inter nos erit.

SIG. – Tu considera quorsum eas, et quid tibi futurum sit. Auceps quando concinnavit aream, effundit cibum: aves assuescunt, saepe edunt: semel si sunt captae, rem solvunt aucupi.

CAEL. – Intelligo parabolam. Opere maximo dabitur opera, ne fraudi sit hoc aucupium.

flagravit: iamque classis prope universa in rebellium manus, Cretam insulam versus congregari contendebat, quum celeriter non minus legitimae copiae, a militiarum magistro Condylis ductae, eam insectantur, ignivomis globis ex aëroplanis demissis deturbant, demoluntur, deinde magnis itineribus seditiosos persequentes, eos ad Strumam flumen assequuntur, fundunt; eorum dux Kamenos cum praetoria cohorte Bulgariam fuga petit, ubi omnes dearmanunt et sub custodia recipiuntur: Venizelos, e sua parte, in Dodecanesum confugit, indeque in Italiam; rebellantes in discriminis periculo sic a suis destituti, in ditionem atque potestatem victoris se dedunt, hisce tantum fructibus partis, sanguinis effusione, publicique aerarii ingenti iactura.

\* \*

#### Vulnus Versaliensi foederi a Germania illatum.

Vix statuta fuerat dies, in qua Anglorum ad exteriores administer Simon Berolinum teneret ad colloquia de Europaeorum populorum pace firmanda, quum Germanicum gubernium universo orbi consilium nunciat militum stipendia, quibus omnes teneantur, restituendi, copiasque omnis generis ipsaque instrumenta bellica augendi, spreto sic palam Versaliensi foedere, quod limina ad rem constituebat. Nemini dubium esse potest quot motus ubique in omnium animo ex facto hoc excitati fuerint. Anglia statim apud Germaniam graviter conquesta est, quaesiisque simul, utrum utilis possibilisque videretur Simonis adventus Berolinum; quum autem affirmative responsum esset, Anglicus ille administer Germanorum in urbem caput se contulit, colloquiaque cum Cancellario simulque rei publicae Praeside Hitler habuit, Londinum deinde rediit, parum, ut dictant, Germanicae defensionis contentus. Interim Gallia querelas

## ANNALES

### Apud Graecos seditio.

Primis nuper elapsi mensis Martii diebus, apud Graecos seditio per factionem, cuius Venizelos est princeps, exorta est in rei publicae hodiernos ministros, quibus Tsaldaris praest, nimii favoris in monarchistas accusatos. Incendium rapide

suas apud Nationum Societatem de removit, ad quas affirmant Italianam accessisse; dum Eden, Anglorum et ipsum administrum Moscovia atque deinde Varsavia urbes recipiunt.

Caelum profecto valde nebulosum est, tumentque negotia; confidere liceat ut ex conventu, qui ad diem XI ineuntis huius mensis Aprilis, inter Angliae, Galliae, Italiaeque rectores summos, Stresae ad Italiam pagum congregabitur, clarescat!

POPLICOLA.

## VARIA

### Sitne pecunia belli nervus.<sup>1</sup>

Quia facile est cuique bellum movere, at non quisque confidere potest id, quod lovet, idcirco decet ut vires nostras recta ratione metiamur, antequam expeditionem aliquam suscipiamus. Sed opus est hic prudentia quadam, ne aut subditorum benevolentia, aut situs locorum, aut quae hisce similia sunt, id tibi persuadeant, quod armorum tuorum robore efficere nequeas. Prosunt illa quidem omnia, si cum strenuorum militum virtute coniuncta fuerint; at seorsim vires tuas parum augent. Sine strenuorum militum virtute nihil prosunt thesauri ingentes, nec situs regionis natura loci munitus: benevolentia subditorum non diutius durat, quam illos defendere potes. Omnes montes, omnia maria, omnia loca munitissima pervia fiunt, nisi viris fortibus defendantur. Pecuniae magna vis non modo nequit te sola defendere, sed maiori periculo adhuc te exponet; falsa-

que est ea sententia, quae dicit *Pecuniam esse nervum belli*. Pronuntiavit eam primo Q. Curtius, in bello Antipatri Macedonis contra Regem Spartanorum, videbat quod Spartani pecuniae inopia dimicare coacti fuerint, eoque praelio fractum; quod si protrahere bellum potuissent, futurum erat, ut nuntiata paulo post Alexandri morte in Graecia, victoriam sine sanguine obtinuissent. Sed quia pecunia deerat, metuebantque Spartani ne miles diffueret, ob idque praelium committere coacti, succubuerunt: idcirco dicit Pecuniam esse nervum belli. Quam sententiam aetatae nostra omnes principes in ore habent; at non, ut mihi quidem videtur, sapienter. Nam huic veluti fundamento innixi, existimant thesauros sufficere ad sui defensionem, nec animadverunt, quod si thesauri sufficerent ad hostes vincendos Darius potuisset Alexandrum superare: Romani a Graecis vinci et, nostra memoria, Helvetii a Carolo Burgundico superari. Et ante paucos dies, Pontifex cum suis, tum Florentinorum viribns, non tanta difficultate apud Urbinum debellasset Franciscum Mariam, Iulii II Pontificis nepotem. Sed omnes ii, quos iam commemoravimus, ab iis victi sunt, qui in fortitudine militum potius, quam pecunia praevidit posuere. Croesus, Lydorum rex, Soloni Atheniensi monstravit ingentem thesaurum, quaesivitque quid de tanta potentia sentiret. Cui ille, bella geri et praelia committi ferro solere, non auro, respondit; ac fieri posse, ut is thesaurus ei ferro eriperetur. Post Alexandri Magni interitum, traiecit in Graeciam Gallorum exercitus quidam, et ex Graecia postmodum etiam in Asiam; tandem missis ad Macedoniae regem legatis, cum illo de pace agere coepit. Rex, ut illos terreret et potentiam suam demonstraret, thesauros suos ostendit; quos quum Galli conspexissent, magno desiderio eorum flagrantibus, nil amplius de pace agere vo-

luerunt; ac tandem eo ventum, ut per ea ipsa in quibus praesidium omne defensionis ponebat, victus iisque spoliatus fuerit. Et Veneti, ante paucos annos, quum ingentes thesauros cumulassent, statim universam ditionem perdidierunt, nil adiuvante vel auro vel argento. Contra communem ergo vulgi opinionem pronuntio: non pecuniam, sed militum virtutem esse nervum belli.

(Sequitur)

\* \*

### Puer et Mater.

Stabat in ludum literarium puer parvulus, atque illic condiscipulis suas tabellas negligentius asservantibus, suffurari, eas et afferre matri solebat. Haec pueri furtis delectabatur; tantum aberat ut ob delicta filium suum castigaret. Itaque ille, quod in pueritia facere assueverat in parvis, grandior in magnis etiam exercere coepit. Deprehensus autem quodam tempore in manifesto furto et capite damnatus, quum ad supplicium duceretur, valde obsecravit carnificem, ut sibi matris, quam sequi cum lacrimis et eiulatu animadverterat, compellendae potestatem faceret. Qua facile impetrata, os ille, tamquam arcanam quondam orationem habiturus cum matre, ad aurem ipsius applicat, et mordicus hanc arripit. Quod factum non solum matre, sed etiam multitudine male ferente, neque ut furi faciente convicia, sed etiam ut impio, docuit ille matrem se ultum, ut posset, quae causa esset illius exitii et ignominiosae mortis. - Si enim, quum quondam — inquit — ad eam pueriles afferebam tabellas me castigasset, non processissem eosque audaciae, qua nunc ad crucem adigor.

Fabula monet, neglecta delictorum supplicia causam esse solere, ut illa maiora fiant et cumulatiora.

### Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM PASCHALIUM ORDO:

*Promulsis ex ovis tostis et succidiis.*  
*Farinaceae lunulae, subacta carne farta.*  
*Lactes, Cynarae scolymi, aliaque fricta.*  
*Minutal Parisiense.*  
*Agnus assus cum lactucis agrestibus.*  
*Libum Paschale.*

\* \*

### Iocosa.

TUCCIUS Patri:

— Verum ne est fungos umentibus in locis nasci?

— Ita quidem.

— Ah! nunc tandem intelligo quia umbraculi forma sint praediti!

TUCCIUS in schola.

MAGISTER: — Dic mihi quis sit asinus.

TUCCIUS: Est... est equus, qui studere noluit.

\* \*

### Aenigmata.

I

Pars anni bis sexta vocor. Mihi littera prima

Demitur? Infligit vulnera mucro meus.

Prima redit, sed abit paenultima littera, abitque  
Ultima? Pars melior tum putor esse tui.

II

Sum verbum? Mihi ne pare! Do iussa ne-  
[fanda:

Spernere te leges atque nocere volo.

Sum nomen? Lateo sub dumis herba mo-  
[desta,

Ast, ubi sim, semper prodit amoenus odor.

Aenigmata in superiore numero proposita his respondent: 1) *Pala, Palla, Pa-  
lea, Palma;* 2) *Iuba-r.*

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: « De republi-  
ca disputationes ex prima decade T. Livii » la-  
tine redditum H. BINDI.

## LIBRORUM RECENSIO

I. B. BELLISSIMAE *Liviola*, Senis, ex Bernardiniana officina typographica, a. 1934, pag. 17. — Venit libellis VI.

Decebalus, stipendia, Domitiano Traianoque imperantibus, emeritus, Roma Nicaeam reversus, dum mente revolvit res romanatas foede, corruptis moribus, collapsas, altioraque avet insueto quodam studio rerum novarum, novo quodam veterum fastidio, inscius accedit ad Christi lumen, quo iam collustratae vivunt Calpurnia uxor et Liviola filia deliciaeque sua. « Tanta quidem in Liviola ore — sic enim eam scriptor depingit — inerat suavitas ut cum, neutro parente comitata, non dumtaxat nigris oculis sed nigro promissoque capillo, per candidissimos humeros leniter fluitante, decora, per Nicaeae vias incederet, utrum mortalis virgo a divino quodam sanguine genita esset ambiguerent cives: scilicet praetereuntium oculi in eam, velut in alteram archilociam Neobulen, manu rosam cum mirteo ramulo gerentem, convertebantur. At illa, procera, gracilis, venustatis secura, cum omnibus facilis, in egenos misericors, flori versicolori, in sentibus nato, simillima, larem suum radianti luce decorabat; laris suea siren optatissima erat ».

Scilicet quae forma, quae venustas, quae lux exterius fulgebat, interius castis alebatur Christi amorphibus; lampadi lucidissimae pars, quae non suam effundit lucem, sed alienam interius enutritam, nec tam sibi quam, magis, praetereuntibus, iter indicans tutum ad veritatem, ad vitam.

Meditanti itaque patri, strenuo duci, ac novum rerum ordinem veluti somnianti, Liviola occurrit, quae « prudenti matris nutu, limatulam gemmam, oposphragismate decoram, in quo Calvariae opprobrium, ubi Christus de cruce pendebat, sculptum erat » eidem ostendit, cuius mens « tum primum subito clarissimoque lumine collustrata est » ... Nec multo post prima lux effulget in plenam meridiem... « Cum Decebalus loquendi finem fecisset, Liviola utrumque parentem amplexata est. Velut cum, aperto caelo, post-

quam intonuere poli et crebri ignes aëra secuere timueruntque gentes ne fulminibus percellerentur, pluvius describitur arcus, et dilapsa spes redire audet, ita Liviola, qua erat animi suavitate, altum exedit patris dolorem ».

Concluditur hisce fabella, quae tanto nitorre splendet, tantam redolet suavitatem, ut animum commoveat, licet hic illic scriptor videatur nimis sui stili sollicitus.

s. r.

## Libera a pittaciis responsa

Rev. v. ANTONIO REI... *Vici*. — Summa, quam misisti, exigua nimis videbatur; post vero alteram diribitoriam chartulam tuam, tibi morem gessimus, quemadmodum te iam vidisse putamus.

CL. dri. GUSTAVO POD..., *Mutinae*. — Malo fato, scripti illius typos servare minime cogitavimus, ut deinceps volumen conficeretur.

CL. v. JOSEPHO SAR..., *Mediolani*. — *Parvi antibarbari* ne exemplar quidem unum superfuit, tempusque omnino me deficit ut novam editionem comparem, quae ampliorem reddere mallem.

CL. dri. IUNIO GAR..., *Anconae*. — Ec quando ad nos mittes recensionem voluminis, quod iam diu tibi tradidimus?

CL. dri. VINCENTIO POL..., *Aretio*. — Ignoscas mihi quia nondum ad te rescripsi; tot sum curis et laboribus pressus, ac pene demersus! — Carmina tua in *Alma Roma* edenda mittere ne ultra, quaequo, remoreris!

CL. v. dri. VINCENTIO GRA..., *Augustae Taurinorum*. — Quisnam in medicorum commentario *Le forze sanitarie Romae* edito, notulas illas et summaria latine scribit?... Miror quod ex scribendi genere hominem non perspexeris!

A SECRETIS.

ANTHEA<sup>1</sup>

videbatur, nec quid illud esset diu cogitanti apparebat.

Postquam animus cum re concidit, Alexandriam profectus est proconsul, itinere nusquam cura vacuo usque Brundisium, speque cito deiectus, quam conceperat, fore ut novis rebus videndis iungendisque amicitiis tandem aliquando posset mente consistere. Frustra etiam tentavit intermissam Urbis consuetudinem revocare, seque ingurgitare in voluptates, quibus animum a molestia avocaret. Denique ad ultimam perductus tristitiam, de eripienda sibi lucis usura cogitare coepit; iamque rei certum constituerat modum, quum singularis quaedam in somnis obiecta species a diro eum consilio deterruit. Sibi enim visus est cymba amnem traicere et in opposita ripa cernere quasi servae figuram labore fractae ipsum praestolantis; eandem audire, data reverenter salute, dicentem, se ipsius esse molestiam, processisse ut obviam occurreret. Tum primum expavit qui ad nullos casus antea extimuerat, simulque intellectus, si de altera vita cogitare sibi non liceret sine moestitia, hanc etiam post fata comitem futuram.

His pressus angustiis extremum consilium coepit percontandi philosophos, qui in Serapeo versarentur, si quam forte medicinam afferrent; sed qui difficilem extricaret nodum tolerandi ab ipso doloris extitit nemo.

<sup>1</sup> A sociis et lectoribus nonnullis nostris non semel requisitum est, venalene prostaret scriptum hoc, quod magister noster desideratissimus PETRUS ANGELINI ex fabula H. Sienkiewicz: *Eamus ad ipsum* anno 1898 latine compositus pro commentario *Vox Urbis*, quem tunc moderabamur. Quum vero alibi nunquam editum fuerit, iterum illud vulgare in nostris paginis constituimus, pro certo habentes id gratum acceptumque legentibus omnibus futurum.

Erat eo tempore sapientiae facile principes in civitate Timon Atheniensis, vir nobilis atque, ut habebatur, omni doctrina eruditus institutisque philosophorum abundans. Is, miti ingenio ac peracuto, multis ab annis Alexandriae degebatur,

Easdem ille sibi reddidit voces statim ut ab Anthea nuptialis forma est recitata: *Ubi tu Caius, ego Caia.*

Anno vix expleto a confectis felicissime nuptiis, Anthea coepit adversa conflictari valetudine excitarique somniis per quietem terrificis. Sub meridiem vero sibi videbatur sentire tacitos prope se gressus; mox existimabat venire ad se mortui hominis pallidum os ipsam intuentis et quasi invitantis. Quibus visis, simul atque imminebant, vehementer exterrita, super viri pectus corruens:

— Succurre, — clamabat — succurre, Cai.

Frusta undique arcessiti consultique sapientes: frustra medici apprime nobiles conati sunt aequa adhibere curationem, donec, aucta in dies vi morbi, ea sequuta est infirmitas corporis atque gracilitas, ut cogeretur lectica deferri.

Intermissam Cinna moestitiam penitus revocavit indoluitque vehementius, quod capiti timeret rerum omnium sibi carissimo. Ne quid autem intentatum relinqueret, eam primum ad vicinitates Memphis secum duxit, ad umbram pyramidum, ubi quum nihiluelius convalesceret, Alexandriam remigrarunt. Heic vero, omniam spe destitutus, hariolos, sagas, genus omne balatrones aegrae lateri adiecit.

Inter haec iudeus quidam advenit, inclita fama medicus, nomine Ioseph, qui statim a Cinna advocatus, ubi Antheam inspexit, vesano daemonum urgeri spiritu ratus causatusque etiam periculum ex infesto aere propter Deltae paludes, mulieris Hierosolymam abducendae auctor viro fuit. Idque eo magis Cinnae probatum est, quod in celeberrima illa urbe Iudeae procurator esset Pontius Pilatus, secum amicitia coniunctus.

Hic hospitibus humanissime exceptis villam suam utendam obtulit, urbi vicinam; quo tamen beneficio nihilo rectius Anthea se habuit, terroribus non immi-

nutis, quibus adducta est in rerum omnium desperationem.

In atrio, quamvis et matutina tempora sint et porticus opacet locum, caletur maxime. Prope aedem, ad palmam patulis diffusam ramis, Antheae lecticam deferri Cinna iubet floribus ornatam ac hyacinthinis. Deinde assidens aegrae arreptisque eius manibus, quarum candor parvum marmor extinxerat:

— Uti vales, — inquit — amica?  
— Satis bene — illa respondit deficiente voce, clausitque oculos, quasi petitura medicinam somno.

*Cuncta silent: ramos inter levis aura susurrat.  
Fons erat illimus, nitidis argenteus undis,  
Et gramen circa quod proximus humor alebat.*

Paulo post sopore excitata:

— Verene, — inquit — Cai, philosophus hac in regione versatur quidam, cuius ope aegri convalescunt?

— Hic eius generis medicos prophetas vocant. Atque ei profecto te curandam tradidisset, nisi et ipse circulator videretur. Is, quod contra leges et instituta civitatis plura in vulgus disseminaverit, capitis damnatus, iussu procuratoris est hodie cruci adfigendus.

Ad haec substristis flexit illa caput. Cuius auctum pallorem intuitus Cinna:

— Medicinam — inquit — afferet dies.  
— Mortis quidem, non vitae minister est atque satelles dies.


Diu uterque conticuit, Cinna saepe oculos coniiciente in lecticam conspersam floribus, in qua, veluti funebri lecto, composita iacebat uxor. Extrema vero is patiebatur cogitans, tam dilectae formae egregiaeque virtutis mox reliquum futurum nihil, nisi exigui pulveris modum.

(Ad proximum numerum).

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS



Nuperrime prodit

IOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 500 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1000, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXII

Romae, Mense Maio MCMXXXV

Fasc. V



# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequas; ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

### AEQUANDAENE MULIERES VIRO IN OMNIBUS DISCIPLINIS?<sup>1</sup>

#### II

Indubium esse omnibus existimo, quippe in rerum natura positum et constitutum, muliebre corpus quorumdam impatiens laborum esse, quibus si subiiciatur etsi voluntarium, luet, fortasse citius opinato, poenas temerarii conaminis. Non certe medicae heic disquisitioni locus; licet tamen summo saltem libare et festino calamo de re, quae dicenda coram putamus, ut ea perspiciantur quae vel silentio praetereunda videntur, vel verecunde tacenda arbitramur.

Ipsa conformatio membrorum, ipsa dispositione viscerum, ipsa nervorum compagine satis ostenditur iter, quod natura terendum feminae dedit, ab itinere, quod mari decrevit, longe diversum. Mas nascitur ad laborem, ad imperium; femina ad oboedientiam et amorem; in illo auctoritas, in ista gratia; in illo tenax propositi mens, in hac ambulatoria voluntas; in illo vis, et animus, in hac debilitas et

facilis timor; unum feminae quod mater sit, filios lactet, lallet, blandiatur, quod pulchri sint, quod formosi monstrentur digito; unum patri quod valeant, quod possint, quod praestent domi militiaeque, quod opibus crescant; denique suavitas in viro, et benevolentia requiritur, consilium vero et gravitas in muliere laudatur; postremo illi decus et nomen est si negotiosus, operosus, argumentosus per plateas, per nundinas, per agros in conspectu gentium quotidie versetur, huic si domissa, si parca rem domesticam gerat eo commendata magis, quo se minus in vulgum frequens ostenderit. Viros comparamus quercubus late in caelum porrigentibus ramos, mulieres violis humilibus, quae suaveolentes in sepibus delitescunt.

Ex hisce patet quibus, non repugnante habitu, non invita natura, disciplinis imbui mulieres possint. Omnis proinde ars, disciplinaque omnis absit, quae cum maternitatis officio, cum soliditate feminearum virium, cum infirmitatibus, quibus obnoxia a pubertate est, conciliari non possint. Absint ergo illiberales labores assidui, quibus homines opus exhibent quotidianum, perpetuum, perenne. Absint et illae disciplinae, quibus feminea vestimenta non bene aptantur, quaeque mulieribus

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup. mens. Martii.

non electio, sed necessitas dedit. Numquid architectus erit mulier per scalas, ac tabulata suspensa, vestibus implicata ...? An eas abiiciet, et virili habitu contemnenda procedet? Quid si nupta maternitati iam proxima? Quid si mater, lactentis filii, et vagientis cogitatione turbata? Arida ne feret mathematicae praecepta, quae per iucundas rapitur phantasiae regiones? Atqui vix unam et alteram mathematicam habemus mulierem, qui vix unum et alterum ex viris habemus linteis acu pingendis intentum. Singularia sunt haec individuo, non sexui communia; ideoque inter exceptions et monstra, non inter normas et leges ponenda.

Veniunt modo pictoriae artes, veniunt sculptoriae. Si res in pingendis tantummodo tabulis contrahatur, non video quid obsit. Circa sculptoriam artem, aliud est fingere statuam, aliud marmorarii opere fungi. Illam non nego mulieri, hanc labiosam et gravem omnino nego.

Atqui, — dicet aliquis, — nonne rusticae feminae in agris, in vicis una cum patribus, cum coniugibus, cum fratribus terram rastris exercent atque ligonibus? Exercent quidem, sed hoc interdum; quinimo et vidi arantes, et vidi metentes. At brevi; nam squalent, nam languent ubi his admoverint nuptae manus, quin etiam et ipsis in adolescentulis rarae huiusmodi sunt: infirmitates, mortesque sequuntur. Quod igitur natura capite plectit, illudne tentandum, optandum?

Propterea gravioribus laboribus exclusis atque reiectis, iis praesertim, qui maternitati, qui proli directe omnino, vel minus indirecte opponuntur, ea restant examine tentanda, quae caput quodammodo quaestionis habentur; utrum scilicet femina perorandis causis, iuribus dicendis, chirurgiae, medicinae, et similibus dare se possit, ut inde lucrum sibi, familiae, viro comparetur.

Ego, si cui voluntas acquiescendi sen-

tentiae meae, quam ego bonam credo, non tamen optimam profero, gravioribus de causis ulti concedo feminae medicinam et chirurgiam exercendas, tum quia, ut dixi, materna piissimaeque et misericordi feminarum indoli hae disciplinae, quibus aegra et affecta dolore corpora recreantur, apprime respondent; tum quia delicatissimae mulieri in vulneribus tractandis sunt manus, sunt blanda verba, sunt ineffabiles modi, quos sentit anima, calamus autem nequit exprimere.

Sumus ergo ne concordes circa mulieres viro aequandas omnino in medicis et chirurgicis disciplinis? Minime gentium. Nam video pueros et adolescentes his, quae sunt nunc studiis, circa plurima supervacanea distineri ac distrahi, quae nihil cum chirurgia, nihil cum medicina commune habent. Ut quid perditio haec? Graece scire, pulchrum: mathematice cognoscere, egregium; astronomica scrutari, iucundum; philosophica delibare — (parcite vera non occultanti) — opus periculosae plenum aleae... Iamque ita procedite per historias antiquorum temporum, per geographiam Babilonensis imperii, imperii Alexandri Magni, Romanorum, Barbarorum, Turcarum... Quaesum, quid est inter hanc geographiam et enteritem morbum, inter illas historias et trichophytum tonsurantem? Quae igitur feminei intellectus aciem consumunt, obtundunt, supervacaneis onerant crepundiis, resecentur! Futura medica in medica tantum incumbat; si, peracto cursu disciplinarum, ea voluerit quae ad ornatum, quae ad cultioris animi decus sunt, facile poterit comparare; manifestum experientia quippe est disci triennio in adolescentia facilis, quae decennio in pueritia aegre discuntur. Plurimis tot rerum sarcinae, quibus et pueri et adolescentuli gravantur in scholis, minime placent, et illud retrahunt experientia et vetustate commendatum proverbium:

*Pluribus intentus minor est ad singula sensus.*

Atqui si hoc iniquum pueris, quanto magis puellis, in quibus delicatum ac debilius viro corpus? Itaque affirmo: Ad instituendas feminas singulare totumque illis proprium aptatumque constituatur gymnasium atque athenaeum, ex quo otiosis, quippe ad medicinam et chirurgiam quae non sint, abiectis disciplinis, eae tantum tradantur, quae directe fuerint ad propositam rem adipiscendam; tum praxi multa confirmentur quae didicerunt; et habebimus medicas excellentes, eritque id aegrotantium magno solatio, et magno proventu.

G. P.

## DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>1</sup>

### § 2. — De ordine fixo vocabulorum.

#### A. — Regulae generales

I. — Nativus latinae phraseos ordo est ut, post coniunctionem, si adsit,

1<sup>o</sup>) in fronte ponatur nominativus; v. g.: *Demosthenes* abhinc annos prope trecentos fuit (Cic., *De divin.*, II, 57, 18).

*Mettius* Tullo devictos hostes gratulatur (Tit., Liv.).

*Gaudere* decet (Cic., *Tusc.*, IV, 31, 66).

2<sup>o</sup>) deinde voces quibus nominativus definitur ac determinatur: nominativum proxime sequuntur, atque eo propius, quo intimius cum eo connectuntur, scilicet adiectivum nomen primo loco, genitivus aut ablativus vel genitivus qualitatis secundo, tertio praepositio cum suo casu, quarto apposito; v. g.:

*Imago pulchra* (= adiectivum) *Minervae*, (= genitivus), *ex aere* (= praepositio cum suo casu), *opus Phidiae* (= apposito), hisce diebus ab Atheniensibus collocata est.

3<sup>o</sup>) tum casus verbi, qui huic antece-

dunt, atque eo propius, quo intimius cum eo connectuntur, scilicet: adverbium proxime ante verbum, accusativus proxime ante adverbium, casus obliqui proxime ante accusativum; v. g.:

Pater *magno cum gaudio* (= casus obliquus non tam intime connexus) *filio suo* (= casus obliquus magis connexus) *librum* (= accusativus) *hodie* (= adverbium) donavit.

Caesar a lacu Lemano ad montem Iuram millia passuum xix millia murum fossamque perducit (CAES., *De Bel. gall.*, I, 8, 1).

Quum plura sunt adiuncta

1) aut scribuntur ordine quo cogitantur; v. g.:

Plato, *iniquitate Dionysii, in maximis periculis insidiisque* est versatus (Cic., *Pro Rab. Post.*, 9, 23).

Menippus *meo iudicio tota Asia illis temporibus* desertissimus erat (Cic.).

Quae tamen generalia sunt magis peculiariis praeunt; v. g.:

Valerius *in templum ad tribunos* venit.

Brutus *Ardeam in castra* est profectus (Tit., Liv., I, 59, 12).

2) aut oratio incipit a remotioribus vel levioribus, usquedum in propioribus vel magis praecipuis sistat (= ordo physicus, chronologicus, gradationis).<sup>1</sup>

Sed infinitivus, participium in *dus* et supinum in *um* praeponuntur verbo a quo reguntur; v. g.:

Qui dies aestus maximos in oceano *efficere consuevit* (CAES., *De Bel. gal.*, IV, 29, 1).

Emblemata *evellenda curavit* (Cic., *Verr.*, II, 4, 22, 49).

In Volskos *exsulatum abiit* (Tit., Liv., II, 35, 6).<sup>2</sup>

<sup>1</sup> Si duplex locus occurrit, praeponitur is e quo in alterum proficiscimur; v. g.: Quum ab Epidauro Piraeum navi advectus essem (Cic.).

<sup>2</sup> Infinitivus et supinum post suum verbum emphaticae ponni possunt; v. g.: Pelopidas non dubi-

<sup>1</sup> Cf. fasc. sup.

4º) postremo verbum finitum; <sup>1</sup> v. g.: Metellus concors principi Pompeio consilium illud *excluserat* (CIC., *De Arusp.*, 45).

Pilius de repetundis Servilium *postulavit* (CIC., *Fam.*, VIII, 8).

Si adest quod « attributum » dicimus, hoc quasi unum quid cum verbo habetur et ei quam proxime ponitur; v. g.:

Nullum animal *aeternum est* (CIC., *De Nat. deor.*, III, 13, 34).

Me belli *ducem creavere* (TIT. LIV., XXIII, 8).

Verbum vero in fronte ponitur, tum in parenthesibus, tum quando occurunt « est » aut « sunt »; v. g.:

*Est enim finitimus oratori poëta, multis ornandi generibus socius ac poene par* (CIC., *De orat.*, I, 16, 70).

Praeterea verbum ante finem sententiae ponitur, si phrasis longior est, ita ut attentio lectoris, quae potissimum in verbum dirigitur, tamdiu sustineri nequeat. Item, si nimis multa verba in fine phrasos concurrent. Hinc, v. g. melius dices: *Se demonstrat incolumem esse non posse*; quam: *Se incolumem esse non posse demonstrat*.

Interdum verbum in fine ponitur, variandi causa. Ceterum, in stilo familiari, ut in epistolis, dialogis, etc., crebrius ex apparente quadam negligentia, vel potius ex facilitate quadam scribendi, verbum ante finem ponitur.<sup>2</sup>

tavit simul ac conspexit hostem *configere* (CORN. NEP., 16, 5, 3). — Athenienses miserunt Delphos *consultum* quidnam facerent de rebus suis (CORN. NEP., 2, 2, 6). — Inter infinitum et verbum finitum a quo regitur, ne ponas quae a verbo finito pendent, praesertim si verbum finitum infinito praecurrat.

<sup>1</sup> Ratio est quod Latini summopere cavent ne notiones principales post se trahant catervam vocabulorum sensui solum subservientium. Unde etiam, si verbum anteponendum fuit, saltem nomine vel infinitivo, ad intelligentiam sensus magis necessario, sententiam plerumque claudunt (Cf. ALVAREZ, *De constructione latina*). — Tullius aliquid solet intersere inter duo adiectiva, quorum neutrum redundat: v. g.; Frigidas sane et inconstantes litteras (CIC., *Fam.*, V, 16, 1). Cf. BERGER, p. 293.

<sup>2</sup> Latini saepe stilum invertunt, ut ad finem

II. - Voces quae ad unam notionem integre exprimendam inserviunt, simul ponendae sunt, nec separandae. Non raro tamen usurpatur trajectio, qua seiunguntur voces grammaticae coniunctas. Sic

a) pronomina, praesertim personalia, libentissime inter voces coniunctissimas interseruntur; v. g.:

*Septimus mihi liber Originum est in manibus* (CIC., *Sen.*, 11, 38).

*Ista mihi tua fuit periucunda a proposita oratione digressio* (CIC., *Brut.*, 85, 292).

*Faciliores mihi et meliores videntur* (CIC., *Fam.*, XI, 5, 1).

Pronomina demonstrativa item fere substantivum inter et adiectivum collocantur; v. g.:

Magnus ille Alexander.

Pronomina indefinita saepe inter adiectivum et substantivum intercedunt; v. g.:

*Divinam quamdam memoriam rerum* (CIC., *Acad.*, II, 1, 2).

Incredibilis *quaedam ingenii magnitudo*.<sup>1</sup>

b) substantivum intercedere potest inter duas voces quae sunt eius regimen; v. g.:

*Rerum nomina novarum* (CIC., *Fin.*, III, 4, 15).

Non suo, sed populorum *suffragio omnium* (CIC., *Fin.*, II, 3, 7).

c) adverbium seiungere potest substantivum ab adiectivo; v. g.:

usque sensus maneat suspensus (Cf. ALVAREZ, *De constructione latina*). — Quando verbum regimini directo praeponitur, actionem significantius fere reddit, etsi post nominativum occurrat: v. g.: « *Liber tuus vicit expectationem meam* », gravius dici videtur quam: « *Liber tuus meam expectationem vicit* ». Hinc casus verbi emphatice verbo postponi potest; v. g.: *Gravius est spoliari fortunis quam non augeri dignitate* (CIC., *Plane.*, 9, 22). — Nulla vitae pars *vacare officio* potest (CIC., *De Off.*, I, 2, 4).

Tullius aliquid solet intersere inter duo adiectiva, quorum neutrum redundat: v. g.; Frigidas sane et inconstantes litteras (CIC., *Fam.*, V, 16, 1).

Cf. BERGER, p. 293.

Quum ipsa oratio *iam nostra canesceret* (CIC., *Brut.*, 2, 8).

d) nominativus ablativo absoluto non nunquam interseritur; v. g.:

Recepto *Caesar* Orico, nulla interposta mora, Apolloniam proficiscitur (CAES., *De Bel. civ.*, III, 12, 1).<sup>1</sup>

e) genitivi quandoque separantur a nomine a quo reguntur; v. g.:

*Clarorum virorum post mortem honores* (CIC., *Sen.*, 22, 80).

Exempla imprimis *hoc* in se *boni* habent: approbant quae praecipiunt (PL. IUN., *Paneg.*, 45, 6).

Si *quid* est in me *ingenii* (CIC., *Arch.*, 1, 1)

f) adverbium seiungi potest ab adiectivo aut ab adverbio quae definit; v. g.:

Videsne *quam sit magna dissensio* (CIC., *Fin.*, II, 15, 49).

*Multo* eius oratio *essel pressior* (CIC., *De Or.*, II, 23, 96).

g) participium separatur a verbo auxiliari « *sum* »; v. g.:

Ut perpetuus mundi *essel ornatus*, magna *adhibita cura est* a providentia deorum (CIC., *De Nat. deor.*, II, 51, 127).

Omne argentum *allatum ex Sicilia est* (CIC.).

Qui in fortunae periculis *sunt* ac varietate versati.

h) Inter substantivum et pronomen aut adiectivum intercedunt saepe vocabula aut etiam propositiones, quae ab altero eorum pendent; v. g.:

*Illos de republica libros* (CIC., *Brut.*, 59).

In summa *bonorum ac fortium virorum copia* (CIC.).

Cato inimicitias multas gessit propter Hispanorum *apud quos fuerat* iniurias (CIC.).

In summis *quae nos urgent* necessitatibus (CIC.).

i) Inter regimen directum et attributum intercedere potest verbum; v. g.:

Themistocles *ferociorem reddidit civitatem* (CORN. NEP., 2, 2, 1).

k) Quid multa? Traiectiones omne genus invenire est; v. g.:

Quum sibi nullius essent *conscii* culpae (CIC., *De Off.*, III, 73).

Non est integrum Cn. Pompeio consilio *iam uti* tuo (CIC., *In Pis.*, 24, 58).

In his studiis ab initio *versatus* aetatis (CIC., *De Off.*, II, 1, 4).

Metello *Numidia evenerat*, acri viro (SALL., *Jug.*, 42).

Chrysippus magnam turbam *congregat* ignotorum deorum (CIC., *De nat. Deor.*, 1, 15, 39).

Vel vox composita *traiectione dividit* potest in partes componentes. Quod solet fieri cum « *antequam*, *postquam*, *priusquam* »; v. g.:

Altera pars *per mihi brevis fore* videatur (CIC., *Client.*, 1, 2).

*Quale id cumque est* (CIC., *De Nat. deor.*, II, 30, 76).

*Cuius rei libet simulator* (SALL., *Cat.*, 5, 4).

Non *ante abscessum est*, *quam hostem exuerunt castris* (TIT. LIV., XXXIX, 2).

Interdum separantur propositio prima et secundaria; v. g.:

*Peto igitur a te* (quoniam id nobis, Antoni, hominibus id aetatis, oneris ab horum adolescentium studiis imponitur) ut exponas... (CIC.).

Adiectivum suo substantivo adhaerbit; adverbium voci quam definit, regmina aut verbis a quibus pendent;<sup>1</sup> v. g.:

<sup>1</sup> a) Adverbia quae gradum denotant, ut *tam* et *quam*, semper praecedunt;

b) « *Iam nunc* » opponitur futuro; « *nunc iam* » praeterito;

c) « *Quidem* » fere sequitur vocem quam definit. Item « *demum* »;

*Prudens homo prudenter agit (Cic.).  
Romano bello fortuna Alexandrum abstinuit (Tit. Liv., VIII, 24).*

*Homo cum primis honestus (Cic., Fam., XIV, 4).*

*Vir eximie doctus.*

*Rigorem fortissime servat ulmus (Plin., XVI, 40, 77).*

*Calamitas virtutis occasio est (Sen., Prov., IV).*

*Dianae, imprudentes legis, nautae vitulum immolaverunt (Cic., De Inv., 2, 31).*

*Grammaticus non erubescit sola cismum, si sciens facit (Senec., Ep., 95).*

*Huc spectat ut vox quae aut cum aliis pluribus concordat, aut a pluribus regitur, aut plures regit, eis vel praeponatur, vel postponatur; non autem inter illas collocetur media; v. g.:<sup>1</sup>*

*Singulari virtute et gloria (Cic., Pro Mil., 27, 73).*

*Omnium oculos animosque in semet converterant captivae mater coniuxque Darii (Quint. Curt., III, 12).*

*Philosophia graecis et litteris et doctoribus percipi potest,*

*Frater carissimus atque amantissimus (Cic., Cat., IV, 2, 3).*

*Aeternitatis tenebris vinculisque (Cic., Cat., IV, 5, 10).*

*Ad rivum eumdem lupus et agnus venerant (Phaed., I, 1, 1).*

*Habentur et dicuntur tyranni.*

*In scriptoribus legendis et imitandis.*

d) Adverbium postponi potest per emphasis; v. g.; *Uti oratione prudenter (Cic.);*

e) Adverbia *fere, paene, prope, certe* postponi solent voci ad quam pertinent; v. g.: *Omnes fere familiares Caesaris me colunt (Cic., Fam., VI, 12).*

<sup>1</sup> Nisi tamen usurpatur traiectio; v. g.: Lysias, *egregie subtilis scriptor et elegans (Cic., Brut., 9, 35).* — Data est civitas *Silani lege et Carbonis (Cic., Arch., 4, 7).* — Indignum est a pari *vinci aut superiore (Cic., Pro Quint., 31, 95).* — Vici sumus aut, si *vinci dignitas non potest, fracti certe et abieci (Cic., Ep. ad fam., IV, 7, 2).*

*Hostes victoriae non omen modo, sed etiam gratulationem praeceperant.*

*Epistolae et orationes Ciceronis.*

*Quum respondere neque vellet, neque posset.*

*Barbari lingua et natione (Cic., De Signis, 50, 112).*

*(Ad proximum numerum)*

*S. Leonardi in Helvetia.*

I. Jss.

## DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA<sup>1</sup>

### II. — AETAS MEDIA.

Romulus Augustulus romanus non erat, sed barbarus, atque a barbaris deiectus est; ipse cadit, Roma autem stat, cultu, iure, nova religione; stat ut omnes undique populos ad se fascinatos efficiat, ut antea, romanos; aetas media, christiana, fundit novas gentes, uti fasces romani romanumque ius fuderant priscas; utrobiisque unum centrum, Roma. Historia non facit saltus; historia Europae, Africae, Americae et, magnam partem, Asiae est historia romana; lineam hanc quae ab Urbe dimanat qui praeterierit, ipse sese amittet, nihilque in iis percipiet quae facta sunt viginti ferme spatio saeculorum. Scilicet media aetas, salva quidem hominum libertate, superiore aetatem evolvit ac posteriorem praeparat; civitas romana per civitatem feudalem praeparat civitatem « nationalem » quam vocant; tamen in Imperio uno romano, ad saeculum saltem XVIII, et in romana una Ecclesia. Est igitur media quae dicitur aetas

<sup>1</sup> Cfr. fasc. mens. Octobr. MCMXXXIV — mens. Ianuar. MCMXXXV.

millennium (saec. v-xv), quo cultus ad innumeratas diducitur gentes, quae novis occupatis sedibus civilem dant sibi constitutionem, magis suae quaeque indoli accommodatam.

\* \* \*

Iam a saeculo III relaxabantur in dies magis vincula, quibus occidentales provinciae cum Imperio coniunctae erant; praefecti enim, licet Imperatorio nomine, maxima tamen libertate gubernabant, praesertim postquam, a saeculo IV exeunte, imperii pars occidentalis in anarchiam prolapsa est. Quam ob rem Gallia, Hispania, Africa ne vix quidem id animadverterunt, ultimum deiectum esse Imperatorem; quin imo ne Italia quidem animadvertisit; animadverterunt Germani, qui eo numerosiores atque audaciores descendunt quatuor ferme per saecula (v-ix); his nullus potuit resistere princeps; Pontifex Christianae Ecclesiae eos suscepit, mansuefecit, excoluit, ad cultum iuris, ad religionem aluit, educavit, ut quum tandem Imperium restitui potuit, ex iisdem Imperator existeret Romae consecrandus a Romano Pontifice, Romano ovante populo. Quod si mox nullus visus est tanto fungendo muneri par (saec. x), et si postea non satis omnes Imperatores devoti Ecclesiae matri fuerunt (saec. xi), immo vero aduersi aut aperte (saec. xii), aut minus aperte (saec. XIII-XIV), id maximo fuit in commodo et iuri, et religioni, et concordiae populorum, qui, unitate perfecta primum civitatis (saec. XIV-XVI), dein hic illic etiam religionis (saec. XVI-XVII) gentesque suam sibi libertatem vindicarunt, ita tamen, ut ius romanum iamdudum receptum non abiecerint, immo vero novas in leges deduxerint; scilicet unitas, quam Imperatores, suae impares celsitudini, exterius perfregerunt, intus latuit in populorum animo, et novo vere in nova iura prorupit.

\* \* \*

Habemus ita quattuor quasi aetatis mediae periodos: primam, qua Imperium barbaris pervadentibus corruit (saec. v-viii), alteram qua Imperium restituitur et stat (saec. IX-X); tertiam qua Imperium stat nomine, re vero acerrime in Italia detrectatur (saec. XI-XIII); quartam, qua civitates Italiae suam quaeque libertatem furent (saec. XIV-XVI).<sup>1</sup>

Periodos singulas breviter attingamus.

\* \* \*

Eruli barbari, duce Odoacre, ultimum imperatorem deiiciunt, et nomine imperii abiecto, Italiam tenent patricio nomine (a. 476-493); sedent Ticini, neque de ceteris imperii occidentalis partibus solliciti sunt, quas alii barbari invadunt.

His succedunt Goths, barbari iidem, duce Theodorico, quo vividius barbarus forte nullus romanam persensit vixitque vitam; regis nomen sumit, regisque sedem Ravennae ponit (a. 493-553). Theodosius Italiae regnum virtute militari ampliavit atque firmavit, retento Illirico, unde discessit, relictis e suis pluribus, recuperatis Dalmatia ac Sirmione, inter Savum Danuviumque flumina ad orientem, atque provincia Narbonensi in Gallia, ubi iam Franci valere cooperant; finitimos autem Vandals in Africa, Visigoths in Hispania, Francos Burgundiosque in Gallia amicitia sibi devinxit; Ecclesiae favet, iura colit, litteras fovit.

Sed eo mortuo (a. 526) Italiae res iterum declinant; byzantinus Imperator Italiae avet: Iustinianus diuturno bello (a. 535-553) Ostrogoths, degeneres quidem, concivit atque cum Italicis Byzantinisque dispersos, absortos permiscet, Italiam recuperat, non

<sup>1</sup> Aetas « nova » succedit, qua externe nationes, iam arte constitutae, Italiam conculcant de eaque inter se contendunt (saec. XVI-XVIII); huic « novissima », qua demum Italia suae redditu unitati ac libertati (saec. XIX-XX) reddit inter populos humanitatis iurisque magistra,



tamen omnem, sed peninsularem tantum; nec diu, sed brevissimo tempore (a. 553-568). Nam ecce alii barbari, Longobardi (a. 568-780), e nordicis irruunt silvis, duce Alboino, ad fines Italiae primum ducatum constituant; Forum Iulii,<sup>1</sup> padana aequora invadunt, Ticinum occupant, inter Mediolanum et Ravennam, quam sui regni sedem constituent. Successores duces inhumani, feri, vere barbari fuere usque ad Autarim (a. 584), qui romano assumpto nomine *Flavio*, regnum paulo mitius tenuit, Italiamque dominaturus peragravit usque ad fretum, ubi consistens exlamasse fertur: « Hic erit terminus Longobardorum »; non tamen undique Byzantinos pepulit. Itaque tum Italia maximam partem Longobardica fuit;<sup>2</sup> partim fuit byzantina;<sup>3</sup> partim libera;<sup>4</sup> prima dismembratio equidem funestissima, tamdiu producta, cuius damna nondum sunt reparata; sed in hac dismembratione barbarae gentes utique romana carne, sanguine romano enutritae sunt: dixeris matrem suis ipsam membris filios aluisse. Romanam enim vitam sugere studuerunt Autaris, Agilulfus, Rhotaris, Liutprandus; minus romani Astulfus et Desiderius, qui tamen postremi fuere Longobardi reges.

Nam detrectantibus Italibus et Pontifice, adversus Longobardos Franci descendunt, qui in Gallia praevaluerant: Longobardos Carolus concidit (a. 774), regnum Italiae sibi reservatum Pipino filio dedit, Benevento, Neapoli, Amalphia, Calabria et Sicilia exceptis; a Lucio III Pontifice Imperatoris Sacri Romani Imperii coronam Romae sumpsit (a. 800); imperium dilatavit hinc usque ad Iberum flumen, ubi « Marcam Hispanicam » constituit; inde vero

<sup>1</sup> Cividale nel Friuli.

<sup>2</sup> Italia superior et media interna usque ad Lucaniam.

<sup>3</sup> Exarcatus, Pentapolis, Apulia, Brutium, Insulae.

<sup>4</sup> Ducatus Romanus et Neapolitanus, Venetiae.

usque ad medium Danuvium, ubi condidit « Marcam Orientalem », seu « Austriam ». Obiit Carolus, qui « Magni » cognomen obtinuit, a. 814, imperium relinquens Ludovico I filio, qui mox tres collegas sumpsit, distributis imperii partibus: contigit Italia Pipino; successivis partitionibus discidiisque domesticis finem fecit pactio Virodunensis (a. 843), qua Ludovico II traditum est regnum Germaniae; Carolo cognomine « Calvo » regnum Franciae; inter utrumque Italiae et Lotharingiae, a mari nordico ad mare internum, Lothario II imperatori. Redit ita Italia ad Imperium, quod fere nihil aliud iam est, nisi nomen ac veneranda memoria.

Tandem et hoc evanuit, quum Carolus, « Grossus » nuncupatus, imperio privatus est: tum regna Franciae et Germaniae, unitate servata, suam quodque viam sequuntur, Italia vulnerata, dilacerata, diserpta; nunquam tamen perdomita, nunquam restincta horam divinae iustitiae exspectat, quosque populos unitos imperio continuat, unitos tenet adhuc in ipsa contentione, iure, cultu, et maxime fide.

Imperi corona ad Germanos transit, qui tamen, initio tantae celsitudinis domum non percepert, donec tandem, Italibus sine rege, sine duce in licentiam prolapsis, Imperatores Saxones, quasi consci facti imperialis dignitatis ac munieris, Italicas res reficerent (a. 955-1002), et bene mereri videntur de Imperio ac de Ecclesia; quos inter Sanctus Henricus II (a. 1024) eminet.

Sed quum Conradus III (a. 1026-1039), promulgato « Edicto feudorum » constituit feudi possent etiam hereditate successori transferri, acerrimeque restitit Albertus, Mediolani archiepiscopus, novum bellum exarsit, quod Conradi morte fuit interruptum: tum motus funesti Mediolani eoque magis Romae: tum funestissima Imperatorum interpositio in regimine Ec-

clesiae; cui repellendae obstitit acerrime ac sanctissime inter omnes Gregorius VII, Pontifex (a. 1073-1085), aliqui post eum. Composita est contentio per pactionem Wormensem (a. 1022).

Sed interea imperialis dignitas maximam passa erat iacturam in Italia, ubi civitates sibi quaeque consulere cooperunt totidem *Communia* efformantes, atque hac quidem Pontifici (*Guelfi*) illac autem Imperatori (*Ghibellini*) favere; nec in Italia modo, sed et in Germania. Itaque quum, mortuo Henrico V (a. 1125), Lotharius, Guelfus et Suevia, electus est, lucta exarsit utrumque, usque ad Fridericum I Aenobarbum (a. 1152). Hic bene quidem coepit, iure ac religione nixus; nam et consecrationem ab Ecclesia voluit, et promulgatum initium sui munieris coram iuris romani magistris, qui Roncaliam convocaverat. Sed mox idem adversatur liberis Communibus, adversatur Pontifici; infandum quidem, renascentis studii Bononiensis magistri, ex iure romano rem decreverunt pro Imperatore: aliud vero decrevit populus Italiae una cum Pontifice, una cum Episcopis, pro libertate, pro aris et focis; qui post asperrimam quidem luctam, tandem ad Lignanum, non sine manifesto Divinitatis instinctu, die 29 mens. maii 1176, religionis et patriae libertatem vindicarunt. Quam utramque dein servatam perpetuo voluere adversus successores usque ad Fridericum II (a. 1250), immo et adversus Francos Angiovinos, qui eidem successerant in Siciliae regno.<sup>1</sup>

Tam multas licet inter aerumnas, Italia vita communali, industriis, commerciis, iuribus, litteris, artibus omne genus, pietati denique claram navat operam, clariori profecto mox natura.

Imperium vero refici nunquam potuit; nam Conradus IV, Friderici II successor, brevi (per quattuor annos), nec sine

asperis contradictionibus imperium tenuit, nec in Italiam, morte praeventus, venit; venit quidem Conradinus, sed misere periit; pluribus contendentibus, interregnum, usque ad Rodulfum e domo Absburgica (a. 1273-1291) electum, qui tamen Italiam praeterit plane, uti praeteriere successores Adulfus et Nassau et Albertus Austriacus (a. 1298-1308). Huic trucidato successit Henricus VII e Luxemburgo; qui descendit quidem in hortum imperii, Romae etiam imperiale coronam recepit, sed Guelfis obsistentibus, cumprimis Roberto Angiovino, Neapolitano rege, magnas expertus est difficultates, atque morte praeventus, ne Germaniam quidem revisere potuit. Descendit quoque Ludovicus Bavarus, successor, sed mox coactus est domum confugere; nec magis profecit Carolus IV, neque eius filius, neque Albertus Absburgicus; immo ne Carolus V quidem (a. 1519-1556), quamvis potentissimus, imperium classico ac romano sensu restaurat. Imperium civile romanum suo munere functum esse videtur: quaelibet italica civitas suam tuetur libertatem, ut Status germanici, ut regna Franciae et Hispaniae; nova iam aperitur aetas; « status » exoriuntur ex civitatibus, ex regnis, ex feudis et in « nationes » contendunt. Imperatores iam non sunt nisi reges Austriae, quibus germanici populi, vario foedere coniuncti, parent, usque ad saeculum xix; quo ineunte, Imperium hoc deminutum scinditur in Austro-Hungaricum et Germanicum, utrumque initio saec. xx dilapsurum.

SILVIUS ROMANI.

Nunquam iustus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit: satis est, sed semper esurit sitque iustitiam; ita ut si semper viveret, semper, quantum in se est, iustior esse contendet.

<sup>1</sup> Vesperae siculae an. 1282.

S. BERNARDUS.

## FRANCISCUS PACELLI

De Francisco Pacelli, iurisconsulto Romano, e Romani Summi Pontificis placo Civitatis Vaticanae a supremis consiliis electo, notatum est optime *mortem docuisse virum mori.*

Carissimos enim amiserat mature, eheu, nimis ac coniunctissimos duos: uxorem, filium; Romanam illam e romana gente, vere viro dignam pietate ac fide romana; filium, iuventute florentem, Ignatiano ordini addictum, iamque virtutibus pariterque doctrina et suis et civitati et ecclesiae carissimam spem.

Quotidie tamen, summo mane, per Eucharisticam Iesu Communionem suevit vir piissimus utriusque sibi commercium redintegrare in reliquam deinde vitam; quam totam dedit familiae superstite officiisque multis, patriaeque et Ecclesiae.

Hoc enim arcto connubio Urbis huius nostrae fortunam vivere totam a pueribus annis didicerat ad aram et cineres Philippi Nerii, Romae patroni, quo et eum et fratrem, natu minorem, inter aequales pueros, pater, equestri ordine atque iuris officio et ipse clarus, voluit adesse sacris ministerulis, quoad aetas sivit utrumque. Iuvenum nempe par, cui illud in Hymno Neriano scriptum, de vigiliis a Philippo per catacumbas deductis, aptari vicissim valuit, vix immutatum:

*Ab Ipso satagens discere Nerio  
Normam qua bene viveret.*

Demenso autem studiorum cursu non sine constanti laude, dum minorem natu Ecclesia mater suo clero adlegit, supremos eius in sacro Purpuratorum senatu magistratus aliquando suscepturum, Franciscus, paterna vestigia sequutus, iuris curriculum init, quod inclita denique laurea coronat. Quam enim tunc « De aquis

publicis » dissertationem digessit, ad doctoris iura assequenda, eamdem deinde, auctus annis et multa negotiorum felicitate clarus, in librum auxit iurisperitis viris ex omni gente maxime probatum; Romanis autem nobis eo magis carum, quo veteris magnitudinis testimonia magis augusta supersunt tot aqueductus quot maiorum munificentia circumdedit Urbi.

Iamque haec auspicia, additis quotidie feliciter civilium negotiorum gestis atque experimentis, virum proponere civibus videbantur, qui publicis quoque rebus optime accederet, dum fata vocassent.

Quod equidem, ut praeclimari fortuna acciderat inter negotia multa sive sodalitatum religiosarum, quae illi agenda tradebantur, sive Romanarum Sacrariumque Congregationum, faustissime accidit divino nutu Romae et Ecclesiae universae. Quum enim, idque praeter multam opinionem *prudentum mundi*, immane bellum, in eam victoriam exierit, quae tres simul e solio everterit Caesares veterumque schismatum (Mahometani, Photiani, Lutherani), infaustos principes, quumque fines Italiae restituerit, fortunam redintegraverit; denique addiderit illi Ducem Virum qui, prope divino afflatu, nova auspicia novae aetatis omnia perscrutaretur, tutus acciperet, audax iniret, Franciscus hic noster a Summo ipso Petri Herede vocatus est, qui, una cum legatis suis primis, rem salebrosissimam ageret, componendi nimirum dissidii fere quinquagenarii inter Italiae regnum et Romanam Sedem.

Summis mandatis, iisque gravissimis, vir respondit, ut iuris peritia equidem sueta, ita dieque noctuque insuete ducto labore, sacra tamen omni pietate, itemque constanti atque ardenti iugiter Fide.

Quae omnia agnovit Romanus Pontifex, probavit, laudavitque, non secus ac Rex Italorum, una cum eorumdem Duce; dederuntque laudis publica testi-

monia. Quem enim, iam inter Consistorialis Aulae Advocatos Pontifex adscriptum invenerat, equestriumque ordinum per insignium decore honestatum, illum ad patricium ordinem, Marchionali titulo extulit, civitatique Vaticanae summum consilium addixit. Rex non aliter; qui magno equestris ordinis numismate eum exornavit.

Publica autem aestimatio civium aequaliumque omnium, virum lectissimum, quem equidem veri nominis iurisconsultum diu laudaverant: « qui legum et consuetudinis eius, qua privati in civitate uterent... et ad respondendum et ad agendum et ad cavendum peritus esset »; altius eumdem laudarunt « consilii publici auctorem »; qui « quibus rebus utilitas reipublicae pararetur, angereturque tenebat, iisque uteretur ».<sup>1</sup> Amici autem eius omnes magis magisque gavisi sumus et ei, quamvis modestissimo viro, et nobis, quum agnoscimus per magna ea facta ac per tanta praemia, non delebili nota Urbis nostrae fastis additum nomen eius, iterumque renovatis auspiciis tum civitatis cum Ecclesiae. Quamobrem vel hodie, dum cito morbo et suis et nobis virum, vix ultra annum aetatis sua sexagesimum, lugemus ereptum, non tamen luctus noster ignorat certas solatii caussas: virtutum eius nempe memoriam Fideique Speique christiana communionem cum illo nostram, dummodo et nos eius post vestigia vivamus.

Urbis enim huius nostrae matrisque communis Ecclesiae, quae heic habet principem Sedem, caelis autem culmen attollit, geminato sic studio vixit ac de utraque sic est promeritus, ut vel de illo scripta adamussim videantur ea, quae de ociori volatu animorum in sedem immortalalem ipse vel Cicero auspicabatur, iisque nimirum arripientam, qui de salute pa-

triae optimas curas egissent, « quibus — haec ille — agitatus et exercitatus animus velocius in hanc sedem et domum suam pervolabit, idque ocius faciet si iam tum, quum erit inclusus in corpore, eminebit foras, et ea, quae extra erunt, contemplans, quam maxime se a corpore abstrahet ».<sup>1</sup>

Atqui nos iam vidimus quo Convivio quotidie cum eis, *quae extra sunt*, communicare ille sueverit. Quo eodem igitur sic in limine mortis se refici voluit, ut per ultima quoque documenta iteraverit quod non semel pandiderat ad amicos: videlicet quam ausplicata illi adasset dies, quae vitae huius finem daret, gaudium tamen et quietem cum iis « qui eum praecesserant cum signo Fidei » iniret aeterna.

IOACHIM ANTONELLI COSTAGGINI.

## S. PHILIPPI NERII INSIGNIA

I.

LILIA.

*Ad cineres lentum demittunt litia florem  
Mollia flagrantem, dive Philippe, tuos;  
Tum moriendo afflant miranda opobalsama circum  
Quae ignotum cordis per penetrare meant.  
Dum graditur fere trum gemmisque auroque nitescens  
Dulces atque hymnus solvitur in lacrymas.*

*Patris nam resonat Romana ad limina semper  
Vox etiam atque etiam volvitur umbra sono;  
Caelica sic narrat quae cantus, gaudia, formas  
Vivere iam tecum spiritus ut reputet.  
Atque velit caram messem contemnere olentis  
Veris, quae, maio luxuriante, viret;  
Tum fieri splendor, virtus, dominatio et alto  
Addictus thalamo, caelicus esse comes;  
Ac tandem aeterno satiata gurgite vita,  
Colla cruentato ponere lenta solo*

<sup>1</sup> Cic., *de Orai.* I, 48.

<sup>1</sup> Somn. Scip., C. IX.

## II.

## SIDERA.

*Undique Roma adstat ceu cum appenninica sensit  
Scandere te nutu per iuga sacra Dei.  
Invenies rursus nostra heic per compita, ut olim  
Daemonia ab Stygio iuge remissa lacu.  
At columnen nostri divino flamme dictum  
Te quondam patribus, Te precibus tacitis  
Querimus, experti fatum certamine multo,  
Quas ut non renuas, scimus adesse Patrem.  
Iamque tubae crepitent, iamque hymni, thura, co-  
Rite triumphantis pone tegant feretrum.  
Dum caelo ardescunt triplicato lumine stellae  
Quo Te donavit stemmate summa Trias;  
Edixitque suum, ceu nostram protinus Urbem  
Regale in solium iussit et esse Tibi.*

## III.

## COR.

*O amor, o ardor, Tu cor, divinitus altum  
Noctu per lacrymas speque fideque sacras,  
In specubus, sacra heroum quae corpora compleant,  
Rubra leo densat ceu catulis spolia.  
Nunc caeli narra portas, flammante reclusas  
Turbine, nunc taedas, fulgure mirifico  
Dic, vertebrarum validas disrumpere nodos,  
Tu membra expertus cedere victa Deo.  
Adsumus heic omnes, quot nutrit Roma, iuventa  
Pectoris ad sacrum fulmine discidium  
Mysteriumque Dei flammatia verba tuerum  
Inscriptum puris ossibus, ecce, patris,  
Quaerimus unde oculis aurorae perpetis horam  
Inditur unde animis non periturus amor.*

Romae,

I. ANTONELLI COSTAGGINI.

## SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE  
LATINE VULGATAE

## NOTITIAE.

## DE DECIMO SATELLITE IOVIS.

Doctor H. M. Jeffers, ex caeli specula Lick, obtinere potuit in lamina photographica imaginem cuiusdam corporis caelestis, cuius magnitudo existimari po-

test ad gradum undevigesimum, et quod sequitur motum satellitum Iovis. Probabiliter diametrus huius satellitis longus est fere 40 kilometra.

Iuppiter ergo planeta habere videtur 10 satellites; hoc est numerum maximum prae aliis planetis, nam, ut notum est, Saturnus 9 satellites habet.

DE POSSIBILI PRODUCTIONE ELEMENTORUM,  
QUORUM NUMERUS ATOMICUS EXSUPERET  
NUMERUM URANII.

In solemnii consessu Regiae Academiae Lynceorum habito coram Italiae rege, dr. Corbino, disserens de scientiae inquisitoribus quae in Instituto Physico Urbis locum habent, nuntiavit successus quosdam magni momenti, quos Fermi doctor cum suis adiutoribus obtinuit.

De his recenter Fermi ipse mentionem fecit.

Novimus doctorum Curie et Joliot novam speciem transformationis atomicae per disintegrationem arte factam: non isotopos aliorum elementorum, sed novas substantias radioactivas invenisse significalunt.

Trasformatio haec fit per projectionem particularum  $\alpha$ , vel etiam protonum vel deotonum, sed necessario inter elementa leviora definitur. Obstat enim lex Columbiana. Fermi, e contra, recurrit ad projectionem neutronum, per quam iam fere 50 elementa excitata sunt.

Institutum Physicum possidet fontem neutronum valde intensem. Inventum est omnia elementa hoc modo excitata emittere electrones negativos. Bene hoc intelligitur, quum absorptio neutronis excessum circa numerum eorum qui in nucleo existunt producat, et ideo necesse sit neutron aliquis in protonem transeat, quod fit per emissionem particulae  $\beta$ .

Peculiaris intentio circa modum agendi elementorum graviorum posita est. Generatim excitatio quae per projectionem

neutronum producitur, multiplices praebet decrementi periodos; in casu Uranii clarae adsunt periodi decem momentorum secundorum temporis, 40 secundorum et 13 momentorum. Substantia, cuius periodus est 13 momentorum potuit separari, et per multiplices investigationes demonstrari licuit substantiam ipsam non pertinere ad isotopos Uranii, neque ad isotopos aliorum gravium elementorum.

Remanet possiblitas quod numerus atomicus istius novae substantiae maior sit quam 92. Si ageretur de elemento 93, proprietates chemicae ipsius similitudinem redderent cum proprietatibus Manganesii et Rhenii, nec desunt rationes admittendi hanc similitudinem.

COLLOQUIA LATINA<sup>1</sup>

## XIV.

## Temeraria suspicio.

BERNARDUS, ALIPIUS.

BERNARDUS. - Me infortunatissimum! Nullus dies abit quin amittam aliquid: nunc atramentariolum, nunc chartam, nunc librum aliquem, nunc calamum, ut in praesens: schola ista est plena furum, nec poenarum ullus iam hic est metus.

ALIPIUS. - Nae tu nos tam inconsulto in crimen vocaveris.

BERN. - Aliquem vestrum mihi surripuisse calamum oportet.

ALIP. - Qui scis te attulisse?

BERN. - Qui sciam? nonne hoc litterarum paulo ante exaravi?

ALIP. - Uttere alio interim, dum priorem recuperes.

<sup>1</sup> Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Pro gymnasista latinitatis*. — Passim retractavit, homiernisque moribus aptavit I. F.

BERN. - Unicum mecum attuli.

ALIP. - Suadeo ut sit, quod tu semper possis avertere. Libentius sane tu cum malo quiescis, an sine malo, si copia est?

BERN. - Qui potuit clepsisse, nisi qui mihi sedet proximus?

ALIP. - Quid ergo? Ioannes tibi a dextris non assidet, sicuti ego a sinistris? Cur non potius illum quam me arcessis furti huius?

BERN. - Ioannem novi: mallet spoliari suis, quam minimum quippiam sublegere de meis: dissimilis tui est.

ALIP. - Certe dignus es virgis.

BERN. - Tace de virgis; quare me his dignum deputas?

ALIP. - Quia me de falso per impudenter audaciam sine arguento pronicias.

BERN. - Hei, utinam haberem calamum meum, quem eo molestius amitto, quod stylographium est, bonum et firmum, ab avunculo mihi dono datum.

ALIP. - Quid si reddidero tibi calamum tuum?

BERN. - Qui reddit abstulit; atque hoc est, quod mihi dudum videbatur.

ALIP. - Non est hoc semper consequens, inepte. Tu tibi abstulisti.

BERN. - Quomodo? Quis post hominum genus natum sibi quidquam abstulit?

ALIP. - Quia super auriculam, ut mos obtinet, reposuisti; postea es oblitus, quod non amiseras requisivisti et alios furatos putavisti. En tibi tuum optatissimum calamum; deinceps quoties amiseris, auriculam dexteram interroga prius, an videtur calamum, quam de innocentibus mentiare.

BERN. - Mi Alipi, mi Alipi, gratias ago tibi; ignosce, obsecro, quod tecum egi suspiciosus, atque immodestius.

— Id agas, ne quis tuo te merito oderit.

— Malevolus semper sua natura vescitur.

— Gravior inimicus qui latet sub pectore.

P. SYRIUS.

## ANNALES

### Itinera, Colloquia, Conventus.

Itinera, colloquia, conventus ab exterrarum rerum administris apud varias nationes habita, tamquam praecipui atque prope unici civiles mensis eventus memoria digni recensenda sunt.

Atque primum Simon et Eden Anglici Berolinum contenderunt, ut consilia cum Hitlero, Germaniae reipublicae Praeside, conferrent de Anglogallicis propositis circa rationes inter varios Europae populos statuendas ad concordiam pacemque servandam: quae vero optatam concessionem haud assequutae esse visae sunt.

Eden deinde Moscam petiit summa comitate acceptus: heic dictitant recognitam necessitatem fuisse mutuae conspirationis contra belli periculum, nec in Europa solum, sed etiam in Asia.

Ex Russia Eden ipse ad finem eundem in Poloniam commigravit, quae, fortasse ob fidem iampridie obligatam, cauta providaque, prouti nunciatum est, sese ostendit.

Quamquam Angli praedicarunt huiusmodi itinera et colloquia tantum «ad explorationem» facta esse; quo scilicet in conventu Stresae, in Italiae oppido, brevi habendo, singulorum animi quum in aperto fierent, maiori fundamento disputare et decernere liceret.

Atqui Stresae conventus magni quidem momenti fuit: eidem enim non modo Anglicus Gallicusque administri cum Mussolini, Italcarum rerum duce, participarunt, sed ipsi rerum publicarum praefecti, Mac Donald ac Flandin. Qui omnes idem de variis subiectis quaestionibus sensere; nempe de communi actione apud Societatis Nationum supremum consilium circa libellum a Gallia ob violatum a

Germania Versaliense foedus compositum; de utilitate persequendarum pactionum pro auspicio progressu securitatis in Orientali Europa; de confirmanda necessitate Austriae tum libertatem tum integritatem tuendi, ad eamque necessitatem informandi communem politicam actionem; de conventu proxime promovendo inter nationes omnes, quarum intersit de centrali Europa plane consulere; de aereo denique foedere ineundo inter occidentales Europae civitates.

Quod autem belli apparatus attinet, ratione habita de hodierna Germanorum actione, ex qua omnium animi excitati sunt, ob quassam de pacifice re compонenda fidem, Anglia, Gallia Italiaque magno semper desiderio se teneri confirmarunt servanda pacis, securitatis sensum creando, seseque uniendi conamini cuique ad gentium foedus ferendum, quo bellici apparatus revera pro omnibus circumscrabantur. Anglia denique atque Italia, quippe Locarnici foederis sponsores, fidem renovarunt de servandis a se de fideliter muneribus assumptis.

### Nationum Societas.

Supremum deinde Societatis Nationum consilium Genevae die XV mens. aprilis congregatum est, cunctisque suffragiis - Dania se a suffragio ferendo abstinenter ratam habuit Gallicam reclamationem, de qua superius mentionem fecimus, recognovitque a Germania datam in Versaliensi foedere fidem violatam fuisse, Societatisque Nationum esse munus aptas cautelas et providentias adhibendi, ne quis ab officiis, quibus erga ceteras nationes teneatur, sua ipsius voluntate sit defuturus.

Huic monito superbe Germania respondit ius nationibus quae Genevae con-

venerant denegans Germaniam ipsam iudicandi; paucisque diebus post nunciavit, sese ad subaquearum lintrium constructionem, a Versaliensi foedere vetitam, statim processuram.

Quonam ibimus?...

Idem Supremum Societatis Nationum consilium minime assensum est, ut in hac sessione de discriminis inter Italiam et Abyssiniam ageretur.

POPICOLA.

igit hostibus suppietas allatas iri, deliberet satiusne sit iam fortunam pugnando experiri, quam si auctus viribus hostis, fuerit maius periculum exspectare. Contigit aliquando etiam, ut Asdrubali in Picoeno, contra Claudium Neronem et alterum Consulem Romanum bellum gerenti, ut aut fugiendum sit, aut dimicandum; et tutius in hoc quoque casu is existimat cum periculo pugnam subire, quam fugiendo omnia certo perdere. Quae quum ita sint, multas esse videmus causas, quae imperatorem incommodam pugnam subire cogunt, inter quas si quando pecuniae defectus reperitur, non est quod propterea existimemus, pecuniam esse nervum belli, magis quam reliquas res, quibus idem efficitur. Non est igitur pecunia nervus belli, sed strenuorum militum virtus. Requiruntur quidem ad bellum pecuniae, sed non ut primum instrumentum, estque earum indigentia talis, quam strenui milites saepe vicerunt; nec solent, nisi raro, deesse strenuis militibus pecuniae, quod ipsi eas sponte inveniant et comparent. Haec ita se habere testantur mille in locis historiae. Pericles Atheniensibus suaserat, ut cum universo Peloponneso bellum gererent, idque ipsos industria sua potius, quam aut viribus aut pecunia conficerere posse. Quam expeditionem ii suscipientes, industria illa sua aliquandiu prospere rem gesserunt; sed tandem apparuit plus valere Spartanorum militum virtutem, quam industriam aut pecuniam Atheniensum. Titus Livius nobis hanc quaestionem pulcherrime omnium decidit in ea ducum comparatione, qua sciscitur, si cum Alexandro Magno bellatum foret, qui eventus Romanis rebus futurus fuerit. Plurimum — inquit — in bello pollere videntur militum copia et virtus, ingenia imperatorum, fortuna per omnia humana et maxime in res bellicas potens. Utrum igitur in horum singulis Populus Romanus, an Alexander

## VARIA

### Sitne pecunia belli nervus.<sup>1</sup>

Neque aurum sufficere ad strenuos milites comparandos; sed per hos aurum et argentum comparari posse. Quod si populus Romanus non ferro magis, quam auro bellum gessisset, tam magna ac difficilia bella, ne universis quidem mundi thesauris confecisset. Sed quum ferro, non auro dimicaret, ne auro quidem caruit, quod illud in castra usque afferretur ab iis, qui Romanorum arma metuerunt. Quod si Spartanorum rex, ob deficientem pecuniam fortunae periculum subire et infeliciter pugnare coactus fuit, acciderunt illi ob pecuniae defectum, quae ex aliis etiam causis contingere potuissent cum illi, tum aliis. Saepe enim accidit, ut, deficiente commeatu, aut pugnandum sit, aut fame moriendum; et solent in huiusmodi casibus prudentes imperatores in eam partem inclinare, quae honestior est, et ubi aliquantulum spei vel in fortuna ipsa positum esse queat. Accidit nonnunquam ut, quum imperator intel-

<sup>1</sup> EX NICOLAI MACHIAVELLI opere: « De republica disputationes ex prima decade T. Livii » latine reddit H. BINDI. - Cfr. fasc. sup.

plus potuerit considerat, et ex ea consideratione propositam quaestionem solvit; pecuniae ne mentionem quidem ullam facit. Credibile autem est populum Campanum quum Sidicinis adversus Samnites suppetias ferret, vires suas pecuniae multitudine potius, quam militum virtute metitum esse; sed eidem accidit, ut re dupli praelio male gesta, sese in populi Romani ditionem potestatemque reddere cogeretur.

\* \*

**Asini pellis.**

— Aufer me, o mors, — inquit auctus oneribus et verberibus Asinus. Exaudit invocantem illa se, et praesto fuit. Moritur Asinus, at pellis ipsius in tympana intenditur, et exanimus etiam tunditur.

Dicitur fabula de pertinacia et assidueitate infortunii.

\* \*

**Pro iudicibus mensarum elegantibus.****ESCARUM ORDO:***Ius gallinaceum contractum.**Pastilli, suco carnis bubulae et butyro conditi.**Faseolorum acetaria.**Aviculae inter crustula et salviae folia veru assae.**Artolagana cerasarum liquamine farta.*

\* \*

**Locosa.***In via.**Ergo, a studiis abscessisti?**Ita quidem, commercio me dedi: supellectilium mercaturam ago.**Multasne vendidisti?**Usque adhuc domesticas meas.*

Tucci pater filio in lecturam libri eiusdam attente incumbenti:

— Auctorem hunc desere; non enim bene scribit.

Tuccius: — Atqui non omnes scriptores calligraphia praestant; ceterum liber hic non quidem scriptus, sed typis est impressus.

\* \*

**Aenigmata.****I***(Permutatio vocalium)*

**A** servatque paratque cibos, confortat  
ledenda;

**O** fugat in terra noctem luce atque calore.

**II**

**S**i prius imbre volat conspersum, posterius fit:  
*Omnis* et ipsa volat saepe sub aethera res.

Aenigmata in superiore fasciculo propo-  
sita his respondent: 1) *Mensis, Ensis, Mens;*  
2) *Viola.*

**LIBRORUM RECENSIO**

JOSEPHUS WAGNER, *Carmina Horatii selecta in usum iuventutis studiosae ad modos ap-  
tata* (Budapestini, typis I. Gottlieb, 1934).

I. Wagner plura Horatii carmina elegit atque ad musicae modos, ipsius auctoris et quorundam Germaniae musicorum, aptavit. Sunt faciles modi, choris et puerorum vocibus idonei, more carminis Gregoriani, quod et in nostris scholis discitur. Sunt chori puerorum aut utriusque sexus aut monodiae. Non di-  
xerim artis altissima culmina auctorem attin-  
gere; quamquam quedam monodiae (ut in carmine *Nunc est bibendum*) varia et iucunda dulcedine aures mulcent.

Dignum tamen est exemplum quod nos ipsi imitemur, ut, praesertim in scholis in quibus discipuli musicam discunt, Horatii et ceterorum poëtarum carmina facilius et iu-  
cundius legant et intelligent, atque poësis et musicae mutua vincula apprehendere possint.

*Anconae.***IUNIUS GARAVANI.****ANTHEA** [2]

— Ita quidem. Verum illi in tenebris tranquille versantur; ego ipsorum causa discurior.

— Unde salus obvoluta sit num pros-  
picis?

Paulum reticuit senex; deinde aliquan-  
tulum excitatus:

— Salutem — inquit — exspecto.

— Unde?

— Nescio — ille respondit, facie in manus reclinata. Mox veluti victus altitudine nocturni silentii, suppressa voce: — Saepe — inquit — mecum ipse cogito si mundus haud maiora contineret, quam quae sci-  
mus; aut si hominibus non licaret fieri praestantioribus quam qui sunt, hanc in nos aegritudinem cadere non posse. Quare in ipsa causa morbi spem esse sanationis existimo. Olympo quidem ac philosophiae hactenus adjuncta fides omnis evanuit; salus tamen ex latentis adhuc veri alicuius manifestatione obvenire potest.

His verbis Cinna praeter consuetudinem sensit exulceratam mentem recreari, auditoque universi gemitu orbis, sibi visus est onus Aetna gravius suis impositum humeris deponere, in humeros plurimum dispersiendum.

Interea utriusque viri familiaritas ita crevit, ut se mutuo adirent, nec modo studiorum, sed mensae quoque communitate uterentur. Haud ita multo post Cinnae gratius effectum est idem domicilium propter hospitis filiam Antheam. Quae tam egregium nomen Alexandriae fuerat consequuta, ut non solum matronas Romanas, sed Graecos viros, Serapei philosophos, populum denique omnem ad sui spectaculum evocaret. Nullo detenta gynaeco, sed domestica disciplina

exulta, ubi primum excessit ex pueris, se totam legendis libris graecis, latinis, aegyptiis, cum patre suo applicuit, cuius a latere nunquam discedens, et disputaciones cum ipso crebras habebat, et gravissima interdum quaestiones enodabat. Ad haec arcanam quandam praeseferebat speciem quasi sanctitatis, quod ei futura saepe paterent in somnis, multaque non oculis subiecta mortalibus adspicienda exhiberentur.

His de causis eam pater ferebat in ocu-  
lis, eoque magis quod non omnis aberat  
metus ne ipsa haud satis diu vitam produ-  
ceret. Affirmabat enim se nocturnis visis  
terreri; saepe etiam divinae cuiusdam for-  
mae intueri splendorem, neque scire vi-  
tamne sibi an mortem lux illa portenderet.

Ab Aegyptiis, qui domum Timonis  
frequentes adibant, erat appellari solita  
*flos loti*, forte quod is frutex divinus ha-  
beretur ad Nili fluminis ripas: certe illum  
Homerus inter herbas deorum voluptati  
subnascentes primum nominat: vel quod  
qui semel adspexisset Antheam, illi mun-  
danae res omnes perpetua essent obli-  
vione delendae. Nec sane minus forma  
quam sapientia praestabat, oculis Nili  
colorem referentibus, obtutu, instar illius  
gurgitis, arcano atque profundo.

Hanc ubi primum vidit audivitque  
Cinna, vehementer est admiratus: inde  
domum regressus desiderio quodam af-  
fectus est aiae in atrio excitandae, in qua  
albas ei columbas immolare; adeo sibi  
videbatur divinum aliquod invenisse. Brevis  
eam deperire coepit; nec in virginis  
pectus tardum habuit ingressum amor.

— O fortunatum Cinnam! — ita saepe  
consulatarunt amici.

— Mihi quidem — inquit — nihil magis improbatur quam eorum ratio qui nullum adhibent nec in opinando nec in agendo modum. Quid prohibet quomodo medium quoddam teneatur iter? Nihil tamen in vulgo modicum, vixque repertas qui sibi dictum putet: « Est modulus in rebus ». Hic dego, quia hic mihi degendum; commorandum mihi est apud hunc obicem. Verum haec ad rem vestram nihil attinent. Itaque, ut ad propositum redeam, auctor sum vobis ut spectaculo adsitis Nazareni, fortiter profecto morituri. Edixeram quidem ut virginis caederetur, ratus, quae mea humanitas est, ita posse servari. Ille autem cruciatus et verbera, quasi agnus immolandus, patienti animo tulit; quumque rupto corpore manaret crux, oculis in caelum conversis, bene precabatur populo. Evidem huic homini parem vidi neminem. Interim hodie vel ab horis matutinis, mea non cessavit uxor urgere me assidue: « Ne quid tibi rei sit cum iusto: cave ne immeritum perire sinas ». Nec mihi molesta erat muliebris pietas. Nam prodivi bis e praetorio concionabundus, si forte possem efferae plebis furorem compescere. At flagrantior inde vis: supinis cervicibus ac dehiscente rictu teterime adstrepere omnes truculentis vocibus: « Crucifige! »

— Dedistine manus victimas? — inquit Cinna.

— At, nisi fecisset, restingu hercle incendia illa non poterant. Meum autem munus est civium saluti consulere ac sedulo advigilare ne publica tranquillitas ulla de causa turbetur. Extrema vitare, medium se gerere, in neutrī partibus esse, id mihi semper optimum visum est atque tutissimum. Ceterum huiusmodi negotiis adeo sum fractus, ut tertianae impetum timeam. Postremo agitur de homine obscuro, cuius nemo suscipiet curam; publica vero salus postulat ut unus det poenas; qui si meliore fortuna non

utitur, dii immortales viderint, qui eum civem romanum esse noluerunt.

Cui Anthea:

— Non Romae tantum affulget Sol.  
— Obsecro Anthea, — inquit Pontius — ne mecum severius agas. Tuus te facile coniux docebit, latam semel sententiam revocari non posse; nisi quid vis ad haec, Cinna.

— Ita prorsus.

Haec ingrata mulieri acciderunt, secum mussitanti, qui fieri posset ut atrox esset obeunda mors homini, qui ab honesto discessisset nunquam.

Cui Pontius:

— Nemo culpa vacat. Neque tamen constat admissum quidpiam ab isto fuisse, quare videatur accusandus. Idcirco lavi procurator manus. Necesse autem est omnem ab illo mortis abesse metum, qui se resurrectum affirmat.

— A mortuis excitabitur? — Ita coniux uterque, inauditae rei novitate percussi.

— Imo intra dies tres, ut eius discipuli praedicant. Poteram quidem ex ipso quaerere, sed excidit mente. Ceterum parvi refert; siquidem mors omnia solvit, etiam promissa. Neque vero, si eius resurrectio nulla fiet, is quidquam detrimenti capiet. Profitetur enim, nec remisse quidem, sed ex animi sententia, quum corporibus excesserimus, tum demum initium fore vitae beatae; quo acerbiora quis tulerit, eo faciliorem illi aditum in caelum patere: amandum maxime: in omni vita semper amandum.


— Singularem plane doctrinam — inquit Anthea. — At certo scit ille, nos, relictis corporibus, posse aeternum ac iucundissime vivere?

(Ad proximum numerum).

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS





Nuperrime prodiit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 500 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1000, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXII

Romae, Mense Iunio MCMXXXV

Fasc. VI

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, *Via del Governo Vecchio, 96*.

### IN MEMORIAM PII X PONT. MAXIMI

AB ORTU EIUS  
CENTESIMO RECURRENTE ANNO

Quum de Seraevii clade v Kal. Quintilias an. MCMXIV rumor toto orbe manans ad nostras quoque aures delatus est, ubique opinio increbuit bellum magnum atque teterrimum exarsurum; nec aliter Pius X tunc Pontifex Maximus cogitavit. Ipsi enim Cardinali Merry del Val a secretis Status nuncium afferenti respondit: *Scintilla haec est, quae magnum suscitabit incendium!* Quot populis, quot urbibus, quot pagis, quot familiis, quot matribus, quot sponsis lacrimae eliciendae, lugubresque vestes induendae!

Clades innumerae, necesse omnia bellorum infanda Pontificis mentem obnubillabant, qui hominum Pater, in Basilicam Sancti Petri descendit totoque animi ardore supplices preces emisit: *Parce Domine, parce populo tuo: et ne des haereditatem tuam in opprobrium.*<sup>1</sup> Sed homi-

num iniquitates, Regum ac Principum proterva mens, quae a Fide defecerat superbisque tantum consiliis parebat, Pontificis votis impedimento fuerunt; nec Divina misericordia concedere potuit, ut flagellum averteretur. Qua de causa atrox bellum hinc inde flagravit, ac Pii animus tanto moerore captus est, ut eius valetudo in dies defecerit: xviii Kal. Septembres eiusdem anni Summus Pontifex Pius X diem supremum obiit; sed reapse eius mortis dies, Seraevii caedis ipso die initium coepit.

Iam diu uricoemiae incommodis labrabat; quae debitissi remediis, animique praesertim tranquillitate, in plures annos deduci possunt, gravi tamen interveniente animi perturbatione, statim invalescunt, valetudo perit, mors pallida avidas manus portendit. Enixe Pius bellum avertere conatus est, nec unquam mentem mutavit, ipsoque in articulo quo legatus Austriaci Imperii ab Eo poposcit, ut *copis imperialibus ad pugnam proficiscentibus benedicet*, illud memorabile, nec non salsum, respondit: *Non bellum, sed pacem volentibus benedicam!*

Nec immerito nostri milites, quum in bellum Italorum copiae descendere coactae sunt, in fossis vallo munitis, in nosocomiis vulneribus medendis, Pium X ve-

<sup>1</sup> IOEL., II, 17.

luti numen, veluti columen salutis invocabant, quem sciebant belli victimam potiorem mortuum esse paci benedicentem.

\* \*

Falso asseruere Iosephum Sarto minus callido ingenio usum esse, nam quae de inito bello damna praedixit a rudi atque inculo viro praedici non poterant. Utinam se falsum habuisset! Post annos tot delapsos mala ab eo tam gravi errore manantia nonne etiamnunc experimur? Reaps e Iosephus Sarto quum in Tarvisino Seminario studiis incubuit, subtilis ingenii plurima experimenta reliquit, nec immerito eum doctrina non minus quam sancitiate futurum apprime instructum renuntiatum est, si eius vitae cursus is futurus esset qui non solum perfectae vitae, sed etiam singulari sapientiae vacare debuisse. Ergo minus recte asseritur de Pii X rudi intellectu, de paroeciali simplicitate, de nimia agricolarum incuria. Ipse enim a prima iuventute animarum curae quum se dedisset seu Cappellani, seu Archipresbyteri, seu Canonici, seu Episcopi, seu Patriarchae muneribus ad dictum, exiguum habuit facultatem tum cum doctissimis viris sermocinandi, tum Universitatum cathedris vacandi, tum in Bibliothecis sui abscondendi; quae omnia doctum virum, sed non semper sactum sacerdotem faciunt. Sed in eo mens utique fuit quae ad secreta sapientiae munera aptissima foret, dato tempore, datis adiunctis, data id faciendi necessitate. *Numquid omnes Prophetae?* *Numquid omnes doctores?*<sup>1</sup> Paulus nos admonet; si vero Iosephus Sarto doctor non fuit, ideo non est improbandus, sed ea tamen fuit instructus sapientia, qua prae-

videre, qua praedicere posset multa et non de bello tantum futura.

Is enim Petri cathedram ascendens, brevi cognovit quae necessitas urget in unum colligendi Iuris Canonici membra, opus magnum cui se totum dedit, quod pene absolutum reliquit. Ipse cogitavit quanto animarum periculo dictaria philosophica vagarentur sub *modernismi* appellatione, atque imperterritu animo hostes seu larvatos seu patentes aggressus est; itaque memorabili Encyclica Epistula «*Pa-scendi*» haereticos profligavit.

Traditum est Pium ad Pontificatum summum evectum, gallicis Cardinalibus dixisse: *Parcat vobis Dominus quia Sum-mum Pontificem elegistis, qui nescit gal-lice loqui.* Utique, Pius X neque gallicum sermonem, neque teutonicum, neque anglicum callebat; sed id cui nocuit? Curis pastoralibus detentus, exterarum gentium sermonibus non vacavit; bene fecit, nam non sermonibus gentium, sed Dei sermoni vacare debuit; si vero etiam iis sermonibus vacavisset utique et bene eos didicisset. Non ex ea ingenua confessione *qui nescit gallice loqui* arguenda est inscrita!

\* \*

Possum persequi multa et sapientiae et prudentiae in Pio X recensendo facta; sed ea quae dixi sentio fuisse longiora ad illud mei animi votum explendum, quod in eo erat: florem elapsi saeculi in pago Riese ortum colligere, eumque in Vaticana Basilica post iam viginti ab obitu annos deponere, ut Pontifici, mihi equidem dum viveret benevolent, gratum animum significarem.

ALEXANDER AURELI.

<sup>1</sup> I Cor., XII, 29.

## DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA

### De ordine fixo vocabulorum.<sup>1</sup>

III. – Vocabula, quaecumque sunt, casibus suis elegantibus postponuntur; v. g.: *Ciceronis* epistolae.

Tui *nominis* aeterna *memoria* consecratur (Cic.).

Non *iudicis* solum *severitatem*, sed prope *inimici* atque *accusatoris* vim suspicere debes (Cic.).

Flamma quae deleret *Iovis* optimi *tem-plum* (Cic.).

Summa *virtute* et *humanitate* ado-le-scentem (Caes., *De Bel. gal.*, I, 47).

*Prodigiī simile* est quod dicam (Cic., *Lig.*, 11).

Catilinam, *scelus anhelantem*, ex urbe eiecimus (Cic., *Cat.*, II, 1).

Meum *casum* *luctumque doluerunt* (Cic., *Sest.*, 69, 145).

In multis locutionibus, genitivus fixam obtinet sedem; v. g.;

*Tribunus militum, terrae motus... etc....*<sup>2</sup>

Genitivus qui magni ponderis non est, substantivo postponitur; v. g.:

Una significatione *litterarum* cives Ro-manos necandos denotavit (Cic., *De Leg. Man.*, 3).

Quum duo genitivi diversi muneris ab uno eodemque substantivo pendent, substantivum fere inter eos medium collo-catur; v. g.:

*Fratriis repulsa consulatus* (Cic., *Tusc.*, IV, 17, 40).

Genitivus subiectivus praecedere solet obiectivum; v. g.:

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>2</sup> Tullius tamen scripsit, v. g.: *Theophrasti orationis ornamenta* (*Fin.*, I, 5, 14). - *Scaevolae dicendi* elegantia (*Brut.*, 44, 163). - *Animi multarum rerum brevi tempore percursio* (*Tusc.*, IV, 13, 31).

*Helvetiorum iniuria populi romani* (Caes., *De Bel. gal.*, I, 30, 2).

Praepositio cum suo casu, quum geniti-vi vices gerunt, substantivo postponuntur; v. g.:

Amor erga parentes. – Odium in tyran-nos. – Pietas adversus deos. – Concursus in arbem.<sup>1</sup>

Peculiares sunt comparativo anteponi soliti ablativi: *opinione, spe, aequo, dicto, iusto, solito*; v. g.:

*Opinione* omnium *maiores* animo cepi dolorem (Cic., *Brut.*, 1).

*Spe* redit *citius* (Ov., *Fast.*, 4).

*Dicto* prope *citius* equum in viam Claudio deiecit (*Tit. Liv.*, XXIII, 47).

Fere etiam postponuntur voces voci-bus quibus definiuntur seu determinan-tur; v. g.:

*Acerrimo studio* tenebar (Cic.).

Quid hoc tota Sicilia est clarius? (Cic.).

Parum multi sunt qui nobilitatem amant (Cic., *Planc.*, 7).

Propter propinquitatem, totos dies *simul eramus* (Cic., *Att.*, III, 10).

Locutiones non paucae adiectivo et substantivo constant, quorum ordinem mutare nefas est, nisi fiat propter elocutionem expressam.

Quando nomen adiectivum aliquo casu instructivum est, substantivo fere post-ponitur; v. g.:

*Virtus digna summo imperatore* (Cic., *Balb.*, 2, 6).

*Praetor cupidus existimationis bonae* (Cic., *Verr.*, IV, 3, 60, 140).

Adiectivum possessivum substantivo libenter postponitur. At praeponitur cum eluceat oportet; v. g.:

Ut regnum in civitate sua occuparet (Caes., *De Bel. gal.*, I, 3, 4).

<sup>1</sup> Ob elocationem expressam, venuste hic ordo inverti potest; v. g.: *Tua in me benevolentia*.

Quod ipse *suae* civitatis imperium obtenturus esset (CAES., *De Bel. gal.*, I, 3, 6).<sup>1</sup>

Pronomina indefinita fere substantivo postponuntur. Praeponuntur tamen cum eluceant oportet.<sup>2</sup>

Nomina sive substantiva sive adiectiva minoris ambitus praecedere solent; v. g.:

*Dī immortales - Vir clarus.*

Item substantiva sensus generalioris ut: *locus, casus, causa, genus, homo*: v. g.:

Ferre sapienter *casus* adversos (CIC., *De Or.*, 2, 85).

Item, praeterea, adiectivam quantitatem, tempus, locum aut qualitatem generalem significantia, ut *bonus, malus... etc.*..., et numeri cardinales; v. g.:

*Tanta gloria - Nocturnus redit - Dextra manu - Bonus praetor - Tres homines.*

Plerumque postponuntur adiectiva significativa magis peculiaris, adiectiva quae materiam ex qua aliquid sit aut originem unde sit res vel persona significant; v. g.:

*Leges militares (CIC., Flac., 32).*

*Equus aeneus (CIC., Off., 3, 9).*

*Pugna cannensis - Civis romanus - Trasymachus Chalcedonius (CIC., Brut., 8, 30).*

« *Privatus, domesticus, equester* » saepe praeponuntur quam postponuntur.

In universum, quaevis monosyllaba polysyllabis praeponi solent; v. g.:

*Mi frater - Me amat - Vix credo - Hic imperator.*

<sup>1</sup> Non desunt locutiones usu tritae, in quibus adiectivum possessivum praecedit substantivum. Tunc possessivum eluet, si postponatur; v. g.: *Mea, tua, sua* sponte - Sponte *sua* contra rem publicam incitantur (CIC., *Pro Sest.*, 47, 100). - Ceterum saepe idem fere est sensus nec magni interest utrum praecedat an sequatur; v. g.: *Allobrogibus* sese persuasuros ut per *suos* fines eos ire paterentur (CAES., *De Bel. gal.*, I, 6, 3). - A Sequanis impetrat ut per fines *suos* Helvetios ire patiantur (CAES., *De Bel. gal.*, I, 9, 4).

<sup>2</sup> BERGER docet omnia adiectiva-pronomina libenter praeponi (n. 138, II).

### B. - Regulae magis peculiares.

I. - Pronomen « *ipse* », quum aliis pronominibus iungitur, ipsa fere sequitur, idque sine intervallo; v. g.:

*Me ipse consolor (CIC., De Am., 3, 10).*

*Sibi ipse fecerat viam (TIT. Liv., II, 12, 8).*

II. - Demonstrativa fere praeponuntur 1) adiectivis possessivis; v. g.:

*His meis litteris (CIC., Fam., I, 3, 2).*

*Ita vestra oratoria verba (CIC., Fam., II, 11, 1).*

2) vocibus « *omnis* » et « *totus* », v. g.:

*Hic omnes.*

III. - Pronomen relativum cui praeit antecedens in fronte propositionis relativa ponitur; v. g.:

*Suscipis onus officii quod te putas sustinere posse (CIC., Rosc. Am., 38, 112).*

*Caesar nuntios misit qui postularent... (CAES., De Bel. gal., IV, 16).*

Saepe tamen pronomen relativum eiusque antecedens seiunguntur, nec multum curant Latini de amphibolia; v. g.: Ego L. Metellum memini puer, *qui* viginti duos annos ei sacerdotio praefuit (CIC., Sen., 9, 30).

Tota disputatio est de amicitia, *quam* legens te ipse cognosces (CIC., *De Am.*, I, 5).

Alias, pronomen relativum aut in fronte sententiae ponitur; v. g.:

*Quod virtute offici debet, id tentatur pecunia (CIC., Off., II, 6, 22);*

aut vocibus sensu aut harmonia magis praecipiuntur; v. g.:

*Tributa vix in foenus Pompeii quod satis sit efficiunt (CIC., Att., VI, 1, 3).*

In sententiis in quibus duo relativa inter se proxima sunt, illud primam sedem obtinet cuius praeit antecedens; v. g.:

*Id omne oritur a senibus: quos qui tollunt, ii ne id ipsum quidem expedire*

possunt quod disserunt (CIC., *Fin.*, I, 19, 64).

IV. - « *Omnis, nemo, nullus, nihil* »,<sup>1</sup> aliaque negantia, recte ponuntur:

1) in orationis principio; v. g.:

*Omnium rerum principia parva sunt.*

*Nulla est gens tam fera, nemo tam immanis qui Deum ignoret.*

*Nescire quid acciderit, id est semper esse puerum.*

2) item in fine; v. g.:

*Luce sunt clariora nobis tua consilia omnia (CIC., Cat.).*

*Spondeo prudentiorem esse neminem (CIC.).*

*(Ad proximum numerum)*

*S. Leonardi in Helvetia.*

I. Jss.

## ARCHAEOLOGICAE RES

### De catacumbis et arenariis.

In coemeteriis circum Romam effodiendis non omnia plana quidem et facilia fossoribus contingebant; quod statim quisque intelligit qui in suburbanum aliquod coemeterium descenderit. Saepe enim stratorum geologicorum varia natura et cohaesio, eorum inclinatio, quae plerumque declives colles sequitur, eorum cessatio ac proinde novi strati friabilioris durioris successio ad mutationem directio- nis, vel fissionum altitudinis et modi, fossores adegit ut novis exorientibus difficultatibus occurrent. Haec omnia ve-

<sup>1</sup> a) « *Non* » raro in fine ponitur. Plerumque tunc dicitur « *non item* »; v. g.: O spectaculum uni Crasso iucundum, ceteris *non item* (CIC., *Att.*, II, 21, 4). - Cf. BERGER, p. 320.

b) « *Ceteri, reliqui, alii* » fere praeponuntur voci « *omnes* » (Cf. BERGER, p. 311).

luti in libro legenda tibi in catacumbis examinanti apparent, eaque saepissime; ita ut, si in plures centum millibus passuum, per quae Romanae catacumbae sese porrigit, centum aut, ut sumnum, bis centum passus inveniantur in topho paulo fragiliore excavati, hoc profecto exceptio- nem constitutam illam, quae, ut dicitur, regulam firmarem facit. Item, si verum esset, quemadmodum ante clarissimi P. Marchi elucubrationes vuigo credeba- tur, Christianos primaevos ad cadavera recondenda antiquas latomias et arenaria adhibuisse, debuissent fossores, aut cum maxima temporis iactura in durissimo topho rubro loculos effodere, aut ca- dentes arenariorum parietes muris con- vestire et sustinere, ibique magno cum dispendio sepultra fabricare, quae facil- negotio excavari in topho terroso pote- rant.

Posito igitur, maxima ex parte cata- cumbas in topho ad nihilum apto excava- tas esse, sponte quaestio occurrit, quis- nam et curnam ante aut paulo post Christianam religionem ortam tam imma- nes capessendi effossiones cogitationem habuisse, aut quid de materia hinc effossa utilitatis sperasset; nam, ut diximus, to- plus terrosus in quo catacumbae ex- cavae sunt, inutilis prorsus evadit, et eo ipso nullum nactus est apud antiquos nomen. Praeterea circum Urbem, per mil- liaria plura, atque saepe iuxta et subter Christiana coemeteria, immenses latomiae et arenae fodinae sese porrigit, ex qui- bus optima ad exstruendum materia eruta est, tum antiquis, tum nostris temporibus; quae a catacumbis et forma et mensura longissime differunt.

Mensura differunt: viae enim coeme- teriales metri unius cum quinquaginta centesimis partibus (m. 1,50) latitudinem raro attingunt, et quam rarissime paulo largiores inveniuntur; arenaria ex adverso quinque usque ad metra latas, et aliquando

ampliores habent vias. Illae ad architectonicas redactae sunt formas, cum angulis rectis plerumque aut fere rectis in anfractibus; haec ad nullam instructa formam, ipsa natura potius comparatae quam humano effossa labore videntur. Quod si evenit ut fossores, propter diversas, quas nunc amplius non intelligimus causas, coacti fuerint quaedam arenaria in coemeteria mutare, tum omnia construere debuere, parietes et loculos; quae quidem agendi ratio, ut patet, magnas requirebat expensas, neque exiguum temporis spatium: hinc proculdubio est quod ex quingentis fere millibus viarum coemeterialium passuum, in suburbano Romano (tamen enim catacumbarum hactenus visitari potest), ne ducenti quidem passus in arenariis percurri possint; licet arenaria non solum obvia, parata, sed etiam tutiora essent quia ethnici formidolosa proindeque deserta. Immo ita se coemeteria porrexerunt circa vel iuxta arenaria, ut haec coemeteriorum appendices fere videantur.

Notandum autem hic est, hanc esse rationem cur in martyrologiis saepe arenariorum mentio fiat veluti locorum ubi martyres fuerint sepulti, et cur prisci christianaे antiquitatis studiosi, maiori ex parte, catacumbas nihil aliud esse putaverint quam antiquas arenae fodinas condendis cadaveribus adhibitas, religionique christianaē praeeistentes.

Ad quaedam vero quorumdam scriptorum quod attinet loca in quibus arenaia non quidem ut sepulturis, sed ut loca congregationibus Christianorum addicta indicantur, explicatio obvia est ac naturalis, si difficultatem frequenter atque diu in catacumbis permanendi consideremus. Quantumvis enim clausa essent sepulcra, putor cadaverum, deinde unguentorum balsamorumque odor, fumus lampadum hominumque respiratio ita aërem corrupserint, ut non parum requisitum fuisset

virtutis in iis, qui plurimas horas vellent in subterraneis coemeteriis manere. Praeterea notandum est, lucis non parum historiae priscorum Christianorum communicationes inter arenaria et coemeteria afferri, quum sciamus, praesertim sub Valeriano et Diocletiano, coemeteriis ad fiducum vindicatis, fideles secreta refugia quaesiisse, ut liturgicos conventus haberent, qui sub divo amplius fieri nequirent; item quum notum sit arenaria usui tunc adhibita fuisse ut ex catacumbis evasionis modus fidelibus pateret, aut trames in illas ingrediendi, nempe quod facile milites, qui ingressus et areas coemeteriales custodiebant, in coemeteria irrumpere possent.

Denique non raro fossores vetera ambulacra humo ex novis effossionibus extracta refercire malebant, quam eam asportare; idque tum temporis viriumque defectu, quod facile intelligitur, tum maxime si, persequitione grassante, nova parari sepulcra secreto oporteret.

Iam a Bosii diebus observatum est, partem primi tabulati coemeterii Priscillae in strato arenario fuisse effossam. I. B. De Rossi autem arenarium notavit item veluti partem coemeterii S. Saturnini. Haec unice existant exempla in universa subterranea Urbe. Ceterum arenaria ubique sunt circa Romanam, et aliquando coemeteria christiana in arenariis initium habuere, quum antiquiora ambulacula ex iis incepta videantur.

Ut dicta paucis resumamus, ex praefatis rationibus et ex ceteris minutioribus observationibus, quas fratres I. Baptista et Michaël Stephanus De Rossi peregerunt, qui P. Marchi studia hac in re perfecrunt, evidentissime patet, ideoque concludendum:

1º *Cryptas arenarias* aliud non esse quam ambulacula coemeterialia in topoh effossa adspectu arenoso, seu natura aliquantulum arenoso;

2º in huiusmodi locutionibus: *In coemeterio Priscillae in arenario; Iuxta corpus ss. Chrysanti et Dariae via Salaria in arenario; Iussit in arenario deponi, et illuc vivos terra et lapidibus obrui; Portaverunt ad arcus Numentanos intra arenarium, et iuxta arenarium sepelierunt; Corpora quae erant in arenario sepulta; In arenario ubi frequenter conveniebant, indicationem arenarii, ut ait M. S. De Rossi, non ad genus pertinere nec idem ac *cryptas* vel *coemeterium* sonare; sed speciale omnino atque notabilem loci declarare conditionem, nimirum cryptam vel coemeterium proximum vel superpositum esse arenario; non autem ipsum esse arenarium.*

Quae quidem de Romanis catacumbis huc usque diximus, de aliis Italiae subterraneis coemeteriis plerumque affirmari possunt. Verum etsi alibi extra Romanam exstiterunt catacumbæ, etsi modus et distributio loculorum plus minusve semper similia inveniantur, non tamen utrinque mensurae concordant. Romæ labyrinthus habetur pluribus contabulationibus constans, cuius viae perraro, uti diximus, metrum unum latitudine superant, idque quia tophus non satis cohaerentiae habet. At ubi solidiores rupes sunt, ambulacula quinque et nonnunquam decem metrorum latitudine effossa naturales specus, potius quam hominis manu fabricata opera videntur.

Neque desunt parvae coemeteriales ecclesiae sive ampliora cubicula, ubi martyrum ac defunctorum anniversaria celebrarentur. Haec plerumque non habebant in parietibus sepulcra, si arcosolium unum aut triplex, quasi crucem designans, excipias; saepe etiam luminari instructa sunt atque ita disposita, ut plura aëre et luce eiusdem luminaris simul illustrata sint.

Post pacem autem Ecclesiae, cubicula pleraque magnifice exornata sunt, musivis ac marmoribus convestita, quorum adhuc

notabilia permanent vestigia; nonnunquam etiam ita cubicula affabre in topoh excisa sunt, ut architectonicas formas præse ferant, perinde ac si essent constructa.

S. S.

## EX BATAVIA

De certamine poëtico Hoeufftiano  
ann. MCMXXXIV

Accepimus, et libenter edimus:

« De quadraginta septem carminibus ita est iudicatum :

Praemium aureum reportavit Carmen c. t. *Disceptatio Amantium.*<sup>1</sup> Sumptibus Legati in volumen recipietur carmen c. t. *Roma caput mundi*, si poëta eius scidulae aperienda dederit veniam.

Sequuntur omnium carminum nomina :

1. *Ad ordinationes ecclesiasticas.*
2. *Regi, cui omnia vivunt.*
3. *Albertus I, culminum amans.*
4. *Revelatio.*
5. *Daedalus.*
6. *Ad discipulos una rusticantes magister.*
7. *Duo pupilli.*
8. *In Ioannem Iacobum Hartman.*
9. *Questus sidereus.*
10. *Caesar ad Rubiconem.*
11. *Puer et Infans.*
12. *Duo Caeci.*
13. *Erynys.*
14. *Roma caput mundi.*
15. *Italiae laudes.*
16. *Latinae stirpis fata.*
17. *Ad vatem.*
18. *Domus Albuneae ac Tiburni lucus novo iubare collistrata.*
19. *Hyperion.*
20. *Iuventuti Europæ.*
21. *Horrida Tempestas.*
22. *Hagense Fragmentum.*
23. *Ad sacellum Veneris.*
24. *Nova Italiae Laus.*
25. *Novum carmen nuptiale.*
26. *Daedalus.*
27. *Iudas.*
28. *Valete, Musae.*
29. *Lictoria.*
30. *Hymnus in divum Iohannem Bosco.*
31. *Mortis Querelae.*
32. *Ar-*

<sup>1</sup> Ecquis autem Auctor? Curnam eius nomen hoc anno publici iuris minime factum est?



bores. 33. *Torcennium*. 34. *Formicae Magistrae*. 35. *Dulce Solum*. 36. *Flavius Ludimagister*. 37. *Tres Magi Reges*. 38. *Serenes*. 39. *Pomptinae Paludes Exsiccatae*. 40. *Disceptatio Amantium*. 41. *Ad Guelphum Marconi Electricum Ignem Metallicis Vinculis Expedientem*. 42. *Vindemia*. 43. *In Volsiniensi lacu*. 44. *Nero*. 45. *Extrema Regis Palma*. 46. *Ultima Carminis Aetas*. 47. *Fumus et Umbra*.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa nec prius edita argumentative privati nec quinquaginta versibus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta ante Kal. Ian. a. MCMXXXVI mittantur ad «het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam», munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poëtae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poëtae in transcribendo portabile prelum britanicum (*type-writer*) adhibuerint, ac si, quemadmodum in editionibus poëtarum fieri solet, sextum quemque versum numero insigniverint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex Legato faciendis typis describetur eique subiungetur alterum laude ornatum, si scidulae aperiendae venia dabitur. Id autem ante Kal. Iul. proximas fieri debet.

Exitus certaminis postremum in conventu Ordinis mense Aprili pronuntiabitur, quo facto scidulae carminibus non in volumen receptis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami.

P. SCHOLTEN

*Ord. lit. acad. reg. ab actis*.

Scimus auctorem carminis magna laude ornati, cui titulus *Roma caput mundi*, esse

socium nostrum clarissimum VICTORIUM GENOVESI S. I., cui iure meritoque gratulamur ex animo.

## AD IOHANNEM PASCOLI

Clarissimo JOSEPHO FUSAI  
Auctori huius carminis italicice compositi.

*Illa tuas ripas ego transii  
velociter nocte, o Sarcule defluens;  
ardens equus metam petebat,*

*mens mea sponte volabat ad te;  
ad te volabat mens mea, dulcis o  
vates; tuos at tempore mortuos  
fors somniabas maestus illo,  
dum petit aequora praepe Arctos.*

*Tu mi subis, mi nidulus et subit  
tunc ille, Castellum vetus (huic decus  
nomen tuum) quae scitque curas  
tum domus alba tuae Mariae.*

*Tu cogitandi mi subis indigus,  
tu deditus puber studiis, miser;  
tu matris orbus, tu patrisque,  
cor geris ut mare tuque vastum;*

*cor quod sciit fletus, quod Apollinis  
cantus sciit. Dulcedine blandula  
tum pace perfundor silenti,  
tum memor ipse tui, poeta.*

*Tum robur exhausi, decus intimum  
cuiusque, quod fingis bene, carminis;  
tunc, ut mihi visum, per auras  
innumeræ volucres feruntur,*

*quae dulciter cantant tibi, candidam  
quae villulam circum volitant tuam;  
hymnos canunt, vates, amoris,  
vox tua quos imitans refundit;*

*hymnos canunt, vates, tibi, qui viros  
interpres accentus avium doces.  
Sic cogitans ivi tuas, o  
Sarcule, propter aquas pererrans.*

VINCENTIUS POLYDORI

## SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

### A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE LATINE VULGATAE

#### NOTITIAE.

#### DE FOCORUM SISMICORUM PROFUNDITATE.

Prof. Agamennone J. notat magnam existere dubitationem circa profunditatem focorum sismicorum formula « Ingla » computatam; enuntiat gravia quoque dubia circa terraemotus illos, pro quorum hypocentris inventae sunt profunditates satis inter se concordantes varias adhibendo methodos; putat causam parvae fidei exitibus tribuendae, esse in nimia ambiguitate opinionum, quibus nituntur formulae in computationibus adhibitae; dubitat tandem originem terraemotuum in genere inveniri in profunditatibus multo minoribus quam quae consequimur ex formulis usitatis.

#### DE MOTUUM TELLURIS SCRIPTURA.

Variis ex experimentis super basem mobilem (italic: *piattaforma oscillante*) actis, eadem veritas, quam ipsa disciplinae formula demonstrat, a Prof. A. Proverio probatur; scilicet si periodus motus terrae periodo motus penduli brevior est (saltem ter et dimidia pars) scriptura instrumenti fideliter motum telluris sive circa eius periodum, sive circa eius amplitudinem refert.

#### DE DEPOSITO « PARVI MUNDI » IN VALLE TOURNANCHE.

Dr. P. Piepoli affirmat depositum « Parvi Mundi » (*Petit Monde*) in valle « Tournanche » ex quodam constare pyritae cupriferi strato interposito in prasinite amphibolico-granatiferi massa. Illud

constare dicit metallo ex pyrite et chalcopyrite, in aliis substantiis subtiliter diffuso, et praesertim silicato et natura et singulari constituentium rerum valore petrae includenti simillimo. Depositum initio per magmaticam de petra basica segregationem exortum, posterius in aliam formam reductum esse, ex quo structuram crystalloblasticam effectam, non tantum metalla lithoida, sed etiam metallifera respicere Auctor opinatur.

#### DE NOVA SPECIE « PTEROPODI ».

Dr. F. Scarsella, describit novam speciem « Pteropodi » ad Miocaenum medium pertinentis, quam generi « Diacria » adscribit, inventam in marginibus formationis margico-arenaceae Camertinae regionis.

#### DE NOVA GEOLOGICA CYRENAICAE DELINNEATA TABULA.

Dr. M. Marchetti, explicat novam Cyrenaicæ delineatam tabulam, quam annis 1933-34 confecit; atque ibidem primum ipse notat existentiam Cretacei mediæ in duabus locis distinctis, accuratiusque circumscrimit stratorum tertiorum amplitudinem in plagiis meridianis Cyrenaici Gebel. Mentionem quoque breviter facit de tectonicis regionis conditionibus.

#### DE FODINIS SMARAGDORUM CLEOPATRAE.

Dr. A. Stella refert se vidisse unam ex vulgo dictis « fodinis smaragdorum Cleopatrae », quae smaragdinos beryllos in illis crystallinis schistis conspicue diffusos visui obfert. Nobilis beryllus diffusus invenitur in quibusdam micaschistis, cum aliis crystallinis schistis consociatis, aut ita iacet, ut consideratis etiam non longinquis saxis granito-dioriticis, originem pneumoydatogenii repetere prorsus videatur.

**DE NOVIS SPECIEBUS ECHINODERMUM IN  
INSULA RHODO INVENTIS.**

Dr. S. Venzo in examen adduxit non nullas echinodermum formas a Migliorini in insula Rhodo inventas, determinavitque novem species ad Lutetianum pertinentes, quarum tres nondum notae erant.

**DE DISTRIBUTIONE « TERRAE NIGRANTIS » IN  
ITALIA.**

Dr. A. Comel, explanatis proprietatibus pedologicis « terrae nigrantis », probabiles distributionis ipsius areas in Italia examinat, relationesque cum ambiente typisque pedologicis, ex quibus et quibuscum ipsa efformatur.

**DE DUOBUS METALLIS IN LIGURIA INVENTIS.**

Dr. A. Pelloux certiores nos facit duo metalla, scilicet *Tinzeniten* et *Parsectensiten*, quae huc usque in quodam Helvetiae loco tantum cognita erant, nunc a seipso in certo Liguria orientalis loco inventa esse.

**DE FONTIBUS VALLIUM PROPE « M. BIANCO ».**

Dr. C. F. Capello refert inquisitiones, quae de perennibus fontibus vallium *di Venet Ferret* prope *M. Bianco* fiunt. Quos quidem fontes descriptos tradit, ratione habita soli, in quo iacent, et distributionum extentionis altitudinisque, additis quoque conclusionibus, quae ex nonnullis qualitatibus et quantitatibus analysisibus, in ipsis fontium aquis peractis, obtentae sunt. Refert etiam plurimas temperaturae variationes, quae per quinquennium 1929-1933, aestivo tempore, diligenter adnotatae fuere.

**DE SUBTERRANEA GEOLOGIA INTER BONO-  
NIAM ET FLORENTIAM.**

Considerata geologia magnae viae subterraneae celerrimi itineris ferrei Bononiensis cum Florentia nunc coniungentis, posse. - A. R.

Dr. F. Sacco innixus sive suis stratorum studiis, sive examine 213 exemplarium, ipso subterraneae viae foramine durante, servato ordine extractorum, sive demum praecisis determinationibus a Generali novarum itineris constructionum Directione sibi ipsi traditis, temporum ordinem tectonicamque structuram dissimilius quam ut publice indicatum generaliterque acceptum est, interpretatur; quod quidem clarissime patet ex duabus geologicis sectionibus inter se comparatis.

**DE CONDUCIBILITATE ELECTRICA IN STRATIS  
SEDIMENTARIIS.**

Dr. A. Bellugi, multiplici statu quaestioonis de conducibilitate electrica in stratis sedimentariis revocato, novam operam in rem confert, Sudberg diagrammatibus notis usus; quae vero plerumque minime sufficientia apparent.

## MEDICAE NOTAE

### De chylo et sanguine.<sup>1</sup>

Cibi reliquiae, vacuo in ventriculo hinc inde oberrantes, mora et agitatione acrores factae, superius ventriculi orificium ex fibrillis nerveis contextum vellicant, e cuius motus occasione, mediantibus nervis ad sensorium commune, sive *kovápirov* delatis, mens ideam *famis* concipit

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup. mens. Martii. - Quae discipline formulae atque ipsa doctrina a clarissimo Auctore in hoc scripto enunciantur, non omnes profecto novis scientiae repertis restiterunt; integrum tamen humanae physiologiae classico Latinorum sermone vulganda specimen admirandum in eo restat; restat documentum, in universali doctrinae commercio optime latinam linguam adhiberi posse. - A. R.

atque de cibo sumendo cogitat; qui cogitationis modus *appetitus* nomine venit, et intuitu corporis nil nisi motus est, vi cuius spiritus animales, cerebri incolae, in indifferentia positi, novam accipiunt determinationem, ut per nervos palato dicatos excurrent, glandulas ibidem sitas ita instant vel compriment, ut ad aspectum ferculi, palato grati, crystallinam lympham, rivulorum instar, in oris cavitatem effundant. Eiusdem motus et vellificationis orificii superioris ventriculi occasione, spiritus animales quoque determinantur ut ad labia aliasque partes fluentes, statuam illam humanam ita disponant, ut labia aperiantur, alimenta manibus apprehendantur, et ori commode ingerantur. Quippe in insigni hac cavitate, et primo quasi introitu, chylificationis fundamenta iaciuntur, quum alimenta dentium ope non solum conterantur et confringantur, verum etiam ab ipsa saliva, vi quadam fermentescibili, ita impregnentur, ut vix amplius cognosci, aut a corruptione seu acescentia, praesertim si calori solari expellantur, vindicari possint.

Totum autem hoc negotium mere mechanicum est: stant in acie dentes, qui cibum in prima illa civitate conterunt; ductus salivales fermentum reddunt; lingua miscet; musculi faucium cibum masticatum per gulam, viam angustiorem, ad ventriculum propellunt; quod si unum ex his deficiat, ipsa chylification non parum inde labefactabitur. Tantum autem abest, salivam humorem esse excrementum, ut potius primum naturae menstruum in humano hoc laboratorio, audiat, et auctor primae istius solutionis, quae nonnisi gradu ab illa, quae in ventriculo instituitur, differat; et quamvis insipida videatur, plures tamen in recessu habet particulas volatiles, acidas et salinas, quae ab effectu facile probari et offendi possunt; ipsa enim saliva vi sua abstergiva et saponaria, sanat impetiginem et vul-

nera, vi acida secat araneas, figit mercurium, et farinam fermentare facit; hinc pulmentum, matris saliva impregnatum, infanti tenellulo admodum prodest, atque facilis in ventriculo in chylum aetati huic et temperamento accommodatum abit, quam si alius hominis saliva humectetur. Tantam enim in ipsa saliva pro diversitate individuorum sexus et generis agnoscamus diversitatem, ut, sicuti sanguis in diversis subiectis alium prae se fert genium, ita ipsa etiam saliva naturam sanguinis aemulari videatur, et ipsa alimenta facilis ad eum evehat solutionis et missionis gradum, qui sanguini, in quem abire debent, et ex quo salivam suam traxit originem, sit conveniens; omnis enim humor fermentativus maiorem habebit convenientiam cum sanguine, in quo suos habuit natales, quam cum peregrino; hinc videamus etiam quod ex saliva sanguinis bene vel male dispositi signa hauriantur; id quod in febricitibus, et ubi massa sanguinea ab indole sua degeneravit, saepe saepius videre contingit.

Ipsa etiam masticatio usque adeo necessaria est, ut, hac omissa, alimenta vix in ventriculo extraverti possint; nam decem boli bene masticati, et salivali liquore bene humectati atque voluti, felicius in ventriculo coquuntur, quam unus non masticatus. Unde forte est, quod voraces et qui quasi in fuga primam hanc solutionem peraguunt, tot morbis sint obnoxii, quum cibus vix semicontritus difficillime subigatur in ventriculo, et in pastam admodum viscidam, plurium morborum matrem, abeat.

Hac peracta solutione vel comminutione, protruduntur alimenta per gulam ad ventriculum a quo excepta incipiunt ulterius fermentari, variis ad hoc negotium concurrentibus fermentationis causis, inter quas diversitas particularum cibos constituentium in figura consistentia

motu et magnitudine, nec non pororum et superficierum mutationes haud postremum obtinent locum. Principalis tamen causa efficiens, ut omnium, ita et huius fermentationis dicitur esse aether, sive materia subtilis, cui plurimae minutissimae ciborum assumptorum particulae innatant, eiusque vim comminuendi, poros angustos dilatandi, motum intestinum promovendi non parum augent, quum hic maiori cum impetu paries pororum perfringat, quemadmodum aqua fragmentis glaciei referta facilis pontes diruit et ageres perrumpit, quam si sola in eos inveneratur. Adiuvant vapores seu corpuscula a vicinis partibus expirata, hepate puta, liene, omento aliquisque partibus membranosis, quae sub calore partium circumiacentium a veteribus indigitantur; nam et haec ventriculi poros introrsum spectantes ingrediuntur, et iam in motu posita aliorum fluidorum occurrentium motum non parum augent. Symbolum confert saliva deglutita, lympha gastrica a glandulis stomachalibus effusa aliqua fluida assumpta, utpote quae citius quam corpora solidiora in motu abripiuntur, ut non male vulgus dicat « omnem coctionem fieri in humido ».

Praevia hac fermentatione partes centrales assumptorum extra vertuntur, plus pro ratione molis accipiunt superficie, hinc alimenta aliam consistentiam, alium colorem, alium odorem et saporem acquirent, quam in prima solutione in ore, fluida magis atque vaporosa redduntur, et ad maiorem rarefactionem alibi subeundam magis magisque evolvuntur. Et quamvis ut plurimum cinericii adhuc sint coloris, tamen nihil certi de hoc statuere licet, quum vel minimae etiam circumstantiae totam hanc rem variare possint.

Ventriculus autem in se consideratus instar ollae vel cucurbitae, vel retortae est, et qui structura sua spatium largiendo et fermentum ex sanguine suppeditando

chylificationis negotium promovet, nequam vero specifico quodam calore alimenta concoquit, prout id veteribus quidem visum fuit, quum tales facultates inexplicabiles non admittamus, quoniam praeter nomen nil nisi magnum inane dicunt. Profecto insitae ille facultates *coctrrix, retentrix, expultrix, attractrix* commenta sunt. Et anima ad chylificationem ne vel tantillum roboris conferre potest. Non iam dicam quod attrahere etc. sint eiusmodi attributa, quae cognitionem vel electionem, hoc est cogitationem involvunt, atque ipsis visceribus nunquam tribui possunt, quae haec virtutem suam a sanguine et propria structura habent, quemadmodum clavis vim habet aperiendi seram, ob solam fabricam, sive extensoris modificationem.

Quid vere fermentum ventriculi propri sit, et an illud in ventriculo reperitur nondum usque adeo evictum, aut in liquidum deduci potuit. Nos illud concipimus ceu vaporosum quoddam mixtum ex activis sanguinis particulis acidis et salinis, nec non ex chyli reliquiis et ipsa saliva compositum, in ventriculo vacuo oberrans, agitatoria vi praeditum, et indolem sanguinis exprimens, cuius activitate sua aemulatur, ut vel propterea semper ac sanguinem respicere debeamus, quoties quis de ventriculi conqueritur imbecillitate; hic enim si bonus est, bonam quoque generat in glandulis stomachalibus fermentescibilem lympham. Sin turbatus fuerit in sua mixtione aut intemperatus et impurus, vel nullum suppeditabit ventriculo fermentum, vel si aliquod deponet, illud tamen inidoneum erit atque fixum nimis vel non satis actuosum, cuius vitiioso chartere ipse chylus postmodum contaminatur; haec enim semper redeunt in circulum seque mutuo vel conservant, vel destruunt: *qualis chylus talis sanguis, et qualis sanguis, talis liquor gastricus, qualis liquor gastricus, talis iterum chylus.*

Multa vero sunt, quae fermenti huius existentiam probant, et quorum catalogum apud auctores passim repertus; nobis impraesentiarum pauca sufficiunt argumenta, quorum primum desumitur a solidorum corporum subitanea solutione, alterum a metallorum rosione. Quippe solida etiam alimenta brevi temporis spatio per hanc fermentationem rediguntur in pultem, id quod nunquam per elixationem fieri posset. Deinde mineralia, praesertim martialia, tantam patiuntur in ventriculo solutionem, qualis a menstruo quodam chymico fieri solet, omniaque illa apparent phaenomena, quae alias in chymica tali operatione conspicuntur, qualia sunt sapor nidorosus, odor sulphureus, aliaque, quae nunquam elixationi et calori in acceptis ferri possunt.

Fermentum hoc in statu naturali valde temperatum est, ita tamen ut pro subiectorum varietate nunc acidae nunc salinae, plus vel minus volatiles, praedominentur partes; hinc est quare quod huic saepius noceat alteri proposit, et quod multi melius ferant atque bene digerant cibos duriores quam molliores, quum e contra alii non nisi humidos valde et molles ferre possint.

(*Sequetur*)

WALDSCHMIDT.

## COLLOQUIA LATINA<sup>1</sup>

### XV.

#### Colloquium in schola.

GEORGIUS, THOMAS.

GEORGIUS. — Oho! Thoma, iam ulciscar me. Frequenter abs te accusatus, paria reposiam.

<sup>1</sup> Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Pro-gymnasmata latinitatis*. — Passim retractavit, ho-die nisque moribus aptavit I. F.

THOMAS. — Aliquoties, accusavi te, non eo inficias; saepius, rogo.

GEORG. — Quare autem vel aliquoties?

THOM. — Quod commerueras, et mihi quoque non plus pars sum est ab aliis.

GEORG. — Nunquam le laesi.

THOM. — Immo reum me fecisti.

GEORG. — Nunquam.

THOM. — Quid est porro quod me cogitas accusare. Quid culpae contraxi?

GEORG. — Scamnum cultello scriptorio conscindis; quod prohibuit Praeceptor, et tuum nomen incidis, quod gravius prohibuit.

THOM. — Oro te, tace; cera complebo sulcos illos, aut rodam lignum, ne appareant litterae!

GEORG. — Vah! consilium callidum! Quid dabis in loco mercedis?

THOM. — Submisce, ne audiat Magister. Pulcherrimum de globulis meis.

GEORG. — An tulisti tecum?

THOM. — Non omnes.

GEORG. — Quot habes?

THOM. — Septem.

GEORG. — Monstra, si placet.

THOM. — En.

GEORG. — Sunt elegantes. Facisne mihi copiam eligendi quem praecipue probavero?

THOM. — Facio.

GEORG. — Hunc eligo.

THOM. — Istum eligeres; meo enim iudicio, post se relinquit alterum praestantia.

GEORG. — Non tam aptus est ad manum meam propter magnitudinem.

THOM. — Ergo istum, paulo minorem.

GEORG. — Sine tentem. Nimium parvus est.

THOM. — Retinebis igitur quem primum omnium sumpseras.

GEORG. — Ita faciam. Quam venuste nigro alboque distinctus, venulas quasdam ostentat! Emistine an lucro acquisivisti?

THOM. - Lucro.

GEORG. - A quo?

THOM. - A Leonardo, nostri vicini filio, quocum persaepe ludo.

GEORG. - Si tam scite factis abundat globulis, provocabo illum ego similiter ad certamen.

THOM. - Vix aliquando vincitur: peritissimus enim huius scientiae puer est.

GEORG. - Et me lusorem non ultimum esse cognoscat. At comprimamus orationem: Praeceptor de cathedra descendit: ne confabulantes inveniat et ad poenam vocet!...

## ANNALES

### Hitleri, Germanicae reipublicae Praesidis, oratio.

Post Societatis Nationum in Germaniam accusationes, quas in superiore fasciculo retulimus, magna erat omnium expectatio, quid Hitlerus esset responsurus in oratione, quam ipse praenunciaverat sese dicturum. In qua quidem si in predictis Germanicis iuribus institit, renunciationem tamen suae civitatis declaravit Alsatiae Lorenaeque provinciis, finium qui hodie sunt recognitionem, officiorum Locarni assumptionis confirmationem, additis de aereis negotiis pactionibus, et conditionem limites ponendi tum magnis tormentis bellicis, tum subaqueis litribus. De Austria vero non satis certe aperte que est loquutus: dum enim asserit nolle se, neque opus habere sese internis illius populi rebus implicandi, ius repetit pro Teutonum populo, ubique, de controversiis suis per se decernendi. Denique sese promptius paratumque exhibuit foedera cum quavis gente, praeter Russicam atque Lithuanicam, ferienda.

### Pactio inter Russiam et Galliam.

Non igitur mirum si, vix cognita mutua auxilii pactione inita inter Galliam et Russiam, contra ipsam reclamaverit, quippe Locarnicae pactionis animo adversantem. Gallicum vero gubernium respondit vanas demonstrans germanicas huiusmodi reclamationes, coniectionesque in pactionem ipsam agitatas.

### Italicum cum Abyssinia discrimen.

Supremum Nationum Societatis Consilium libertatem utriusque parti reliquit discrimen inter Italiam Abyssiniamque ex se solvendi; arbitrorum itaque collegium ad rem a partibus ipsis selectum Mediolani congregatum est. Dum vero hic consultatur, Abyssinorum gubernium in libertatem sine iudicio, et contra ea quae pacta constitutaque fuerant, restituit vis in campum consularem oppidi Gondar reos; neque satis, quia novi impetus in Eritreae et Somaliae italicis finibus facti sunt. Non itaque improbanda Italia est, si novis copiis fines ipsis communit.

### Londinenses feriae.

Londini, et per Angliam omnem, sollemnes feriae celebratae sunt ob vigesimum quintum exactum annum, ex quo Georgius V regnum obtinuit. Omnes, et ipse Summus Catholicorum Princeps, Pius PP. XI, eius humanitatem magnis laudibus extulerunt.

### Polonorum luctus.

Varsaviae diem supremum obiit Iosephus Pilsudski, patriae libertatis heros, strenuus contra partium fallacias digladi-

tor. Ad summa rerum vocatus an. MCMXXVI, dictatoriam repudiavit, at per gradus Polonorum res ad constitutionem illam adduxit, quam civitas exultans receris amplexata est. Nunc a supremis rei publicae muneribus secesserat, sibi tantum bellicae rei administratione servata.

POPPLICOLA.

## VARIA

### Satius ne sit ita paevenire, ut tu prius hostem adoriaris, quam ille te.<sup>1</sup>

Persaepe ego viros rei militaris peritisimos hac de re disserentes audivi: Si bini sint principes viribus aequales, quorum unus alteri bellum indixerit, satius ne est ei, cui bellum indictum est, hostem domi exspectare, an ipsius fines ingredi, et veluti paeveniendo prius illum domi suae adoriri? Argumenta sunt in utramque partem. Et illi, qui existimant satius esse paevenire, et hostium fines ingredi, quam domi illos exspectare, Croesi consilium adducunt Cyro, regi Persarum datum, quum Massagetarum gentem invaderet. Nam quum Thamyris, Massagetarum regina, auditio Cyri adventu, ei significaret, optionem se illi dare, malletne in regnum suum ingredi, an se foris exspectaret; si enim venire mallet, paratam se esse domi eius impetum sustinere; si non veniret, se proditaram illi obviam. Qua de re quum in Cyri castris disputaretur, suasit Croesus contra aliorum sententiam, ipsam

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: « De republica disputationes ex prima decade T. Livii » latine reddidit H. Bindi.

Reginam invadendam. Nam si illa procul a suo regno vinceretur, posse nihilominus regnum ipsi conservari, et exercitus novos comparari. At si intra regni sui fines id fieret, neque fugae, neque novarum copiarum ullam superesse rationem, atque ita regno exui posse. In eamdem sententiam aiunt Hannibalem Antiocho suasse: si populum romanum subigere vellet, bellum in Italiam transferret; neque enim aliter eum vinci posse, quam erepta Italia, in qua novorum praesidiorum penum quandam haberet perpetuum, quamdiu extra Italiam esset ac bella gereret. Oportere igitur primo omnium Romam invadere, deinde Italiam, postmodum ad reliquias eorum provincias veniendum. Agathoclem etiam, quum Carthaginiensium impetum domi sustinere non potuisset, bellum in ipsorum fines transtulisse, et illos ad petendam pacem compulisse. Scipionem eadem prudentia militari, bellum ex Italia in Africam transtulisse.

Sed qui contrariam sententiam tueruntur, aiunt non posse commodius labefactari exercitus vires quam si procul a patria bellum abducatur, idque vel Atheniensium exemplo notum esse posse, qui, quamdiu domi hostes exspectarunt, semper vicerunt; at postquam procul a patria bellum gerere coepissent, et exercitus in Siciliam transferre, et libertatem et cetera omnia amiserunt. Huc pertinere etiam Anthei, Libyci regis fabulam. Antheum enim ab Hercule Aegyptio petum, tamdiu fuisse superiorem, quamdiu eius impetus domi sustineret; at postquam Herculis astutia extra regni fines prodiisset, succubuit, vitamque cum regno amisit. Id enim sibi velle, quod poetae de eo fabulantur: quod quum esset Terrae filius, quamdiu terrae haereret, amissas vires inter dimicandum ex matre resumeret; sed quum ab Hercule in altum projectus fuisset ne matrem contingenter, victimum esse. Exempla praeterea rerum, quae pa-

trum nostrorum nostraque etiam memoria gestae sunt, idem arguere. Novimus omnes quanta fuerit Fernandi, Neapolitani regis, prudentia, tum in bello, cum in pace. At idem quum biennio ante obitum cognovisset Carolum VIII, Galliae regem, adventare; et multos apparatus fecisset, in morbum incidens, Alfonso filio, qui in regnum successit, in mandatis dedit, ut hostem intra regni fines exspectaret cum omnibus suis viribus, nec usquam prodiret cum ullis copiis. Sed ab Alfonso postea, quum non esset observatum patris praeceptum, ut qui in Insubriam exercitum hosti obvium praemisisset, accidit ut universum regnum subito et absque ulla dimicazione amiserit.

(*Sequitur*).

\* \*

### Asinus et Equus.

Videbatur Asino beatus esse Equus, qui tam accurate et copiose pasceretur, quum sibi ne paleae quidem post maximam defatigationem abunde praebetur. Forte autem bello exorto, quum in praelium ab armato Equus ageretur, et circumventus ab hostibus, post multiplices labores pugnae, tandem saucius collabetur; haec omnia conspicatus Asinus, quem paulo ante tam fortunatum esse censuerat, miserum maxime et infelicem tum esse iudicabat.

Docet fabula non esse principatus et opum splendores appetendos, sed tenuem fortunam et mediocritatem vitae exoptandam.

\* \*

### Pro iudicibus mensarum elegan-

tibus

ESCARUM ORDO:

*Puls ex solani farina.*

*Caro bubulina elixa cum salgamis.*

*Moretula ex palinuris vulgaribus.*  
*Gallus indicus assus;* *Asparagi Par-*  
*mensi caseo conditi.*  
*Fraga congelata.*

### Ioci.

TUCCIU in schola.

Postquam Magister diu de solsticiis, de aequinoctiis deque temporum quadri- pertitis commutationibus disseruit, Tucci- um interrogat: — Ecqui igitur, Tucci, dies brevissimi sunt?

TUCCIU: — Feriati scholae dies!

Item.

MAGISTER: — Utilorem, Tucci, aesti- mas solem an lunam?

TUCCIU: — Lunam, hercle!

MAGISTER: — Quid est cur ita iudices?

TUCCIU: — Quia nox illunis obscura omnino est; in die, contra, etiam sine sole optime videmus.

### Aenigmata.

I.

(vulgo *Rebus*)

### PERA AS ASTRA

II.

*Totum quid amat? Pabulum.*

*Primo ius sacrum teritur.*

*Frugum parens est alterum.*

Aenigmata in superiore fasciculo propo- sita his respondent: 1) *Sal, Sol; Ala-uda.*

### LIBRI DONO ACCEPTI

ANTONINO DISTEFANO, *Ricreazioni di la-*  
*tino.* — Augustae Taurinorum edid. Societas  
*Editrix Internationalis.* — Ven. lib. 5.

## ANTHEA

[3]

Quumque plane sentiret se non posse defunctae desiderium pati, consilia agitabat eam in conditorum prosequendi.

Inter haec rumor auditur levis, quasi pedum per caligam furtimque sese admonientum. Visu exsanguis horrescit Anthea, reductoque timidissime spiritu, attonita stupet. Occupabat enim miseram timor, ne forte umbrae adventarent sibi saepius obiectae atque anteire solitae mortuum hominem immotis oculis vitreisque intuentem.

Tum Cinna, blande inlecta manu trepidanti:

— Pelle — inquit — vanum timorem, bonumque animum habe; nam et mihi rumor auditur.

Mox autem:

— Ipse est; Pontius venit.

Iamque ad tramitis flexum in conspectum se dabat procurator. Media hominis aetas; paullo plenior ac nitidum os resecta barba; arcessita quaedam sublimitas; fatigati animi et corporis habitus. Qui quum brevi adstitisset, in umbram palmae succedens:

— Salve, — inquit — vir nobilissime; tuque, diva Anthea, salve. Quantus hodie aestus afflat post noctem frigidissimam! Hic dies vobis faustus felixque sit; idemque initium afferat recuperandae salutis, Anthea, qua iterum vigeas niteasque uti flores, quibus est conspersa lectica.

Officiis ultro citroque habitis, procurator sedit, inspectaque attentius aegra:

— Solitudinis — inquit adducto super- cilio — est aegritudo comes; abest a fre- quentia metus. Quamobrem quid in rem vestram esse mihi videatur quidque con- silii vobis capendum sit libere dicam.

Hic profecto neque Alexandriae sumus neque Antiochiae, ubi agi aetas liceat, uti vos deceat, vel in circo vel in theatro; quibus a deliciis huius populi mores sunt remotissimi. Hic nullus est fere sermo nisi de *lege*, quae plurimum negotii dat mihi misero et in quam cogimur tam fre- quenter offendere, ut malim commorari cum Scythis.

— Sed licet tandem scire quid mo- neas?

— Quoniam, uti aiebam, metu caret frequentia, velim spectaculo adsitis homi- num trium, qui hodie dandi sunt cruci. Res curiositate non vacat, fietque clara atque exspectata magis propter solemnes paschatis dies. Multi enim et religionis causa et studio visendi supplicii conve- nient, maxime proximi quique e plebecula. Spero damnatos morituros fortiter. In his autem iuvenis est singularis quidam, qui se Filium Dei affirmat, miti ingenio in- star columbae, eaque vitae innocentia, de qua nullum sit certe sumendum sup- plicium.

— Hunc ergo cruci addixisti inno- xium?

— Quid facerem? Multa simul ac di- versa angebant. Hinc avebam vitare molestias, illinc non irritare crabrones. Tanta enim invidia in eum hominem conflata est a principibus sacerdotum, ut queri- moniae de me, quod remissius egerim, Romam usque pervenerint. Ceterum ma- lum hoc ad civem romanum non reddit.

— Ex hoc tamen haud minor fiet sen- sus doloris misero.

OppORTUNA animadversione percusus procurator paulum reticuit; dein collecto animo:

eminebant: Anna, falcato vultu et lippis oculis senex; Caipha bicorni infula ornatus, ac lamina circa pectus gemmis distincta. Extremi subeunt, interiectus aestuant po- pulo murus, pharisaei, gravi incessu, vultu composito, defluentibus tunicis, quasi quietae felicitatis vexillis.

Cinna, fastu romano, oculis lustrabat singulos. Antheam stupor primum, deinde anxiae trepidationis penetraverat sensus. Cuius quasi mortuae species omnium in se rapiebat admirationem, haerebantque in ea defixi insolentius obtutus. Inhibebant milites proterviam turbae, contemplatione atque odio prosequentis; quum peregrinos omnes, tum etiam mulierem illam pene morbo confectam. Tum demum miserae patuit totius ratio consilii quod gens illa cepisset, perdendi hominis amanssimi.

Auctum clamorem sibilis, rugitibus, improvism ac per breve silentium excepit. Tum vero exaudiri coepitus tinnitus armorum, et gressus in numerum gravis legionariae cohortis.

Turba hinc inde semota, fit aditus novissimo agmini. Septae militibus agitantur, tamquam in aere natantes, crucis tres, curvante pondere terga subeuntum. Facile autem intelligi poterat in iis non esse divinum hominem, nam nefarios duos ipse prodebat vultus; tertius erat, alii suffectus, rusticus quidam.

Tandem, exiguo intervallo, medius inter custodes milites duos, conspicitur Nazarenus. Impositum vestibus gerit purpureum pallium; regium insigne capiti inhaeret spinea corona; qua laceratione cereus pallore vultus rigatur sanguine. Singulis passibus defatigato recrudescit dolor intumescitque corpus ulceribus. Una languentem persequitur, pari emissa consensu, vox: «Crucifigatur!» Alternis autem inconditus editus clamor isque terribilis, ritu ferarum, praedam modo quam expectant truci rictu intuentum. Interea demisso

vultu procedit innocens victima, non suam quidem vicem, sed populi salutem dolens supremo periculo obiectam.

Anthea, defixis oculis in augustissimam faciem eamdemque pacis et misericordiae nuntiam gentibus universis, trepido labiorum murmure:

— Tu es — inquit — Veritas.

Anxiae vero propter metum ne cito esset ille praeteriturus, sors insperatam attulit occasionem contemplandi diutius. Quum enim eo loci nimium stipata turba intercluderet iter, eius amovendae causa, obnitentes milites constitere. Tum Antheae licuit considerare totum hominem adeo sibi iam proximum, ut flavos illius crines cerneret agitari vento, cerneret in pallido vultu repercussos colores purpurae. Multa simul spectaculo erant: multitudo vix a militibus compressa, ne in ipsum rueret praeceps; intenta, facto pugno, tot brachia; tot oculi emissiti; tot albicantes dentes, tot linguae ad exsecrandum conversae. Quibus omnibus ille petitus ictibus, interdum circumspiciens, velle videbatur quaerere, quidnam tandem fecisset mali.

Inter haec Anthea iteratis vocibus revocatur a Cinna. Oblita enim se multos iam dies iacere immotam, irae simul atque amoris acta impetu quodam, repente surrexerat, turgidisque oculis ac tremebunda collectos e lectica flores cooperat spargere, pedibus Nazareni calcando.

Occupat late stupor animos secum agitantes, qui fieri posset ut romana foemina, genere nobilissimo, eius honoris testimonium publice exhiberet damnato homini. At ille, converso ore, respexit Antheam, motisque leniter labiis visus est eidem velle bene precari.

(Ad proximum numerum)

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.  
Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.


TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

# ALMA ROMA

QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

Per.  
Lat  
011

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

Nuperrime prodiit

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 500 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1000, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXII

Romae, Mense Iulio MCMXXXV

Fasc. VII



# ALMA ROMA

## LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis, an. MCMXXXV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

### ROMA CAPUT MUNDI

CARMEN MAGNA LAUDE ORNATUM IN CERTAMINE POËTICO HOUEFTIANO ANN. MCMXXXIV

AD AUGUSTUM

BIS MILLESIMO AB EIUS OBITU ANNO ADVENTANTE  
PROXIME IN URBE CELEBRANDO

Discussi, fateor, sectas, Antonius, omnes,  
plurima quaequivi, per singula quaeque cucurri,  
sed nihil inveni melius quam credere Christo.

(S. PAUL. NO. 1.)

Marmore quae vario nituere Palatia et auro,  
unde diu tellus omnis tremefacta pependit,  
senta situ squalent caecis horrenda latebris,  
splendida nec choreis, nec vocibus atria laetis  
nec clangore tubae resonant in bella vocantis.  
Vasta ruina decus tantum testata vetustum  
nunc superest, civis festis ubi saepe diebus  
frigidulos gaudet vacuus captare susurros  
laurigerisque solent, pueri se condere xystis.

Nunc ubi Conscripsi dantes oracula Patres  
atque curule nitens ebur augustusque Senatus,  
et Saltii vates et lapsa ancilia caelo?<sup>1</sup>  
Occubueru simul fatorum cuncta sub ictu,  
compita perque fori repit maculosa lacerta  
papilio volitans et versicoloribus alis  
pascit odoratas per amoena vireta corollas.

Congeries lapidum passim fractaque columnae  
atque fatiscentes aedes, ubi molle cubile  
exstruit in rimis et, triste iacentibus omen,  
lucifugus bubo flet lamentabile carmen.

Quid te posteritas, annos bis mille iacentem,  
evocat e tumulo cineresque, Auguste, frequentat  
elogiis serfisque tuos? hi quorsus honores?

Concidit imperium quod noti tum orbis adegit  
dividuas olim gentes ditione sub una  
(egregium sane facinus quod mente sagaci  
acer perseveris fortuna flante secunda).  
Vincula iamdudum detrectavere frementes  
Romulea late populi virtute subacti,  
nec modo iam Latium dominatur gentibus armis,  
nec placitis pronus Capitolî obtemperat orbis.

Ecce frequens, frustra prohibentibus Alpibus,  
[instar  
turbanis excidium spirans caedemque cruentam  
barbara turba ruit, campos populataque et urbes  
omnia vasta dedit, Marii Drusique probrosum  
dignata ingum, clades memor ultra parentum.

<sup>1</sup> VERG., Aen., VII, v. 669.

*Diruta contemplor veterum delubra deorum  
arcus et cameras et circos atque theatra,  
insonti toties heu! funestata cruento,  
quorum fornibus tenues modo cappar adesis  
expandit frutices serpunt hederaeque sequaces.*

*Ira lacessiti sceleratis Numinis aris  
consilioque pio terris nova saecula daturi  
Romuleum porro, populorum sanguine rorans  
communuit sceptrum, fuga nil miserantis et aevi  
in tumulum vertit famae documenta prioris,  
saepius, infandum! servili parta flagello,  
raraque nunc superant vestigia condita terra.*

*Omnia iam mutata novusque humanior acto  
mos subiit prisco. Minime nunc Roma tuerit  
scandere pontificem tacita cum virgine collem,<sup>1</sup>  
neve Via Sacra, flictum resonante rotarum,  
victorem bello reducem insultare triumpho,  
pone sequente, nefas! captiva pube quadrigam.*

*Vana supersticio perit, vetus error abivit,  
et quae barbaricis iterum est exorta ruinis  
Urbs altos praefert usus ritusque frequentat.  
Pantheon extrusit mendacia numina; surgunt  
indicia insignis passim pietatis et artis  
mire fana tholos agili tollentia gyro  
victricisque Crucis perhibent praeclera tropaea.*

*Eminet haec inter Petri mirabile templum,  
structilibus vivax saxis Ecclesiae imago,  
brachia protendens populis, ad sidera frontem,  
et raptim circum labentibus omnibus, unum  
exitii solida securum mole sua stat.*

*Stirpis Adae santis tandem misera dolorem,  
Una Dei Soboles, quam vera ambagibus antro  
involvens, cecinit venturam prisca Sibylla,  
Vergiliique redit cantu,<sup>2</sup> sed verius Almo  
edociti veteres monuerunt Flamine vates,  
siderea liquit sedes, latura salutem  
gentibus, aeternum genitum de Numine Numen.*

*Ipsum est Assyrio visus lapis ille tyramno,  
nullis desectus manibus de monte caducus,<sup>3</sup>  
quattuor ingentis qui trivit regna colossi,<sup>4</sup>  
dissimili arcano membris expressa metallo,  
moleque tum gliscens fit mons atque occupat orbem.*

*Vertitur hoc uno saeclorum cardine gyrus,  
per Quem constat opus mundi spectabile totum,  
omneque complectens aevum, immutabilis Ipse,  
certo fine vices ad Se dat vergere cunctas.*

*Verbum nomen Ei, natura utraque Theander  
dicitur, officio Iesus, diademate Christus.<sup>5</sup>*

<sup>1</sup> HORAT., *Od.*, III, 30,

<sup>2</sup> VERG., *Ecl.*, IV.

<sup>3</sup> Lapis caducus vertice - ac mole terras occupans (*Ex Liturgia, in festo Christi Regis*).

<sup>4</sup> Cfr. DAN., II, 31-45.

<sup>5</sup> Concilium Chalcedonense, a. 451.

*Illi ante thronum genibus procumbite, reges,  
succiduis, uni rerum cui summa potestas  
est data,<sup>1</sup> sceptra manu valida qui ferrea gestat<sup>2</sup>  
et femore inscriptum praefert tunicaque rubenti:  
Rex regum et Dominus dominantum!<sup>3</sup> Tu inscius*

*[olim]  
iussa, Auguste, dabas gentes numerare subactas,<sup>4</sup>  
ambitione tumens animo nec plura volutans;  
Ille sed eventus, prout dixerat ante Michaeas,<sup>5</sup>  
consilio arcane caecos digessit, ut auras  
combiberet misero primas Bethlehemico in antro.<sup>6</sup>*

*Ecce iacet stabulo caeli cui regia fulget,  
tuque Palatina chlamydem circumdat arce  
perdomitum totum spectas legionibus orbe  
vanaque pertentant laudis tibi gaudia pectus,  
nec subit extremo Iudeaeae littore natum,  
promissum patribus,<sup>7</sup> conceptum ex Virgine regem,<sup>8</sup>  
cui Roma imperium late victricibus armis,  
praecipiente Deo, postremum conderet; huius  
queque minister eras, ignorans!<sup>9</sup> Abditus ille  
integra fabrili desudans arte iuventae  
tempora transegit, gemitu lacrimisque precatus  
noctes atque dies Patrem pro stirpe scelestas,<sup>10</sup>  
primaevi penitus polluta labe parentis,<sup>11</sup>  
certus eam aeternis meritis subducere poenis.*

*Denique Iordanis sacras devenit ad undas  
et Deus humana patuit sub imagine verus,<sup>12</sup>  
vitae opifex, mortis domitor moderator et aevi:*

*Imperat et subito, placido velut excita somno  
corpora consurgunt gelido rediviva feretro;  
caecigenos visu donat mutosque loquela,  
auditu surdos, languentes robore firmat,  
tartaream turbam terret nutuque tumentes  
componit fluctus tempestatisque serenat.*

*Noverunt elementa Fabrum discordia primum  
legiferica sui iussus natura facessit.*

*Fatur, et arcana pectus dulcedine capta  
turba stupens clamat: «Nunquam sic ore locutus  
est mortalis homo!» - «Divinitus Iste magister!»<sup>13</sup>  
Abdita praeteritis, nunquam superanda futuris*

<sup>1</sup> MATTH., 18, 18.

<sup>2</sup> Ps. II, 9.

<sup>3</sup> Apoc., 19, 13-16.

<sup>4</sup> LUC., II, 1.

<sup>5</sup> MICHAEAS, V, 2.

<sup>6</sup> LUC., II, 7.

<sup>7</sup> GEN., XXII, 18; XLIX, 10; III, 15.

<sup>8</sup> ISAIAS, VII, 14; MATTH., I, 23.

<sup>9</sup> Cfr. S. LEO M., in *Nat. Apostolorum Petri et Pauli*.

<sup>10</sup> PAUL., *Ad Heb.*, V, 7.

<sup>11</sup> PAUL., *Ephes.*, II, 3; *Rom.*, V, 12.

<sup>12</sup> IO., I, 29.

<sup>13</sup> IO., VII, 46; III, 2.

*aevis, aeternae promit documenta salutis,  
spe meliore poli blandus lenire dolores,  
doctus et obiectum nobis rescindere velum  
quod gemitus ortus, quod et illacrimabile funus  
mundanasque vices invisis obtegit umbris.*

*Suppicio sed Eum gens impia vovit atroci,  
conscia flagitii, vatum ast ignara suorum,  
queis saepe occurrit Christi subeuntis imago  
obvia sponte Crucem, qua criminis nostra piavit  
aethereique viam rursus patefecit Olympi.<sup>1</sup>*

*Dixerat: «Ut fuero lignum sublatus in altum,  
ad me cuncta traham!<sup>2</sup> Veracem tempora fantem  
protinus ostendunt. Frustra fremuere tyramni  
moliti temere solio detrudere Christum:  
exitio fuerunt vesana ferentibus arma;  
frustra Christiadum circi maduere cruce:.  
pinguior effuso succrexit sanguine messis.*

*Astus, arma, minae, vis effera, subdolus error  
irrita cesserunt. Vicibus stat nescia flecti  
Numinis humanis mens! - «Christus regnet oportet!*

*[tet!] intonat en Paulus - pedibus dum inimica sca-*

*[bellum] ponat castra suis!<sup>3</sup> Heres iustissimus Ille,  
cui Pater imperium gentes commisit in omnes,<sup>4</sup>  
unus et humanis membris deitate renidet.<sup>5</sup>*

*«Regnavit Deus a Ligno!» - praesaga futuri  
praecinuit patribus sacri lyra carmina vatis;<sup>6</sup>  
praecipitum concors saeclorum consonat echo  
plausibus ingeminata novis. Non Ille cruenter  
armis edomuit mundum, sed amore subegit,  
ipsa, negata aliis, praesens sibi subdere corda,  
unus et infensum reliquis supereminet aevum.*

*Haec regit eventus lex; rerum is vertitur ordo.  
Regia vae miseris Christi qui iura recusant,  
quae modo plebicolae blaterant commenta secuti!  
Quid procul a Christo clades nisi vasta superstat?  
Discite iam moniti, populi, submittere fasces,  
discite vos proni praecepta capessere, reges!*

*Cur igitur tumulum decorant, Auguste, nepotes  
rursus honore tuum, vix si quorum auctor haberis  
nunc memores tituli superant tristesque ruinae?  
Quo tandem ista tibi sero sollemnia fiunt,  
quidve tuis sperat revocatis manibus aetas?  
Tempora num possunt iterum delapsa reverti?*

<sup>1</sup> LUC., XXIV, 26-7.

<sup>2</sup> IO., XII, 32.

<sup>3</sup> PAUL., I, COR., XV, 15.

<sup>4</sup> PAUL., HEB., I, 2; PS. II, 8.

<sup>5</sup> PAUL., COLOSS., II, 91.

<sup>6</sup> Impleta sunt quae concinit - David fidi  
carmine, - dicendo nationibus: - regnavit a ligno  
Deus (*Ex liturgia romana*).

*Scilicet effrenae, studia in diversa frementes  
inque vicem scissae consurgunt undique gentes.  
Europes urget populos vesana similitus;  
stirps Asiana gravi saeclorum excussa vetero  
occiduo ardet tandem pepulisse colonos,  
iamque potens America sui maturat apisci  
abiicit imperium quod nunc Europa senescens.*

*Heu! quae me trepidi terrent formidine visa!  
quantas aspicio terris instare ruinas  
quantoque horrendo late tabescere luctu!*

*Impia iam video gentes concurrere in arma  
cuvitque terrarum vasto flagrare tumultu.  
Aligera, aethereos pernix percurre tracts,  
horrissonis sudum diffundit cymbula bombis,  
urbibus exitio mox improvisa futura,  
germina sive pluit passim tenuissima mortis  
atque vaporifera lacrimosum nube venenum,  
orave fumiferam pestem quae strangulat hausta;  
sive polo sphaeras immanes grandinat alto,  
multiplicis leti gravidas ictuque crepentes  
terrificam cladem crebrum chalybiumque procellam  
igniferos globos incendia dira trahentes.*

*Tum pelagus cerno cataphractas aere carinas  
scandere tormentis instrutas, eminus atrum  
civibus excidium laturis, nareque mersos  
navifragos fluctu lembos, nova monstra, profundo.*

*Tristia quis fando referat spectacula mortis,  
damna, pericla, neces, animus quae praecipit hor-*

*[rens?]*

*Dirus ubique furor stragisque ferina cupidio  
exstimat mentes; odium nova sufficit arma.  
Sanguine terra madet discerptis obruta membris:*

*semineces frustra querentes oscula matrum  
ingeminant gemitum... saevo confusa fragore  
abripit armorum levis aura novissima vota!*

*Nnacia tum facti tum veri territat urbes  
ruricolumque domos et sparsa magalia clivis  
aetherea unda loquax late radiata, resultans  
capta subinde modos docili depromere capsu.*

*Anxia corde rigent... quaesitum lustra ferarum  
diffugiant cives... animos pavor attontat omnes  
missilium crepitu tormentorumque boatu,  
quassa velut tellus penitus compage fatiscat  
atque suprema dies toti mox ingruat orbi.  
(Det meliora Deus nec sint praesagia vera,  
quamquam luctifica longe re distat imago!).*

*Ah, cur prognati fratres ex semine eodem  
finibus oppositis et saevis scindimur armis?  
Iam satis est odio! dextras iungamus amicas,  
queis Pater est idem caelis idemque Redemptor!  
Iurgia disperant, gladii ius cedat iniquum,  
pacifera sacras olea tangamus et aras.*

*Nonne magis deceat regimen coisse sub unum  
omnes iam populos communia iura potitos,  
pergere quam tigridum laniari more vicissim  
armaque in alternum exitium conflare scelestas?*

*Fallor? an id demum secreto cogitat aetas  
hos dum, Auguste, tibi seros indicit honores,  
gestaque miratur queis, fatis usque secundis,  
porrigis imperium confinia ad ultima mundi?  
Hoc etiam praesens, inquam, sibi discipit aetas,  
pacis anhela odiisque diu lacerata cruentis,  
hactenus exacti tot hiantia vulnera belli  
aegra gerens, merito posthac graviora tremiscens.*

*Impia sed Christi pergit si temnere leges  
fataque consilio Romae decreta superno  
despicit inspiens, pacis spem pascat inanem.*

*Has etenim gladium fugeret cum Herodis iniqui,  
Numinis auspicio, Petrus devenit ad oras,<sup>1</sup>  
sceptra gerens Christi terris et claviger axis,<sup>2</sup>  
indeque Romuleae grandescit gloria Sedis,<sup>3</sup>  
quae superi promit populis oracula veri  
sacraque derivat septena fluenta salutis.<sup>4</sup>*

*Roma, tuas iterum maternas coge sub alas  
quas miseras error gentes procul avius egit,  
quasque superstatio iamdudum caeca fatigat.  
Vincula nequaquam scelerata nec adprecor arma  
servitique iugum gravius quod graecula turba  
mentibus impositum garrit. Sit libera quaeque  
gens ubicumque loci degit, sua iuraque sunto  
spiritui humano pedicas quascumque peroso.  
Tantum solivagae rationis temperet ausa  
dia fides Christi, praeceps ne devia currat,  
unaque religio toto dominetur in orbe  
Romanusque Pater sacrum regat unus ovile.<sup>5</sup>*

*Hanc utinam populis adducant tempora lucem,  
auspice qua Roma, socientur foedere eodem,  
una fides animos et amor devinciat unus  
Hesperiisque plagis Orientis solis ad oras  
Victima, quam vates portendit, pura litetur.<sup>6</sup>*

*Felix illa dies, cum gens humana coibit  
mite sub imperium Christi! Tunc functa supremo  
munere Roma suo, populorum mater et altrix,  
orbis iure sacros iteret regina triumphos,  
placatique tui demum, delecte minister  
tanti consilii, cineres, Auguste, quiescent.*

V. GENOVESI S. I.

<sup>1</sup> *Hac cathedra, Petrus qua sederat ipse, loca-  
tum — maxima Roma Linum primum considere iussit*  
(AUTOR ANONYMUS, *adversus Marcionem*).

<sup>2</sup> MATTH., XVI, 18-9.

<sup>3</sup> Cfr. IRENAEUM, 120-202. *Adversus haereses*, I. III, c. III.

<sup>4</sup> *Concil. Trid.*, sess. VII, can. 1.

<sup>5</sup> IO., XI, 51-52; X, 17.

<sup>6</sup> MALACHIAS, I, 11.

## DE FRANCORUM ACADEMIAE ORIGINIBUS

Anno millesimo sexentesimo quinto et trigesimo, octavo kal. februarias, per manum clarissimi Conrart, regiae litterae datae fuerunt quibus Aloisius XIII, Francorum Rex, dilectissimo suo consobrino<sup>1</sup> Patri Purpurato de Richelieu, provinciam dedit, Francorum Academiae Praefectis, Statutis, Constitutionibus, regiam auctoritatem concedendi.

Quo regio decreto res equidem magni ponderis statuebatur, id est societas cui *Francorum Academiae* nomen inditum est. Sed quomodo? Cur? Breviter respondebimus.

### I. — Quomodo Francorum Academia orta sit.

Nobis traditum est,<sup>2</sup> anno millesimo sexentesimo undetrigesimo nonnullos ex doctis viris qui Lutetiae Parisiorum morabantur nil aegrius ferre quam se ipsos quaerere, ut de iis argumentis disceptarent, quae ad philosophiam reliquaque doctrinas pertinerent. Qua de causa statuerunt sese domi apud Valentiniū Conrart colligere, singulis hebdomadibus, die quodam statuto, quo secum loqui possent. Dictum ac factum! Domus quam elegerant in media urbe constituta<sup>3</sup> quam qui maxime apta erat ad hos doctissimos viros excipiendum. Colloquia eorum non minus sapientia quam iucunditate condita ea ipsa referebant, de quibus Cicero: « Nunquam sine aliqua lectione apud Atticum coenatum est, ut non minus venter

<sup>1</sup> *Très cher et très amé cousin* (PELLISSON).

<sup>2</sup> PELLISSON et D'OLIVET, *Histoire de l'Academie française*.

<sup>3</sup> Infra Rue Saint-Martin atque Rue des Vieilles-Étuves.

quam animus delectaretur»; mentem vero gravissimis disceptationibus fatigatam seu deambulatione seu symposio suaviter levantes, voluptatem utilitatemque incredibilem capiebant,<sup>4</sup> ii enim deliciis omnibus quas animorum societas atque ratio affere possunt, nulla perturbatione fruabantur.

Sed haec tam beata vivendi ratio a clarissimo viro M. de Malleville turbata fuit, cuius opera, amico Faret in hoc coenaculum iter patuit: is enim conventicula horum illustrium virorum amico suo Boisrobert aperuit, qui item Richelieu rem manifestavit. Conventicula nondum regia auctoritate fiebant, sed tantum privato modo, ut inter amicos: Richelieu rem ita non probavit suoque animo recogitavit quomodo tam praeclaros viros eorumque societatem in suam potestatem redigere. Statim petiit, esetne placitum excellentissimis viris sese in societatem redigere Regis auctoritate constitutam? Illi praeclarissimi viri turbati sunt animusque eorum in ancipi versatus est. Ex sociis nonnulli praeponenti Regis ministro adversabantur, neque eius mancipia fieri desiderabant; sed Chapelain, qui inter socios magna auctoritate gaudebat, notavit: «Res nobis est cum viro, qui non mediocriter vellet ea quae volebat, qui nihil soleret concedere sibi resistantibus, neque eos quietos impune vivere pateretur». <sup>5</sup> Invite equidem, sed omnes voluntatem atque gratias tam incommodi Patroni iniquo animo tulerunt. Legitimae erectionis diploma diu non tardavit, sed Legati Populares duabus annis a confirmando diplomate sese abstinuerunt; timebant enim tali modo ne nova arma Richelieu concederent, qui-

<sup>4</sup> *Un plaisir extrême et un profit incroyable* (PELLISSON).

<sup>5</sup> ... ils avoient affaire à un homme qui ne vouloit pas médiocrement ce qu'il vouloit... (PELLISSON).

bus ipse nova seu occultae explorationis seu arrogantiae instrumenta prae manus haberet. Tandem ab instituta anno MDCXXIX Academia ad annum MDCXXXV septem elapsis annis, Popularium quoque consulto societas stetit, et illico praetorium munus effecta est publico aere soluta. Fama statim percrebuit doctissimos hos viros Eminentissimi Cardinalis vectigales esse, eosque eius voluntati atque auctorati demississime favere.

Iurgia non defuere: Saint-Évremont in illa sua *Comédie des Académistes* relictum scripsit:

*A Nosseigneurs Académiques,  
Nosseigneurs les Hypercritiques,  
Souverains arbitres des mots,  
Doctes faiseurs d'Avant-propos,  
Peseurs de brèves et de longues,  
De voyelles et de diphongues...;*

sed Academicci nullius facientes salse dicta et amara convicia, suae dignitati nunquam deficiente, nulla responsione data, detractores ad silendum tandem coegerunt: statutum enim erat articulo XLVI: *S'il arrive que l'on fasse quelques écrits contre l'Académie, aucun des l'Acémiciens n'entreprendra d'y répondre ou de rien publier pour sa défense...*; quam legem nemo negaverit prudentissimam fuisse.

Sed anno MDCCXXXVIII quum poëta Roy acriter Academicos insecutus esset, iussu Cardinalis Fleury in vincula Sancti Lazari detrusus est. Melius equidem fuerat si hanc quoque aggressionem aspernati essent, nam iurgium notare idem est ac aliquid ponderis ei concedere; sin minus exemplum Comitis De Clermont sequi poterant qui, quum ab eodem poëta Roy contemptus fuisset, Nigrum quemdam, nescio e qua Africæ regione deductum, iussit offensorem, opportuno tempore, verberare; iussum tam bene exequutus Niger est, ut miser poëta octagesimum primum annum suae aetatis agens, diem supremum obierit!

II. - *Cur Francorum Academia orta sit.*

Sed ea quae, tribus iam peractis saeculis, de Academia dici possunt, nihili habenda sunt cum meritis collata ipsi Academiae adscribenda. Finis Academiae praecipuus erat totis viribus niti ut leges ederentur, quibus sermo Francorum nobilitaretur, eloquentia atque artes omnes incrementum sumerent.<sup>1</sup> Illud nescio quid praeclarum ac singulare, anno MDCXXXIV datis legibus nonnullis, quomodo adipisci possent, a clarissimo Faret descriptum fuit. Academicorum enim non solum facilitate quadam in concipiendis rerum imaginibus nec non in excogitandis gaudere debebant, sed etiam naturali quodam intuitu, quo subtiliter eloquentiae abdita ac praeclarissima intelligerent. Academicorum praecipuum munus fuit, sordes gallici sermonis impensa opera detergere verborumque usus ac significationem legibus statuere.<sup>2</sup> Inde *Lexicon gallici sermonis* originem duxit; una simul statutum est grammaticae artis, rhetoricae atque poeticae singulos libros componere. Sed unum *lexicon* anno tandem MDCLXXXIV editum est atque id non sine foenore; nam quem clarissimus Colbert Academicos, ad opus perficiendum iussos, dignos habuisset qui singulis consessus diebus mercedem tringinta duorum solidorum recipierent, neque tali statuta mercede sollicitos Academicos effecisset, clarissimus Calonne ad tres francos retributionem elevavit, per quam, sollicitudine Academicorum mirifice excitata, opus brevi completum fuit. Rei grammaticae liber, quem Abel Hermant in lucem

<sup>1</sup> La principale fonction de l'Académie sera de travailler avec tout le soin et toute la diligence à donner des règles certaines à notre langue et à la rendre pure, éloquente et capable de traiter les arts et les sciences (STATUTS, art. 24).

<sup>2</sup> ... nettoyer la langue des ordures qu'elle avait contractées, ou dans la bouche du peuple, ou dans la foule du Palais...

editit, nostris tantum temporibus vixit; reliqui libri *de re rhetorica* et *de re poëtica* adhuc desiderantur!

Sed nostri Academicorum non semper oves tonsori parentes sese praebuerunt, nam aliquando ipsi patrono Richelieu restituerunt. Quum enim Cardinalis praepotens legendam obtulisset Academicorum Chapelain quamdam suam fabulam *la grande Pastorale* atque censuram asperrimam receperisset, eius posthabitis furoribus, iudicium Academicorum non mutaverunt; tandem ipse Richelieu, cognita sua comoedia, quietivit ac sententiam Academicorum ex iustitia datam confessus est.<sup>1</sup> D'Olivet tradidit quoque: regnante Aloisio XIV, Delphinum totis viribus conatum esse, ut quidam nobilis vir sibi addictissimus inter Academicos cooptaretur; sed frustra; Delphinumque non solum repulsam aegre non tulisse, sed Academicorum firmam voluntatem laudavisse.

Ab ineunte Academia nil Academicis plus cordi fuit quam sermonem gallicum nobilitare, eumque eloquentia dignum reddere; quarto enim nonas Ianuarias anno MDCXXXV statutum fuit: *ut socii orationes scriberent, et binae singulis hebdomadibus legerentur*. Primus inter oratores Chapelet de eloquentia apud Francos;<sup>2</sup> de Montmor de disputationum utilitate<sup>3</sup> egit; deinde, de la Chambre id probavit: *Francos eloquentiae gloria omnibus gentibus praestitisse*.<sup>4</sup> Utique Academicorum merito celebrandus est publicus ardor quo artis grammaticae, nec non eloquentiae quaestionibus sine intermissione utrinque disputatis, francum sermonem eo claritatis atque subtilitatis adduxerunt ut,

<sup>1</sup> His verbis Boisrobert locutus est: *Il voyoit bien que messieurs de l'Académie s'entendaient mieux que lui en ces matières* (PELLISSON).

<sup>2</sup> Sur l'Éloquence française.

<sup>3</sup> De l'utilité des conférences.

<sup>4</sup> Que les Français sont les plus capables de tous les peuples de la perfection de l'Éloquence.

Gaston Boissier affirmante, probatum haberi possit: *inter omnes Europae sermones oratoriam praestantissimam facultatem nulli sermoni nisi Francorum spectare*; apud Francos enim qui scribit non sibi tantum scribit neque in solitudine somniat, sed orator, eis qui audiunt aliquid persuadere satagit.<sup>1</sup>

Quae his tribus saeculis fuerint Academiae sortes, hic recensendi locus non est; novimus tamen eam in illa rerum mutatione anno MDCCXCIII nonis augustis desivisse, atque deinde a Napoleone I restitutam honorificentissime fuisse, nostrisque temporibus non uno tantum nomine floruisse.

De his rebus nostros lectores celare aequum nou duximus, praesertim, cum, mutatis mutandis, eadem, quae Francorum Academia, Romanorum Studiorum nostra Academia, suos fines suaque desideria de latino sermone consequi in dies conetur; exemplar dignum est quod imitemur.

A. AURELI.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>2</sup>

*De ordine inverso vocabulorum.*

Ordo nativus inverti seu mutari potest multas ob causas. Sint ergo regulae quae sequuntur:

I. - Quod primum et praecipue mente obiicit, id primum quoque exprimitur.<sup>3</sup> Hinc

<sup>1</sup> On peut dire qu'entre toutes les langues de l'Europe, le caractère oratoire est ce qui fait l'originalité de la nôtre. L'écrivain, chez nous, est rarement un rêveur solitaire; il veult, comme l'orateur, convaincre et persuader (G. BOISSIER, *L'Académie française sous l'ancien régime*, pagg. 230-231).

<sup>2</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>3</sup> Vocabulum significantius praeponi potest ipsis

1) si praecipua vis in nominativo est, is primas tenebit; v. g.:

*Crux, crux, inquam, infelici et aerumnoso comparabatur* (CIC., *Verr.*,).

*Populus Romanus* aperuit, Lucullo imperante, Pontum (CIC.).

2) si vis praecipua est in «attributo»,<sup>1</sup> ut dicimus, aut in adiectivo, id primo loco ponetur; v. g.:

*Facinus* est vinciri civem romanum, scelus verberari (CIC.).

*Turpe* est mentiri.

*Usitatae* res facile e memoria elabuntur, insignes et novae manent diutius (CIC., *Ad Her.*, III, 22, 35).

3) si vis praecipua est in actione, pri-  
mam sedem obtinebit verbum; v. g.:

*Movit* me tua oratio.

*Fuisti* apud Leccam..., *distribuisti* par-  
tes Italiae, *statuisti* quo quemque profi-  
cisci placeret (CIC., *Cat.*, I).

*Caedebar* virgis, in medio foro Mes-  
sanae, civis romanus, iudices (CIC., *Verr.*).

*Venit* summa dies et ineluctabile tem-  
pus (VERG.).

4) Quod si, ut frequenter fit, attentio  
dirigitur in obiectum actionis, casus verbi  
antecedit; v. g.:

*Duos*, inquit, fratrum Manibus dedi;  
tertium causae belli huiusc dabo (TIT.  
LIV.).

*Pacem* vult Antonius? *Arma* ponat! (CIC.).

5) Postremo, si de modo actionis aut  
de quolibet alio adjuncto praecipue agi-  
tur, ista primo afferuntur; v. g.:

pronominibus relativis et interrogativis; v. g.: *Ro-  
manum quae asportata sunt, ad aedium Honoris et  
Virtutis videmus* (CIC.) - *Tarentum vero qua vigi-  
lantia, quo consilio recepit?* (CIC.). - *Deus falli  
qui potuit?* (CIC., *De Nat. deor.*, III, 31, 76).

<sup>1</sup> Si nominativus longa explicazione opus habeat,  
sic etiam construetur sententia, ut «attributum»  
in fronte ponatur; v. g.: *Benignissimus* est Deus,  
qui nobis non modo vitam et mentem tribuerit;  
sed etiam ...

*Subito ex omnibus partibus silvae hostes evolaverunt.*

*Ad mortem te, Catilina, duci iussu consulum iampridem oportebat (Cic., Cat., I).*

*Uno hoc volumine vitam excellentium virorum complurium concludere constituimus.*

*Quousque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? (Cic., Cat., I, 1).*

II. - Saepe vocabulum in quo est vhemens aliquis sensus, in clausula positum quasi assignatur audienti aut legenti, atque infigitur; v. g.:

*Sequemur igitur hoc tempore et in hac quaestione Stoicos (Cic.).*

*Te miror, Antoni, quorum facta imitare, eorum exitus non perhorrescere (Cic.).*

III. - Si in duabus vocibus vis maior inest, saepe altera in principio, altera in exitu ponitur; v. g.:<sup>1</sup>

*Mene incepto desistere victimam! (VERG., Aen., 1).*

*Vivit Christianus ut aliquando moriturus.*

IV. - Quum plura subiecta, adiectiva, attributa, regimina in eadem sententia occurront, non ea promiscue proferri licet, sed ita sunt collocanda, ut gravitas sententiae augescat semper et crescat oratio, gradationis ope; v. g.:

*Tenuerunt illum loco servi, fugitivi, barbari, hostes (Cic.).*

*Ex cupiditatibus odia, dissidia, discordiae, seditionis, bella nascuntur.*

V. - Ad ordinem inversum pertinet trajectio, qua separantur, vocibus aut propositionibus interpositis seu interiectis, voces quae de se sunt coniungendae. Mirum in modum eluent voces et pro-

<sup>1</sup> Quamvis illa quae in media sententiae parte sunt, obscurari circumiacentibus soleant, tamen quodam syllabarum concursu haec quoque gravitate pollent; v. g.: *Quid me caelum sperare iubebas?*

positions sic interpositae, aut vocabula quae disiunguntur; v. g.:

*In bonorum ac fortium virorum summa copia.*

*Quis tibi, Crasse, concessit, clarissimo viro? (Cic., De orat., I, 52, 225).*

VI. - Voces non paucae libenter coniunguntur, inverso etiam, quantum opus est, ordine nativo. Sic elegantissime inter se proxima erunt:

1) vocabula significatione opposita; v. g.:

*Mortali immortalitatem non arbitror esse contemnendam (Cic., Phil., II, 44, 114).*

*Quum caput obscura nitidum ferrugine textit (VERG.).*

*Quid fletu muliebri viro turpius?*

*Adolescentes senum praceptis gaudent.*

*Idem fit, quum oppositio solummodo est in vocibus; v. g.:<sup>1</sup>*

*Omnem omnium rerum atque artium scientiam (Cic., De or., I, 49, 213).*

*Alius alium vituperat.*

*Manus manum lavat.*

*Cuneus cuneum trudit.*

*Amicus amici consuetudine gaudet (Cic.).*

Ad quam oppositionem sufficit, ut voces sint ab eadem stirpe derivatae; v. g.:

*Alius aliunde venit.*

*A viris virtus nomen est mutuata (Cic.).*

*Veterum orationes oratori futuro legendae sunt (Cic.).*

2) Adiectiva et pronomina; v. g.:

*Ille qui illa non invitus haberet (Cic.).*

*Impiaque aeternam timuerunt saecula noctem (VERG.).*

<sup>1</sup> a) Cicero tamen dixit: *Turpis fuga mortis omni est morte peior.*

b) In una eademque propositione separantur eadem voces, nisi adsit repetitio; coniunguntur saepe, quum duas sunt propositiones; v. g.: *Artemisia quamdiu vixit, vixit in luctu (Cic., Tusc., III, 31, 75).* - Est aliquid quod nobis non *liceat*, *liceat* illis (Cic., De Fin., II, 21, 68).

*Tu te ipse in custodiam dedisti (Cic., Cat., I, 8, 19).*

VII. - Quum duo vel plura vocabula duobus vel pluribus altera alteris opponuntur, plerumque ordine diverso disponuntur; v. g.:

*Appetis pecuniam, virtutem abicis.*

*Fragile corpus animus sempiternus movet (Cic., De rep., VI, 24, 26).*

Non video quo modo sedare possint *mala praesentia praeteritae voluptates* (Cic., Tusc., V, 26, 74).

VIII. - Saepe etiam voces disponuntur iuxta ordinem «chronologiae», seu temporum; v. g.:

Devictis hostibus, copias in hiberna deduxit.

Rex, maximo conventu, Syracusis, in foro, flens ac deos contestans clamare coepit (Cic.).

Barbari, consilio Romanorum cognito, praemisso equitatu, subsecuti, nostros prohibebant.

Vulneratum ducem festinantes cum lacrimis atque gemitibus milites abstulerunt.

IX. - Non raro in fronte sententiae legitur vocabulum, quod in mentem revocat notionem in antecedente sententia expressam; v. g.:

Victores trucidabant quos *pellere* non poterant. *Populerunt* tamen iam paucos superantes (Tit. Liv., XXIII, 49, 4).

Hostes statim ad Caesarem *legatos* miserunt. *Una cum his legatis*, Commius Atrebas venit (Caes., De Bel. gal., IV, 27, 1).

In fine vero ponitur saepe vocabulum, quo designatur res aut persona, de qua in sequenti sententia sermo est; <sup>1</sup> v. g.:

<sup>1</sup> Hinc, quum propositio coniunctioni subiecta propositionem primariam praecedat, coniunctioni praeponuntur pronomina, quae iam dicta in memoriam revocant; v. g.: *Haec tu, Eruci, tot et tanta si nactus essem in reo, quamdiu dices?* (Cic.).

Sunt item quae appellantur *alces*. *Harum* est consimilis capris figura (Caes., De Bel. gal., VI, 27, 1).

X. - Demum, in collocandis vocibus, ratio habenda est euphoniae et numeri, quae postulant ut tota bene fluat oratio. Cavendum igitur ne aspero concursu verborum, vel ingrata repetitione sive earumdem syllabarum, vel vocibus eiusdem longitudinis saepius iteratis, oratio deformetur. Hanc ob causam ordo nativus nonnunquam mutatur; v. g.:

Ex hoc iudicari potest virtutis esse quam aetatis cursum celeriore (Cic.).

Populus se romanus erexit (Cic., Brut., 3, 12).

Natura est ipsa fabricata (Cic., De or., III, 45, 178).

(Ad proximum numerum)

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

## DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA

### II. - AETAS MEDIA.<sup>1</sup>

Media quam definimus aetas decem complectitur saecula, a barbaris ad praedominium exterarum nationum in Italia; nempe a saeculo p. Ch. n. v ad xv: Italia primum sub barbaris vivit (saec. v-viii), tum in Imperio quasi centrum (saec. ix-xii), a Deo quasi extranea: at ob cathedram Petri nunquam desita est Urbs haberi orbis mens et cor; quae iam iure civili, iubet nunc etiam iure canonico, cuius influxus in populos regendos, excendentes, ad altiorem vitae cultum effundendos, ideoque ad ius quoque civile

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup. mens. Maii.

expoliendum atque evolvendum, hodie nemo difficitur.

Quin etiam non pauca instituta ius vigens e canonico desumpsit, et ius ipsum canonicum in pluribus civitatibus, vi praesertim « Concordatorum », receptum est, vimque legis civilis habuit; quamobrem ius canonicum inter fontes tum indirectos cum etiam directos iuris civilis ponitur.

Iuris autem civilis Italici historicam evolutionem si spectemus, duae velut aetates distingui possunt, barbarica altera (saec. v-x), altera neo latina (x-xv): in utraque et leges et iurisprudentium dictata occurunt; adnotanda praeterea generalia quaedam sunt de principiis quae vulgo de « personalitate » et « territorialitate » iuris appellata sunt. Hoc quidem nomine efficacitas significatur qua leges afficiunt homines per territorium: latae nempe pro illis consentur, qui certo in loco vivant; « personalitatis » vero nomine principium per quod ius personam directe et immediate sequatur, ratione generis, sanguinis: « territoriales » leges loco non egrediuntur; « personales » omnino personae adhaerent eamque quocumque sequuntur, veluti umbra sequitur corpus. Quamquam quod ius personale initio fuit, postea, dilatatis civitatibus, factum est « territoriale »; quin etiam universale.

Age vero, qui primi barbari Italiam occuparunt, nullas habebant leges; moribus suis vivebant; ideo nullum ius novum victis imposuerunt, sed horum proprium, scilicet romanum, reliquerunt; etiam quia Odoacres noluit videri, nec forte suspicatus est, romani imperii eversor, sed tantum praefectus provinciae; quo factum est ut victi romano iure viverent; victores vero, in uno eodemque territorio, germanicis moribus. Mox autem barbari excoluntur dantque leges pro romanis, vel pro germanicis; tunc probe nosse oportuit qua quisque lege viveret. Atque in iis quae unam afficerent personam, res non plane

ardua; at in negotiis bilateralibus implexa admodum fiebat: recepta itaque generalia quaedam principia sunt quae negotia moderarentur; ita e. g. poenae privatae, ut *guidrigildus*, dandae ex iure laesi; publicae vero ex delinquentis; ratio iudicij sequebatur reum conventum; matrimonia virum, qui emere mulierem censebatur; et ita porro.

Ad personas dignoscendas attendebatur origo (*natio*); sed a saec. VIII receptum est, ut in publicis redigendis actis et in iudiciis quisque ius suum profiteretur, quo scilicet iure viveret, utque clerici omnes censerentur vivere romano, quia Ecclesia iure romano vivit; serius, a saec. XI, indulatum cuique, ut libere eligeret quo iure uti vellet, exinde crebriores factae profesiones iuris; et quum plerique, barbari ipsi, ius romanum eligerent moribus loci emendatum, convalere hic illic coepit, et postea ubique, *ius territorii*, feudalibus moribus legibusque enutritum, et novum veluti virens insitum renascentis arboris iuris romani in iuris canonici nova luce novoque caelo. Quod ita renovatum ius subsequenti aetate ubique sensim receptum est atque ius commune factum.

Iamvero nunc de singulis barbaricæ aetatis legibus dicendum esset, sed ne longior hodie evaderet sermo, argumentum ad alium numerum delegamus.

SYLVIA ROMANI.

## MEDICAE NOTAE

### De chylo et sanguine.<sup>1</sup>

Peracta hac assumptorum attenuatione et fermentatione, chylos ex angustissimo spatio in angustiorem propellitur fistulam ventriculo continuam, quo particulae an-

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

tea expansae, evolutae et rarefactae proprius coeant, sibique vicinus approximentur, quo ipso illae, quae lubricae magis et fluidae sunt, ad latera intestinorum evertuntur, et vasa lactea ingrediuntur; quae vero crassiores terrestres magis et fixae, vel nondum satis volatilisatae<sup>1</sup> sunt, ad crassa praeposterant intestina et versus concavatis centrum magis premuntur; quem descensum non minus quam ad latera progressum promovet reciprocus diaphragmatis et muscularum abdominis motus, adiuvante motu intestinali proprio, et peristaltico dicto.

Iter hoc chyli facilitant affluentes succi in intestino duodeno, quorum unus *succus pancreaticus*, alter *bilis* vocatur; hi enim secretionem istam instituunt, ipsumque chylum magis diluunt, ut sequestratae<sup>2</sup> partes lacteae dulces magis atque balsamicæ fiant; vel, ut alii volunt, chylum in salsum volatile evehunt.

Sic chylus ex angusto intestinali canali per angustissimos tubulos lacteos in amplum chyli receptaculum, *cisternam chyliferam* dictum, et ex hac lympha ascendeante magis dilutus per angustiorem canalem, *ductum thoracicum* appellatum, ad angustos cordis thalamos transfertur; atque paullo ante cor sanguini per axillarem redeunti et lymphae a partibus superioribus refluxi sive descendenti confunditur. Haec sic confusa per venam cavam dextro cordis ventriculo infunduntur, ut ibidem, praevia rarefactione, magis magisque attenuentur atque accuratius etiam secundum minima misceantur.

Fit illa sanguinis rarefactio et in dextro et in sinistro cordis ventriculo a pluribus concurrentibus causis; nam confluit et hic et ibi diversi generis aether diversos chyli, lymphae, sanguinis poros perfluen; hinc in massa tali heterogenea non potest

<sup>1</sup> Latine proprius: « decoctae ».

<sup>2</sup> « Captae », vel « quasi sequestro positae »?

non magna produci effervescentia, quam e recentioribus optime explicat Cordemoy, philosophus Gallus: « Interdum — inquit — liquor incidit in massam, eiusque interstitia vel poros ita occupat, ut spatiola relinquuntur soli materiae subili replendae; inde motus varius particularum, tam liquoris, quam massae, donec omnes pori a liquore sint occupati, ut videre est in calce viva, aqua affusa. Sic portio sanguinis subtilissimi, remanens in corde, quamprimum per venam cavam recens admittitur, supervenientium particularum intervalla subit ita, ut sola materia subtilis in iis relinquatur, quae sanguinis particulæ tam subito ac opportune calefacit, ut cor sese comprimens eas in ambas arterias expellat vehementer ». Symbolum quoque conferunt subtiliores sanguinis partes, ex arteriis coronariis in cordis ventriculos permeantes; hae enim motu suo velocissimo sanguificationem egregie promovent.

Enim vero cor non solum instar vasis chymici spatium confert, sed motu perenni sanguinem vi quadam premit a centro versus superficiem, eiusque ingressum et egressum conservat; ut vel propterea inter musculos recenseri mereatur. Eius autem motus duplex est: *systole* et *diasstole*. In systole apex cordis versus basin contrahitur, eiusque ventriculi valde intumescunt, quia sanguis usque adeo tunc rarescit, ut spatium plus centies maius occupet. Verum, quum huic dilatationi fluida, per fibrarum iuterstitia torrentis instar circulantia, renitantur, cor iterum extenditur, eiusque alter motus, qui diastole vocatur, cietur, sicque sanguis rarefactus, qua data porta, e dextro cordis ventriculo in arteriam pulmonalem, e sinistro autem in aortam expellitur, et in huius locum sanguis recens per venam cavam in dexterum, per venam pulmonalem autem in sinistrum cordis ventriculum impellitur.

Huius perennis motus beneficio sanguis per arterias ab augusto ad angustum tendentes, ad omnes totius corporis partes amandatur, atque diversis in visceribus depuratus, cibratur. Sic v. g. pulmones multas fuliginosas partes transmittunt, renes lixiviosas, glandulae subcutaneae salinas, hepar oleosas, lien acidæ; quæ omnia accuratius noveris, si fabricam vel structuram istorum viscerum tibi bene perspectam reddideris. Quamvis autem sanguinis in circulum itus, nostrorum temporum fide et experientia satis superque probata sit, eam tamen illustrari posse persuasum habeo, si iconismum celeberrimo Bartholinio a Stenonio communicatum inspicias, atque in uno vel altero cadavere viscera ad huius imitationem praepares; sic enim veram circulationis historiam comprehendes, et videbis per quas flexuosas atque contortas vias sanguis eat et redeat. His lucem affundit Bartholinus iunior, aevi huius anatomicus famigeratissimus, dicens: Quod si sanguis per vias aequæ patentes pelleretur, partes recrementis nunquam tam facile hinc inde depositum iri, nec ipsum chylum et humores circulantes recens adventos cum ipso intimius misceri posse. Quippe iuxta hunc celeberrimum virum canaliculorum efficit multiplicitas, ut plures a sanguine partes facilius secernantur, quo scilicet plures superficiem cribri attingunt. Deinde sanguis in unum iterum communem alveum colligitur, ut a diversis partibus diversus rediens, ad statum uniformem reducatur, ubi alvei simplicitas efficit, ut sanguis homogeneus evadat, qui ex diversarum partium canaliculis redux, diversæ est naturæ; quum enim versus omnes partes propulsus, non eadem, sed diversas sui partieulas in singulis cribrorum differentiis deponat, non mirum si ex diversis redux, discrepet ab invicem.

(Sequitur)

WALDSCHMIDT.

## SAPIENTUM PERVESTIGATIONES A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE LATINE VULGATAE

### NOTITIAE.

#### DE MENSURIS EFFECTUS ELECTROCHYMICI STRATORUM SUB SUPERFICIE.

Dr. A. Bellugi, declarat quid valeant mensurae effectus electrochymici stratorum sub superficie, ope machinae Weiss-Müller. Aliquid autem sibi reservatur circa facultatem accurate dimetiendi, ope machinarum quas nunc habemus, effectum electro-dynamicum, quem semper alii parasitici effectus comitantur.

#### DE VARIATIONE MICROBIORUM.

Qua ratione, variante caelo, microbiorum numerus variet in singulis terræ statuminibus e diversis Italiae locis provenientibus explorans, Thomas Castelli demonstrat mensibus aestivis maiorem quam vernis germinum et azotobacteriorum imminutionem, maxime in summis statuminibus, haber; microbia nitrificantia, contra, ad 5 cm. profundum numero augeri, sed ad 20 cm. perspicue imminui.

#### DE ZYTHI FERMENTO.

Dr. Petrus Dassat, de zythi fermento, recenti vel requieto, in pecudis nutrificatione locutus, labores ad opus confectos recenset, examinatque, et accuratorum experimentorum exitus refert, quae ad inquirendum confecta sunt, quid in lactiferarum boum nutrificationem zythi fermentum commune vel radiatum influat. Huiusmodi experimenta patefecerunt per suppeditationem zythi exsiccati, radiati per medianam horam, admodum lactis copiam augeri.

### DE AUROSMYRIDIO INVENTO.

Dr. Zvicaghinzev, ex Instituto Russico, platini, in fodinis platiniferis Uralianis, novum metallum invenit, quod appellavit *aurosmyridium*, continens: 52 centesimas partes iridii, 25 centesimas osmii, 19 auri, 3,5 ruthenii. Pondus specificum est 20, durities eadem quae iridii; acidis non solvitur; Irregularibus granulis invenitur, quorum dimetens linea est a 0,2 ad 2 mm.

## COLLOQUIA LATINA<sup>1</sup>

### XVI.

#### Litigium.

##### PRAECEPTOR, BLASIUS, CURTIOLUS.

PRAECEPTOR. — Germanus tuus, Blasi, in discendo est impiger, citoque arripit omnia; tu autem lente admodum et ambulas gradu testudineo.

BLASIUS. — Quid ergo tam crebro obmutescit, quum, te interrogante, respondendum est?

PRAECEPTOR. — Audin', Curtiole?

CURTIOLUS. — Stimulat fratrem meum invidia; ferre neutiquam potest, quum abs te laudor.

BLASIUS. — Egone gloriolas tuas tibi funideo? Scilicet laudatissimus homulus es, praesertim quum mane surgendum. Ibi appareat generosum pectus tuum; nam ad lectulum quasi clavis affixus adhaerescis.

CURTIOLUS. — Tibi, obtrectator, hoc visum est: nam ego vocatus soleo me cubili propripere.

PRAECEPTOR. — Amborum una culpa. Mea hoc facit indulgentia; sed aliquando malis mala evenient.

<sup>1</sup> Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Pro-gymnasmata latinitatis*. — Passim retractavit, hodiernisque moribus aptavit J. F.

BLAS. — Nihilo sum te inferior.

CURT. — Quid erit imprudenter loqui, si hoc non est? Nondum declinationes devorasti?

BLAS. — Pridem concoxii. Hebdomade antegressa exarabatur tibi corium, quod vocabulum *iusiurandum* in casus male inflectabas.

CURT. — Et tu ex uno errato colligis inflexiones me nescire?

BLAS. — Si examinareris, utique peccares in plurimis.

PRAECEPTOR. — Ne superbi, Blasi; dabo enim potestatem Curtiolo te excutiendi et introspiciendi penitissime.

BLAS. — Habet nihilominus in schola complusculos, quibus palam cedit.

CURT. — At tu interea manes indoctor; quamvis me alii doctiores sunt, ut sunt; ceterum vix tres quatuorque ex omni copia.

BLAS. — Si tam crebris donarer munusculis, ut tu, forsitan alacrius discerem.

CURT. — Imo tum acciperes, si alacrius disceres. Non ante, sed post laborem veniunt.

BLAS. — Abi, argutule, consequar te, tametsi nolis.

CURT. — Si cursuram ego te incipiente consisterem, tum me non exaequares modo, sed etiam anteverteres. Hoc tu, si speras, despera.

PRAECEPTOR. — Satis verborum. Uterque contendat nervos: ita parentibus mihi que futuri quam carissimi eritis.

## ANNALES

### Administratorum collegia refecta.

Quod recens renovatum fuerat administratorum collegium in Gallia, ne ipsum quidem a publico legatorum coetu legibus ferendis benigne exceptum est; itaque aliud est suffectum eique Laval praepo-

situs, qui tamen exterorum negotiorum praefecturam servavit, atque tandem rationes quaslibet adhibendi ad aerarium instaurandum plenam potestatem obtinuit; quam quidem et Senatus ratam habuit.

In Anglia pariter, quum Mac Donald post sex regiminis annos sese nimis defatigatum sentiret, refectum est supremum reipublicae consilium, eique praepositum Baldwin, dum Mac Donald munus Consilio privato praesidendi assumit. Simon ab exteris ad civiles res moderandas transiit, atque Eden administer creatus est pro Anglicis negotiis apud Nationum Societatem tutandis.

\* \* \*

### Navale pactum inter Angliam et Germaniam.

Ipsius Eden actio prima fuit cum Germania pactum de classi pro utrisque nationibus constituenda feriendi; cuius conditio fuit, ut Germaniae liceret triginta quinque naves iuxta singula Anglicarum navium centena construendi.

Cui quidem conventioni Italia exceptiones opposuit, Gallia vero omnino obstitit, violati Versaliensis foederis et Angliam incusans. Eden itaque Lutetiam Parisiorum se contulit, quo Gallorum hanc indignationem componeret, atque deinde Romam, ubi etiam Angliae proposita de discriminis inter Italiam et Abyssiniam conciliando aperuit; quae vero Italicarum rerum supremus gubernator Mussolini omnino est aspernatus.

\* \* \*

### In extremo Oriente.

Gravis ab extremo Oriente nunciatur rerum status. Iaponia enim alteram post alteram extremas condiciones ad Nanchinense gubernium mittit; quod iis resistere nequit cogiturque tantum sese au-

xilium nationum quae Washingtonensi foederi anno MCMXXII subscrpsere, inter quas ipsa Iaponia fuerat, heu! frustra, invocare. Ita Iaponiorum copiae in dies progrediuntur Sinarum territoria occupantes; nunciantur imo a Pekino urbe non longe castra posuisse. Certe Hopei regio in Iaponiorum manibus iam omnis est.

POPICOLA.

## VARIA

**Satius ne sit ita paevenire, ut tu prius hostem adoriaris, quam ille te.**<sup>1</sup>

Praeter haec, quae utrinque adducuntur argumenta obiici solet hoc etiam, quod qui hostem invadit audacior fortiorque esse solet, quam qui eum exspectat domi; quo fit ut qui exercitus in eum finem producitur, maiores vires habeat. His accedit, quod is qui hostis sui agrum invadit, multis eum incommodis afficiat, quae ipsi non evenirent, si illum domi exspectaret. Nam quum agri devastantur, bona subditorum diripiuntur; nec eorum opera tuto uti queas, nec tributum indicere absque magna difficultate possis; atque ita exsiccatur fons ille, ut Annibal dicebat, unde belli praesidia manant. Praeterea, si tuos milites in alia regione habueris, magis urgebuntur pugnandi necessitate, et proinde fortiores audacioresque esse cogentur. Sed hisce rursus responderi solet: hostem commodius domi exspectari posse, quam ubi sit investigari, quum et commeatu et omnibus rebus necessaris isthie te possis sine periculo munire. Praeterea, quum

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: « De republica disputationes ex prima decade T. Livii » latine redditum H. BINDI. - Cfr. fasc. sup.

situs locorum peritiam habeas, eius consilia facile impediare et impedimenta suis locis obliicere licet. Deinde cum omnibus viribus tuis, simul et semel illi progredi obviam, et cum illo pugnare; quod certe extra fines tuos facere nunquam licebit. In paelio etiam, si res minus propere gereretur, plures sibi fuga consulere possent, atque inde facilius esset fines restaurare, quam si omnes aut plurimi periissent, utque res omnis summatis comprehendatur. Si domi hostem exspectes, ita cum eo poteris dimicare, ut etsi omnes vires tuas simul in periculum adducas, non tamen periculo fortunae omnia tua committas, quum ex infelici quoque pugna, quamplurimi conservari queant in patria. At si foris pugnandum sit, non jicebit id facere omnibus viribus, quamvis fortunae periculo simul omnia tua commiseris.

Ego vero, his omnibus diligenter consideratis, non puto eandem esse rationem ubique hostem aut domi exspectandi, aut foras ei obviam progrediendi. Sunt enim quaedam regiones munitissimae, cum natura loci, tum robore virorum et urbium ... Quaedam, e contra, nec locorum natura nec robore vallorum ac multo minus virorum fortissimorum copia munitae sunt ... Quod si igitur regio tua talis sit, ut neque virtuti subditorum neque locorum munitionibus confidere ausis, sed necesse sit belli fundamentum ex pecunia desumi, quae ex indiciis tribus colligitur, procul a patria arcere hostem oportet: alias enim omnem conficiendae pecuniae modum amittes, et statim opprimeris ... At si quae regiones aut urbes munitissimae fuerint, tunc tanto difficilius vincuntur eorum incolae, quanto fuerint patriae propinquiores; quod hoc modo vires coniungere, et vel maximos impetus sustinere queant; quos certe extra patriam hostes invadendo, illis inferre non possent ...

Quum res ita se habeant, de proposita quaestione sic pronuntio, ut censem eum Principem, qui fortibus viris abundat et regionem munitam habet, sapienter facere, si in difficiili et periculo bello hostem domi exspectet, non ei obviam progrediatur. Quod si et regio minus munita sit et homines inermes et bellis insueti, tutissimum est, ut hostem a tuis finibus arcendo te defendere coneris.

\* \* \*

### Alcedo.

Alcedo avis est amans solitudinis, et in alto degit, ac ferunt insidias hominum vitantem in rupibus marinis nidificare. Haec quodam tempore, ova paritura, nudum affixit scopulo, et foetum in eo reliquit, ac evolavit ad pastum. Interea vento commotum mare, et procellis elatum, fluctibus nudum obruit et ova dissipavit. Reversa mater, et cognito damno suo: - Infelicem me - inquit - quae, terram ut insidiosam fugiens, contuli me in mare, multo infestius mihi atque nocentius.

Haec fabula docet mortales nonnullos metuentes ab inimicis, non vitare saepe concussum, opinione sua, amicorum, a quibus maioribus detrimentis afficiantur, quam quae dari ab inimicis potuissent.

\* \* \*

### Pro iudicibus mensarum elegantibus.

#### ESCARUM ORDO:

*Ius communitis oleribus medicatum.  
Costulae haedinae frixa.  
Farcimen ex faseolis.  
Omasi tessellae ad Romanum morem.  
Offae pulitis, lactis flore nivato farta.*

\* \* \* et nō zē mīndū  
nō pīcūlī dīcūlī sīlīcūlī

### Locosa.

Pater TUCCIO:

- Labor est amandus; tu igitur ...
- Dies consumam opifces intuens laboribus deditos.

In litore maris Pater TUCCIO:

- Inutile omnino te instare; non si nam te ne tangere quidem aquam, donec nare non didiceris.

### Aenigmata.

I.

Armigeros comitor, sed Martis praelia vito;  
Rho mihi subnectas: cito frigore pello ma-  
[ligna.]

II.

Garrula sum volucris; frontem mihi sigmate  
[adauge:]  
Maturae segetis culmina summa noto.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1 (vulgo *Rebus*): *Super aspera ad astra*; 2) *Vi-tellus*.

### LIBRORUM RECENSIO

ANTONINO DISTEFANO, *Ricreazioni di latino*. (Augustae Taurin. edidit Societas Editrix Internationalis, 1935) — Ven. lib. 5 apud Seminarium Archiepiscopale Catanense.

Ingeniosa profecto ratio fuit, qua clarissimus Auctor animo rem suam suscepit, optimoque perfecit. Per dialogos enim, intimos sermones, fabulas, singulares imagines, salse dicta, latinae syntaxis difficultia quasi per iocos et facetias aggreditur, solvit, atque in mentes legentium ita irrepit, ut quae exhibita sunt memoriae certe in perpetuum mandentur. Ecquis enim discipulorum oblivisci poterit, exempli gratia, everriculum eiusque capulum

argumentum facile offerre ad finalium propositionum regulas edocendas? Et Socratis umbram in scholam redeunte nō propositum causalium? Et Iosephi Giusti, italicici poëtae, notissimas strophas satyrici carminis, cui titulus *Dies irae*, ortum facile praebere ad « ablativum absolutum » explanandum? Atque ita porro; quae quidem, etiam ex orationis genere tracto, fuso, in scriptore ostendunt magistrum doctrinae et usus, non minus quam puerilis disciplinae peritissimum. Itaque non dubitamus suavissimum hunc librum tum docentibus, tum praesertim discentibus commendare; qui facile per ipsum, Horatianum utile ac dulce miscentem, cum latina lingua pacem reconciliabunt, si forte prefergerint. Adde nobilissimum laboris finem: Auctor enim opus suum composuit, quo ex venditionis quaestu pueri alantur, in spem Ecclesiae apud Seminarium Archiepiscopale Catanense efformandi.

F.

### LIBRI DONO ACCEPTI

F. QUATTRONE, *In Augustum Humeratum a Sabaudia, regni principem titulo Pedemontii, inscriptiones poëticae*. — Regini Julii, ex off. typographica Francisci Morello, MCMXXXV-XIII.

FERDINANDO BERNINI, *Dizionario della lingua latina italiano-latino, latino-italiano per uso di tutte le scuole medie*. — Augustae Taurin. edidit Societas Editrix Internationalis (Ven. lib. 30)

### Monitum

Ut iamdiu assuevimus, fasciculi mensis Augusti et Septembri in unum colligentur, qui primi Septembri mensis diebus prodibit.

Quum autem socii nonnulli subnotationis pretium nondum solverint, enixe eos rogamus, velint quam primum cum Administratore nostro rationes suas exaequare.

### ANTHEA

[4]

In eorum enim cogitatione defixa, quae de Nazareno homine a procuratore accepterat, a cura molestiaque animum avocabat. Inter quae abditum aliquid a sua que mente longe remotum frustra conabantur assequi intellectu atque tenere.

Nam qui tranquille mortem oppetiissent neverat quidem multos; sed eos intellegebat aut iactanter fato occurrisse, aut necessitatibus cessisse sapienter; nondum tamen extitisse quemquam, cui exploratum omnino esset, utrum cum vita omnia extinguuerentur, an mors verae sempiternaeque vitae esset initium. Unus id se certo nosse profitebatur publice, mox cruci adfigendus.

Interea prodit ex urbe pompa, recta petens destinatum spectaculo collem.

Effunditur multitudo portis; omnes, relictis domibus, dextra laevaque sede cattervae adiungere, alias alium sciscitari, mirari complures tantum in eo viro fuisse momenti, ut universae civitatis in se oculos ac suspensa ora converteret. Iamque hominum fremitus ad remotissimas aures pervenerat, armorumque internitentium rumor, quibus in media turba conspicui romani milites erant, sollicitas expectatione mentes compleverat, quum tandem proprius Anthea agmen accessit.

Prior conspecta est, media inter Cinnam et centurionem quendam, Antheae lectica, septa procuratoris militibus, quibus luctandum in turba erat ut sterrent viam, ac, si res postularet, contra invidae plebis iniuriam tutandi peregrini. Ceterum Anthea, quamvis meridianum tempus adesset, quo solebat exterreri visus, securior admodum videbatur atque tranquillior.

Anteibant, magno cum strepitu et iactatione fanatica corporis, ex ima plebe adolescentes, laceris vestibus, zona succincti, abrasi capillis, cirris hinc inde per genas effusis. Cohors ingens sequebatur aetatis omnis et conditionis, ore attonito, succensis oculis, sudore madidis praestigio ac festinatione frontibus. Horum cladebat agmen Consilium Iudeorum supremum, in quo medii duo principes

fulmen, sed, eo internitente, supremus icerat morientis obtutus.

Interea paullatim caelo solique redditis omnibus, scena patuit omnium miserima. Cruce pendet reclinato capite iuvenis, cereo vultu, vitreis oculis, ore subnigro. Adstat Mater immota, attonita stupenti similis. Circum reliquae mulieres inter manantes lacrimas et suspiria clamant:

— Excessit!

— Excessit! — inquit Anthea, idemque reddidit Cinna. Tum vero accedens centurio quidam ad extremum crudelitatis ludibrium servatum hominem ense transverberat.

Rem sane miram quod spectaculum duplex pacaverit turbam, alterum exticti hominis, alterum residentis iterum solis. Tum subeunti proprius Antheae auditae sunt voces: « Descende de cruce ». Illa autem diu mirata reclinatum caput et exsangue corpus, secum reputabat, fierine posset ut mortuus ille reviviseret. Sed vehementius angebatur Cinna, qui etsi nulla spe tenebatur resurrecti Nazareni, persuasum tamen habebat, eundem potuisse virum Antheae morbo mederi. Iterantibus autem vocibus: « Descende de cruce »:

— Descende — et ipse clamavit moestissimo gemitu; — sana aegram, meque tecum rape.

*Et iam summa procul villarum culmina fumant,  
Maioresque cadunt altis de montibus umbrae.*

Quare Cinna iussit lecticarios moveri. Anthea, ubi domum se recepit:

— Hodie — inquit — horrenda visa obiecta sunt nulla.

Sed neque crastinus attulit dies. Qua de causa laxata aliquantulum vis morbi est. Animo quoque erigendo multum profuit Timonis adventus, qui gravibus Cinnae litteris excitatus, quam potuit celerime contendit, ut extremum videret filiam.

Interim Cinna quidquid in utramque

partem aut metus aut spes subiecerat secreta aestimatione pensabat; quietis intervallis usam quidem fuisse alias uxorem; non tamen bidui; quod animos recepisset, eius rei causam facile esse aut patris contubernium, aut excitatos ferali spectaculo sensus.

Ceterum quae subiecta oculis fuerant ita mulieris animum affecerant, tum alte insederant menti, ut ab earum rerum cogitatione aut sermone vix abduci posset. Intento ore asidebat pater, nec obiciebat quidquid: interdum de viri doctrina percontabatur quaedam, irrito plerumque studio, quod explicari a filia non plura possent, quam quae a Pontio Pilato accepisset.

*Et iam nox humida [caelo*

*Praecipitat, suadentque cadentia sidera somnos.*

Itaque, remotis arbitris, quieti se tradit mulier. Ecce autem nondum plane sopita, sive aurium ludibrium, sive vera res fuit, audire sibi visa est effusum per auras concentum mire flebilem, his modis:


*E caeli gremio nostras deductus in oras  
Collibus aeternis genitus, stirps alta Parentis  
Aequaevi, intactae soboles spes unica Matris,  
Ederet e molli cum primum cespite florem  
Halantemque avidas calicem proferret ad auras,  
Excidit insano correptus turbine. Mutus  
Cuncta dolor terrorque tenet, pavidusque refugit  
Grandia naturae miratus funera Titan.  
Eheu nutantem concussis axibus orbem  
Effugere, et caelum pallenti luce cruentum  
Quis dabil? Adsitis, Superi, vastamque ruinam  
Aeternis sufferte humeris: quo pondere tanta  
Iam premitur moles? quae nunc extinguitur heu  
[lux?*

His erecta vocibus diu haesit, multa animo agitavit, uberes effudit lacrimas, donec ignota quadam consolatione perculta ac quasi fatigata in somnum decidit.

*(Ad proximum numerum).*

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.  
Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS





Ann. XXII

Romae, Mense Augusto et Septembri MCMXXXV

Fasc. VIII-IX

*Nuperrime prodiit*

IOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

## FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXIV, paucorum exemplarum quae supersunt pretium constituimus libellarium 500 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1000, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

# ALMA ROMA

## LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem Romam, *Via del Governo Vecchio, 96*.

### DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA <sup>1</sup>

#### De propositione latina apte collocanda.

Non est ordo *fixus* propositionum. Ordo nativus, seu *naturalis, grammaticalnis, ordinarius, communis* ille est, qui natura linguae et usu scriptorum bonae latinitatis innititur. Usurpari solet in scriptis levioris argumenti, in epistolis, in dialogis, in sermone quotidiano, et communiter quum non est peculiaris ratio cur ordo *inversus* usurpetur. Quare qui latine scribere intendit, hunc ordinem studiose investigare debet.

Ordo *inversus*, seu *litterarius*, in cogitatione aut affectu dicentis praecipuum habet fundamentum: quaedam enim notiones aut quidam animi motus in dicentis existimatione ita graves reputantur, ut his potissimum percellatur. Est ordo *subjectivus* potiusquam *objectivus*. Cuius ordinis *inversi* regula generalis haec est: «Notiones aut affectus in quibus praecipuum inest pondus, in primo aut in ultimo loco collocentur».

#### § 1. De ordine nativo propositionum.

A. - *Quando una est propositio secundaria.*

I. - In universum

1) praeponuntur propositiones infinitive; <sup>1</sup> v. g.:

<sup>1</sup> Tamen propositio infinitiva non raro postponitur. Quod fit imprimis 1) quum pronomine aut adverbio demonstrativo in propositione primaria iam indicatur; v. g.: *Hoc teneo: beatum esse neminem nisi sapientem* (Cic.). - Sic existimo: *in summo imperatore quatuor res inesse oportere* (Cic.). - 2) quum pendet sive a dictione composita, sive a nomine quodam; v. g.: *Aequum est cives parcere civibus. Positum sit imprimis sine philosophia non posse effici, quem quaerimus eloquentem* (Cic.). - *Caesarem certiorem faciunt sese non facile vim hostium prohibere* (CAES., *De Bel. gal.*, I, 11). - Facilis est *conjectura*, ea maxime esse exceptenda (Cic.). - Ducuntur homines spe sibi id utili futurum (Cic.).

NB. 1) Omnes propositiones completivae (etiam coniunctivae et interrogativae indirectae) postponi solet nomini a quo pendent; v. g.: *Timor ne hostes irrumpant. - Non abest suspicio, quin ipse sibi mortem consicerit* (CAES.). - *Valetudo sustentatur observatione* quae res prodesse soleant aut obesse (Cic.).

Propositiones completivae possunt et demonstrativo nuntiari et simul a nomine pendere; v. g.: *Vetus haec opinio Graeciam opplevit; vincum esse Saturnum a filio Iove* (Cic., *De Nat. deor.*, 2, 24). - *Haec vobis deliberatio difficilis esset quemnam*

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

*Geometriam falsam esse creditit* (Cic., Acad., II, 33, 106).

*Oratorem irasci minime deceat* (Cic., Tusc., IV, 25, 55).

*Patere tua consilia non sentis? Constrictam iam horum omnium (senatorum) scientia teneri coniurationem tuam non vides?* (Cic., Cat., I, 1).

2) postponuntur propositiones  
a) tum coniunctivae; (quae sunt completivae directive); v. g.:

*Timoleon oravit omnes ne id facerent* (CORN. NEP., 20, 5, 2).

*Percommode accidit quod non adest Aquilius* (Cic., Pro Cœcīn., 27, 77).

*Deus non patitur ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus* (Cic., Off., 3, 5).

b) tum interrogativae indirectae; v. g.:

*Prospiciat praceptor quoniam modo tractandus sit discentis animus* (QUINT., I, 3).

*Ex me quaesieras nonne putarem tot saeculis inveniri verum potuisse* (Cic., Acad., II, 24, 76).

II. - In universum, praeponuntur propositiones

tantis rebus præficiendum putaretis (Cic., Pro Leg. Man., 10, 27). - *Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam: legem non hominum ingenii excogitatam esse* (Cic.). - MADVIG (n. 419) scribit propositionem infinitam non seiunctim a propositione primaria considerari. Hinc, ait, 1) primariae interseti potest; v. g.: *Omnes Caesarem appropinquare narrant*; 2) complecti potest brevem aliam propositionem aut unam alteramive vocem; v. g.: *Platonem Cicero scribit Tarentum venisse*. - *Eam causam ego me suscepturum profiteor*; 3) quum primariam sequitur, verbum primariae saepe praecedit accusativus infiniti; v. g.: *Caesar sese negat eo die paelio decertaturum* - aut vox significantior propositionis infinitivae; v. g.: *Acutilius sibi negat a suo procuratore quidquam scriptum esse*.

Sed praecedere possunt plures voces propositionis infinitivae; v. g.: *Ego me Asturæ diutius arbitror commoraturum*, quoad Caesar quandoque veniat (Cic., Fam., VI, 19).

1) causales, incipientes per: *quia, quoniam, quod, quum... etc.*; v. g.:

*Quia natura mutari non potest, idcirco verae amicitiae sempiternae sunt* (Cic., Am., 9, 32).

*Quoniam iam nox est, in vestra tecta discedite* (Cic., Cat., III, 12).

*Quum sit in nobis consilium, ratio, prudentia, necesse est Deum haec ipsa habere maiora* (Cic., De Nat. deor., 2, 31).<sup>1</sup>

2) conditionales; v. g.:

*Si pace frui volumus, bellum gerendum est* (Cic., Phil., VII, 6, 19).

*Nisi vas est sincerum, quodcumque infundis acescit* (Hor., Ep., I, 2, 55).

3) temporales, incipientes per: *quam, dum, postquam, ubi... etc.*; v. g.:

*Quum tacent, clamant* (Cic., Cat., I, 8, 21).

*Dum eram vobiscum, animum meum non videbatis* (Cic., De Sen., 22).

*Ubi per exploratores certior factus est, de tertia vigilia profectus est* (CAES., De Bel. gal., 1, 12).<sup>2</sup>

4) concessivae, incipientes per: *etsi, quamquam, etiamsi... etc.*; v. g.:

*Etsi aliqua culpa tenemur erroris humani, a scelere certe liberati sumus* (Cic., Pro Marc., 5).

*Quamquam est incredibili audacia, tamen pertimuit* (Cic., De Iurisd. Sic., 30, 74).

<sup>1</sup> Hic propositionum causalium locus ordini naturali optime consonat, quum causa effectum suum logicæ antecedat.

<sup>2</sup> Propositio temporalis primariae postponitur  
1) si ipsa primaria tempus designat, temporalis vero incipit coniunctione *quam* et verbum habet in indicativo; v. g.: *Caenabant apud Seium, quum utrique nostrum redditæ sunt a te litteræ* (Cic., Fam., IX, 7).

2) si temporalis incipit coniunctionibus, quae significant *usquedum* (= *jusqu'à ce que*); v. g.: *Ego in Arcano opperior, dum ista cognosco* (Cic., Att., X, 3). - *Quod exspectassent donec a Praefecto annonæ tanta res ad Senatum deferretur* (TIT. LIV., IV, 13).

*Etiam si est in genere tolerabili, certe non est in optimo* (Cic., De optim. gen. or., 2).

III. - Praeponuntur item propositiones comparativae quae similitudinem continent et incipiunt coniunctionibus: *velut, tamquam, ut... etc.*; v. g.:

*Tamquam illi ipsi acerbitatis aliquid acciderit, angimur* (Cic., Brut., I extr.).

*Ut sementem feceris, ita metes.*

*Hunc locum obtinent præsertim in correlativis. In correlativis enim relativum de se præponitur;*<sup>1</sup> v. g.:

*Qui Deum amat, is felix est.*

*Qualis pater fuit, talis filius est.*

*Quantas res nemo ante gesserat, tantas Caesar gessit.*

*Quot ego libros vix vidi, tot tu legisti.*

*Quoties sidera contemplor, toties admiror Dei potentiam.*

*Quam infelix qui Deum odit, tam felix est qui Deum amat.*

*Quantopere filii parentes amant, tanto-pere te amo.*

*Ut parentes filii amant, ita ego te.*

*Ubi tu es, ibi esse cupio.*

IV. - In universum, postponuntur propositiones

1) finales; v. g.:

*Haec dixi, ut mihi ignoscerent* (Cic., Pro Lig., 3, 8).

*Esse oportet ut vivas, non vivere ut edas* (Cic., Heren., 4, 28).

*Epaminondas domo non exiit, ne manus sanguine suorum cruentaret* (CORN. NEP.).

*Obducuntur cortice trunci, quo sint a frigoribus et caloribus tutiores* (Cic., De nat. deor., 2, 47).

2) consecutivæ; v. g.:

<sup>1</sup> Demonstrativum interdum omittitur; v. g.: *Quae cupiditates à natura proficiscuntur, (eae) facile expletur sine ulla iniuria* (Cic.). - *Quas scripsisti litteras, (eae) fuerunt mihi iucundissimæ* (Cic.).

*Tales non esse putamus, ut iure laudemur* (Cic., Off., 1, 26).

*Pompeius ea virtute ac fortuna est, ut ea potuerit semper quae nemo praeter illum* (Cic., Pro Mil., 29).

V. - Participium obtinet sedem propositionis, cuius vices gerit, v. g.:

*Reluctante natura* (= *quum reluctatur natura*), *irritus labor est* (SEN., De Tranq., 6).

*Victus* (= *si victus fuisset*) *pacem oravisset.*

*Hannibal mare inferum petit, oppugnaturus* (= *ut oppugnaret*) *Neapolim* (TIT. LIV.).

VI. - Quum propositio secundaria, maxime interrogativa, praecedit ope pronominis relativi, interseti possunt, inter relativum et vocem interrogativam aut coniunctionem, quaedam voces propositionis primariae; v. g.:

*Quae breviter qualia sint in Cn. Pompeio consideremus* (Cic., Pro Leg. Man., 13, 36).

*Imo interseti potest vel integra propositionis primaria, si tamen brevis sit; v. g.:*

*Quarum incredibile est quanta multitudine fuerit Syracusis* (Cic., De Suppl., 12, 30).

*Quod (ingenium) sentio quam sit exiguum* (Cic., Pro Arch., I, 1).

VII. - Parentheses apto et idoneo loco intersetae sunt; videlicet proxime ad vocabulum aut membrum quod definiunt; v. g.:

*Ubi dictatorem creatum esse auditum est (tantus eius magistratus terror erat), hostes a moenibus recessere.*

*Si quid est in me ingenii, iudices, (quod sentio quam sit exiguum), aut si qua exercitatio dicendi...* (Cic., Pro Arch., I, 1).

*Parenthesis incipiens per « id quod » plerumque ponitur in initio propositionis primariae; v. g.:*

Timoleon (*id quod difficilius putatur*), multo sapientius tulit secundam quam adversam fortunam (CORN. NEP., 20, 1, 2).

Si nos, (*id quod maxime debet*), nostra patria delectat (CIC., *De or.*, I, 44, 196).

VIII. - Quum duae pluresve propositiones secundariae concurrunt, sive coniunctae sunt, sive iuxtapositae, eo ponuntur ordine, quo cogitantur. Sic

1) concessiva causalem sequitur; v. g.:

*Quia id est suspiciosum, tametsi bestiae sunt, tamen in eam partem potius peccant, quae est cautor* (CIC., *Pro Rosc. Am.*, 20).

2) temporalis conditionalem sequitur; v. g.:

*Si quid nunc me fallit in scribendo, simul ac progredi coepero, faciam ut tibi nota sit omnis ratio dierum* (CIC., *ad Div.*, III, 5, § II).

3) duae temporales iunguntur; v. g.:

Nam *quum te confirmasses redditum, posteaquam Cordius pro testimonio dixit se tibi reddidisse, statim reddendi finem fecisti* (CIC., *In Verr.*, 4, 20).

4) temporalem sequitur concessiva, cui postponitur dein causalis; v. g.:

*Quum est ad nos allatum de temeritate eorum qui tibi negotium facesserent, etsi graviter commotus sum, quod nihil tam praeter opinionem accidere potuit, tamen ...* (CIC., *ad Div.*, 3, 10).

IX. - Quum propositioni secundariae nova propositio subiicitur, haec

1) secundariae crebro praeponitur; v. g.:

Milites palam loquebantur, etiam *quum vellet Caesar*, sese non esse pugnatores (CAES., *De Bel. civ.*, I, 71).

Legationi Arioistus respondit, *si quid ipsi a Caesare opus esset*, sese ad eum venturum fuisse (CAES., *De Bel. gal.*, I, 34).

*Quid autem agatur quum aperuero, facile erit statuere quam sententiam dicatis.*

2) rectius in media secundaria collocatur; v. g.:

Ut aegroto, *dum anima est*, spes esse dicitur; sic ego, quod Pompeius in Italia fuit, sperare non destiti (CIC., *Att.*, IX, 10).

Reliquum est ut quid agatur, *quoad poteris*, explores (CIC., *Att.*, VII, 13).

3) nonnunquam tamen secundaria postponitur;<sup>1</sup> v. g.:

Cato mirabatur quod non rideret haruspex, haruspicem *quum* vidisset (CIC.).

Non me paenitet vixisse, quoniam ita vixi *ut* me non frustra natum existimem (CIC.).

#### § II. - De ordine inverso propositionum.

I. - Propositio, quam scriptor cupit ut magis eluceat, primam sedem obtinet, etiamsi ex natura sua esset postponenda; v. g.:

*Eloquentiae studendum est*, etsi ea quidam abutuntur (CIC.).

*Quemadmodum milites hibernent*, quotidie sermones et litterae perferuntur (CIC., *Pro Leg. Man.*, 13, 39).

*Multi omnia recta et honesta negligunt*, dummodo potentiam consequantur (CIC.).

*Corinthum perfugit Heraclides*, expulsus a Dionysio (CORN. NEP.).

II. - Postponitur propositio, quae cum sequenti sententia arctius cohaeret, vel longiori explicatione seu illustratione statim addenda indiget; v. g.:

Non potuit Caius Titium occidere, *quia isto tempore non domi fuit*. Id quod docuerunt innumeri testes ...

<sup>1</sup> Quum duae adsunt propositiones infinitivae, quarum altera ab altera pendet, propositio prima praeponi solet; v. g.: *Scio plerosque scripsisse Themistoclem in Asiam transiisse* (CIC.). - *Ait se comperisse ex eius regno piratas ad Siciliam esse venturos* (CIC., *De Signis*, 29, 66). - *Credo te, memoria tenere me locutum esse* (CIC., *Fam.*, XIII, 6).

Praeponitur quae ad praecedentem sententiam refertur; v. g.:

Te nullos poetas legisse certum est. *Hinc de his non iudicare potes*, licet te pro bono poëtarum iudice venditare soleas.

III. - Propositio praeponenda non raro postponitur, ad vitandam ambiguitatem;<sup>1</sup> v. g.:

Qui studia sequutus est, non facile ea relinquit, *quia suavia sunt*.

IV. - Ex euphonia, propositiones brevissimae, ob naturam postponendae, vulgo praeponuntur, ne sententiae conclusio suavitate et numero caret; v. g.:

*Errat qui putat doctrinam magnam sine magna industria acquiri posse.*

*Legati dicebant Armenium regem in Cappadociam impetum esse facturum* (CIC.).

#### Monita generalia.

I. - Regula praecipua in collocandis diversis vocibus unius propositionis, et etiam in collocandis diversis propositionibus unius sententiae, est ut sensus plerumque maneat suspensus usque ad finem, sive unius propositionis, sive etiam plurium propositionum inter se coniunctarum. Mens legentis, si probe intelligere velit, indiget attento conatu usque ad finem. Haec dos est propria linguis syntheticis, praesertim antiquis, videlicet graecorum et latinorum.

II. - Regulae quae praecedunt, praesertim de ordine nativo, sed etiam de ordine inverso, nihil habent quod sit omnino absolutum et, ut ita dicam, systematicum. Generatim observandae sunt; nam traduntur ab optimis Latinitatis peritis et innituntur exemplis probatorum auctorum, praesertim aureae aetatis. At

<sup>1</sup> Interdum prisci, ob negligentiam, praesertim in levioribus argumentis, propositionem, quae praeponi debebat, postposuerunt.

tamen ditissimae varietatis ratio habenda est. Nihil enim foret magis insulsum ac putidius quam latinus stilus, qui egregia varietate careret.

(Ad proximum numerum)

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

## DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA

### AETAS MEDIA<sup>1</sup>

Venio nunc ad mediae aetatis singulas leges.

Antequam Odoacres Italiam occuparet, vigebat in occidentali Imperio codex Theodosianus; quod ibidem in vigore mansit etiam postquam corruit Imperium; immo etiam in regno Theodorici, et, postquam editae sunt, compilationes Iustinianae, quae tantummodo in recuperatis imperii partibus promulgatae sunt, et nonnisi postea receptae in universa peninsula una cum codice Theodosiano, cui demum praevalueret; Iustiniano autem mortuo, in Italia byzantina (Venetiis, Exarchatu, Pentapoli, Neapoli, Amalphiae, Caietae, in Apulia, Calabria, Sicilia usque ad Mossulmanos) magis obtinet ius graeco-romanum, et maxime Basilici, semper una cum codice Theodosiano et cum vulgari illo iure romano, quod non in tabulis, sed in animo, in vita moribusque italicis inscriptum et insculptum nunquam non fuit.

Mox et barbari leges romanis imitari coeperunt. In Italia, primum omnium, anno circiter D, editum est *Edictum Theodorici*, collectio nempe publici privatique iuris, in articulos 154 digesta, et ex codi-

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

cibus Gregoriano, Hermogeniano et Theodosiano, exque nonnullis Constitutionibus posterioribus, atque ex Pauli « receptis sententiis » deducta; tenebat Gothos, non Romanos, nisi in iis, quae utrosque tangerent. Minus obtinuit *Edictum Atalarici* « contra eos qui praedia urbana vi occupabant, et contra fornicarios et concubinarios ».

Paulo post, in regno Visigothorum, quod a Rhodano Ligerique fluminibus ad Oceanum patebat per Aquitaniam et Hispaniam, anno dvi, edita est *Lex Romana Visigothorum*, quae plurimum valuit tum in Hispania cum in Gallia; sed etiam in Italiam deducta est, Francorum saltem tempore. Proculdubio in Italia exornata est huius legis epitome, *Lex Romana Uticensis* appellata, e loco ubi reperta est superiore saeculo ab italo Canciani, vel *Curiensis*, e loco ubi ornata fuisse censem.

Germani, ad humaniorem cultum ab Ecclesia matre atque consuetudine cum Romanis evecti, quo aptius suam ordinarent consortium, novisque rebus accommodarent, leges sibi dare scriptas coeperunt, ad unitatem cum Romanis, quasi ad modum pacti (*Ewa*) popularis, inde nomina: *Ewa* = ius, *Leges populum*, vel *populares* (*Volksrecht*, ut iidem appellabant). Nam varii Germanorum populi varias sibi leges dederunt, quae ad quatuor ordines facile referuntur: *Francicum*, *Gothum*, *Suevum*, *Saxonem*; his accedunt edicta *Langobardorum*.

Leges Francicae sunt:

I. *Lex Salica*. — Salii, germanica Francorum tribus, ad inferiorem Salii fluminis (*Yssel*) ripas consedit; postea (saec. v) a Francis paene absorpti sunt. *Lex Salica*, germanicarum omnium antiquissima, composita forte aa. CCCCLXXXVI-XCVI, regnante Clodoveo, a quo, post Christianam fidem susceptam, revisa fuit; revisa quoque postea est, atque *Novellis* aucta, etiam Ca-

roli Magni, immo et Ludovici Pii, quae « Capitularia legis Salicae » dicta sunt; novissima autem forma emendata, anno DCCLXXVIII, per septuaginta duo capitula deducitur, quae maximam partem decernunt de iure publico, poenarum et processuum; minimam vero de iure privato. Non modo in Francia omni, sed etiam in Italia proculdubio viguit, a Francis invecta regibus; nec satis constat num vere mulieres e regali successione excludat; excludit profecto ab alodiali.

II. *Lex Ripuaria*. — Sedebarant Ripuarii in ea parte, quae Borussia Rhenana postea dicta est; regni caput Colonia Agrippina, nobilissima Romanorum urbs. Edita primum est exeunte vi, vel ineunte saeculo vii, partim ex Salica lege derivata; aucta dein *Novellis* et *Capitulis* usque ad Carolum Magnum, iubetque etiam ius privatum, idque ex Romano et Canonic repetitum: prima omnium explicite decernit leges esse personarum, non territoriorum.

III. *Lex (Ewa) Chamavorum*. — Franci Chamavi ad urbem Hamor, forte Hamaland, incoluisse feruntur. Lex haec, brevis quidem, edita ineunte saec. ix videtur, ad Salicam, vel verius Ripuariam complemandam.

IV. *Lex Anglorum et Werinorum*, hoc est *Thuringiorum*. — Constituerant ante saec. v Angli ad dexteram inferioris Albi fluminis, prope Germanicum mare; Thuringii vero ad sinistram superioris Albi fluminis. Barbaricarum legum brevissima, in prima parte de publico iure, in altera cavet de privato et mixto.

Leges Gothicæ sunt:

I. *Lex Visigothorum*. — Visigothi, ex orientali Germania, ineunte saec. v migrarunt, duce Alarico, per Italiam in Galliam et Hispaniam; utrobique consedere bina regna condentes, Tolosanum (CDXVIII-LXXV), et Toletanum (CDXIV-DCCXI): illud Franci, hoc Arabes opprassere. Primus

eis leges dedit Henricus rex (CDLXVI-LXXXIV); dein successores, inter quos Chindasvindus (DCXLII-LII), eiusque socius et postea successor Recesvindus, qui ex « lege antiqua » suis hanc edidit legem Visigothorum, de qua agimus. Duodecim capitibus, concinne per materiam dispositis, quorum a sex ex integro petitur Codex Theodosianus et *Lex romana Visigothorum*, agit de universo iure. Accessere postea *Novellae* ceterorum regum Hervigii et Egicae (DCLXXXVII-DCCI); nonnunquam datum *Liber Iudicium*, vel *Forum iudicium* (hispanice: *Fueros iuzgo*). Abrogata non fuit in Gallia a victoribus Francis, quorum opera et in Italiam irrepsisse fertur. In Hispania vero diutius viguit, etiam sub Arabibus, et postea in regnis Christianis.

II. *Lex Burgundiorum*. — Burgundii, erratici, minus tamen quam ceteri Germani feri, ex Bornholm, Balticū maris insula, migraverunt, ut videtur, saec. v ineunte, in Galliam, regnumque considerunt in Rheni valle media (hodie ne Alsatiā?). Ab Unnis inde pulsi, ad Rhodani vallem quum transmigrassent, nobile constituerunt novum regnum, quod a Francis an. DCCCIV oppressum absorptumque est. *Lex Burgundiorum* exeunte saec. v edita a Gundobado rege — (unde etiam *Lex Gundobada* dicta) — ab eiusque filio, Sigismundo, aucta, ius romanum sapit et visigothum, viguitque in Gallia, unde in Italiam quoque invecta fuit.

Leges Suevae sunt:

I. *Lex Alamannorum*. — Alamanni, foedus quoddam Germanorum, circa medium saec. II, superiore Rheni vallem, fere ad Menum usque, occupaverunt: plures a Romanis superati, hic illuc migrarunt; tandem una cum Suevis consedere in montium iugis, unde fluunt hinc Danuvius, inde Rhenus, inde Rhodanus flumina. Editum est ineunte saec. VII « pactum Alamannorum », ex quo deinde (anno


nempe DCCXXX, duce Lanfrido) composita lex fuit. A Carolingiis postea aucta, viguit in Germania meridionali, in Suevia, in Helvetia nordica.

II. *Lex Baiuvariorum*. — Baiuvari, Germanici et ipsi, ex Baia (hodie Bohemia), saec. v, ad Danuvium, prope Thuringicos descenderant, et foedare inter se facta, duce Agilulfo, in Italiam non semel aduersus Langobardos irruerant. A Carolo Magno subacti, an. DCCLXXVIII, anno CMXI libertatem recuperarunt; paulo post adnectuntur Saxoniae. Vetus « pactum », successore auctum, fit lex Baiuvariorum, vestigia exhibens iuris Alamanni, Franci et Visigothi; refert quoque conciliaria quaedam decreta de clericis.

Leges Saxones sunt:

I. *Lex Saxonum*. — Saxones habebant finitos hinc Francos et Thuringios, inde vero Anglos, Mare Germanicum et Frisos; postea et Anglorum regionem occupaverunt ad Danos usque. Iam a saec. IV pirates Saxones mare Germanicum Galliaeque oras perturbarunt; circa medium saec. v quattuor duces Saxones ad Britanniam insulam cum suis appulsi, Eptarchiam illam considerunt, unde historia Angli nominis nova sumpsit exordia. Brevis haec lex, maxime inter omnes germanicam servat indolem; nec satis constat utrum initio saec. IX, an, verius, VIII saeculi ponenda; utrum omnis simul composita, an, probabilius, successive, per partes. Maximam autem partem est lex poenarum, eaque, omnium severissima.

II. *Lex Frisonum*. — Frisii vel Frisones, Germani fortissimi, ad oras Germanici maris constituti, inter Rheni et Amisiae (*Ems*) fluminum perardua ostia ad fines Batavorum, quibuscum serius foedare uniuntur; victi, non domiti, ut videtur, a Caesare, foedus cum Druso et Germanico composuere amicum; rebellearunt imperante Claudio, et, postea, Neroni; libertate recuperata, foedere cum



Saxonibus uniuntur; saec. vi Austrasianis, eoque magis Carolo Martello et Pepino, saec. viii; a Carolo Magno tandem subiecti, eo mortuo libertatem recuperant et servant strenuissime; non tamen resistunt Evangelicae luci, quam excipiunt cupidissimi, ardente fovent amore; nec amittunt quum saevit, postea, insectatio Lutherana, quin etiam sanctissime defendunt plerique latius penitusque, inter fratres dissidentes laudant, atque diffundunt.

Lex Frisonum, quae dicitur, initio forte tantum privata brevisque collectio fuit; postea aucta; vestigia exhibit ethica simul et christiana. Extra non viguit.

De Langobardorum legibus, alias.

SYLVIA ROMANI.

## VISIONES ROMANAЕ

### CAMPANAE

Iam lux paullatim caeli diffunditur axe,  
sidera pallescunt, prataque rore madent;  
cinereo perfusa patet Matuta colore,  
albicat et caelum, pandiculatur avis.  
Dein Aurora novae surgens fert lumina lucis,  
et roseo tepidum nunciat ore diem.  
Sol inde exoritur; montana cacumina fulgent,  
quaes solis radiis dum redimita calent,  
templa videntur adhuc noctis fumantia thure,  
quo celebrat superas humida terra plagas:  
aurea caeruleo surgunt sub tegmine caeli,  
centena et tollunt cuspide ad astra caput.  
Tum sonitus nostras torpentes percudit aures,  
et nobis memorat mistica facta Dei.  
« Angelus aetherea demissus ab arce, Mariam  
visit, eique Dei nomine dicit “Ave,,,”  
Et vix se ancillam professa est Omnipotens,  
ad nos, factus homo, venit et ipse Deus.  
Et centum resonant sollemnes mane quieto  
campanae, atque homines ad sua pensa vocant.  
In medio resonantque die, resonantque cadente,  
fessaque dum recreat corpora grata quies.

Advena dum Romae sacras procumbit ad aras,  
sollicitasque pio murmurat ore preces,

*pro culpis veniamque suis implorat, et altam  
Sanctorum flexu poplite poscit opem  
templa alterna petens, vastos distracta per agros,  
amissum, heu frustra! perdita quaerit iter.  
Viribus et fractis, noctu huc palatur et illuc,  
atque inconsultos fertque refertque pedes.  
Tunc lacrimans caelum votis precibusque fatigat,  
atque pios Manes invocat auxilio.  
En festis percussa sonis longe aethra resultat,  
Romam et ducta sonis advena laeta redit;  
Et gratum monstrans autum moerentibus Umbris  
aere suo assiduo comparat inferias.<sup>1</sup>  
Nunc eadem resonat, nocturno et tempore eodem  
campana, atque petit Manibus inferias.*

\*\*

*Qualis ab aero praeruptus vertice montis,  
torrens vastat agros et sata laeta trahit,  
trajicit et truncos spumans, pecudesque ferasque  
eripit, evellit pinguis septa, casas;  
et late exundans, hominunque bouisque labores  
deturbans, limo contegit arva putri:  
barbara non aliter devexit alpibus altis  
praecipitan acies, diruit Italiam.  
Urbis nil superest laetae nisi nomen inane,  
civis et ossa ferox ungula frangit equi.  
Flectitur haud precibus, nec parcit caedibus; ignes  
caedibus adduntur, funera funeribus.  
Et Romam rapide dum gressus admovet, horror  
invadit mentes, corda dolorque premit.  
Ingeminant fletus per compita, perque domorum  
clastra, petunt omnes Numinis auxilium.  
Numine quo fidens Sanctus Summusque Sacerdos  
hostiles turbas unus adire parat.  
Nec mora, campana extemplo de turre sacra  
insonat, et turbas ad pia templa vocat.  
Tunc Praesul: « Miles properans adventat in  
[Urbem,  
barbarica in miseris impius arma gerens,  
et furta, et caedes, et stupra minatur, et Urbis  
exitium reputans, facta nefanda iubet.  
At si nos armis hodie petit hostis inquis,  
haec poena est nostris debita criminibus.*

<sup>1</sup> De nocturno campanae sonitu, quae La Sperduta nuncupatur, haec fabula seu traditio est: Advena, quae Romam a Deo pro suis culpis veniam deprecatura venerat, dum ab una ad aliam Basilicam, inter hortos et vineas peregrinatur, nocte iamdiu imminentia, deerraverat. Quam ob rem afflita et perterrita, animas in purgationis loco degentibus strenue et lacrimans implorabat, quem subito sonitus campanae eius aures percussit, quem sequuta, viam ad Romam iterum invenit.

*Mox Patriae et Fidei afflictis succurrere rebus  
mens mihi, sic presens adiuvet ausa Deus.  
Vos iterate preces precibus, nec parcite votis;  
expugnant equidem vota precesque Deum ».  
It Praesul, victorque redit, nam terga retrouquens  
finibus a Romae dissitus hostis abit.  
Auras per vacuas resonat campana, fideles  
promissa currunt solvere vota Deo.  
Thuris odorati scandunt tunc aethera nubes,  
emittunt laetos organa pulsa sonos.  
Praecinit et Magnus commota voce Sacerdos  
hymnos et laudes grataque verba Deo.  
Et quoties vindex cives campana vocabit,  
protinus extollent colla soluta iugo.*

\*\*

*Verberat ut rupem fluctus, refluensque fluensque  
saxa inter ludit, spumat et unda strepens,  
et maris undisonum auditur concrescere murmur,  
(longe etsi resonans littoris ora nitet)  
advena sic hospesque strepit, densissima turba,  
perque Urbis fluitans compita, perque vias,  
atque catervatim Tiberis trans confluit undas,  
pergere et ad Petri templo superba capit.  
Interea campana sonat, laetisque fragore  
iam caelum replet, gaudia magna canens.  
Centum aliae sinul et resonant de turribus Urbis,  
percussa alternis ictibus aura fremit.  
Turba columbarum volat, atque effusa per Orbem,  
sub pennis velox nuncia laeta gerit:  
« Ecce novus colitur civis caelestibus aulis,  
qui nunc Sanctorum dignus honore datur;  
Ille Deum sanctis virtutibus illustravit,  
Illi datque Deus praemia caelicolum. »  
Salve immortalis, salve o assueta triumphis  
alma Fides, curis una refrigerium,  
Aeterni vos iussa doces aeterna Magistri,  
Pontificisque iubes dicta verenda sequi;  
dicta verenda sequi, aeterno manantia fonte,  
queis vere aeternum condidit imperium  
Roma sibi, et populos vincit, victosque gubernat,  
non armis, dulci at religione Dei.  
Nam Petri busto exsurgit vox, captat et auras,  
vi ducta ignota transvolat Oceanum,  
ei Radio effundens pacis solamina Christi,  
dat Fidei optatum gentibus auxilium.*

Romae.

TITUS BELLATRECCIA.

*Unusquisque nihil promittat in honestum; at, si  
promiserit, tolerabilius est promissum non facere,  
quam facere quod turpe est.*

S. AMBROSIUS.

## XYSTINUM IN VATICANO SACELLUM

De Xystino sacello dicere incipient difficilis est exitum quam principium invenire; ita enim in illud omnes optimarum artium thesauri, omnes clarissimorum memoriae et monumenta virorum, omnes omnimodae perfectionis numeri inducti sunt et congregati, ut, quoad mens humana potest respicere spatium longissimi temporis, non modo nihil illi anteponendum, sed nihil penitus aequandum esse videatur. Quod si quis optaverit meridianam sibi luce clarescere, ante omnia consideret, Vaticanam arcem ita se habere, ut regum omnium domibus et sedibus longe antecellat, nec par, nec secundum quid habeat amplitudine aedium, amoenitate locorum, gloria rerum ibi gestarum, fama celeberrimorum virorum qui incoluerunt, adierunt, musisque omnibus ornauerunt, et sanctitate, sapientia, et quadam perpetuitate utriusque virtutis ita decoraverunt, ut iure Vaticanas aedes poëta appellaverit:

..... loca sancta et proxima caelo.

Atqui si Vaticanum omne, quantum est, annulo cuidam aureo comparaverimus, Xystinum in eo sacellum, quasi quidam adamas sit pretiosior auro, fatebor emicare et emergere. Neque illud prætereundum arbitror, quod huic loco singulariter est, et quasi ineffabile; quippe, (sive id ex arcano afflatu aliquo sit e loco ipso et rerum dispositione dimanans, sive ex iis solemnis halet, quas ibi ritu augustissimo perficiuntur, sive ex figuris undique percellentibus oculos, qui quocumque incident attoniti excellentia operum haerent), quidquid ibi absolvitur si laetum, nihil usquam augustius ipso, nihil magnificentius; si funebre, nihil usquam

ipso in moestitia solemne magis, et moestum. Quaesumus, quid est hoc, quo locus idem gestat laetitia cum laetis, maiestatem redoleat cum divinis, luctum et moerorem excitet in lugubri potiore in genitibus?...

Aliis haec inquirenda relinquimus; nobis in praesentia nec licet, nec, si liceret, vires ad perscrutandum causas essent satis; tantum enim onus ingenia nostra non sustinent.

Nonnulla possumus, quae ad istud pertinent adnotare, et ea narramus libenti animo, prouti sive ex libris, sive ex ipsa traditione — famae enim rerum standum quoque est — ad nos ultro sunt demandata.

Pontificis domum privato quoque gaudere templo decebat, praesertim quia plenumque senecta Pontificem imbris, glacie, ventis, hieme, aestu et inclemencia aëris ab adeundis basilicis deterrebat. Atqui decebat etiam ut ita se haberet, quod solemnibus esset satis peragendis, et antistites Curiae et Purpuratos Patres capere posset, nec deesset nobilissimis et Augustis viris in eo locus, et insuper ut aliquod spatium a longe venientibus cederetur. Hinc Summus Pontifex Xystus IV de illo excitando meditari coepit, remque tradidit architecto, illius temporis celeberrimo, B. Pintelli perficiendam, qui solidissimis fundamentis regendum credivit aedificium, ita ut quartum iam praeter saeculum nec parietes, nec fornices, tot saepe terraemotus passi, unquam adversa pertulerint. Duodecim per parietes illitis udo coloribus Perusinus tabulas arte mira deduxit; Resurrectionis historiam Pomarancius, Matthaeus a Licia daemones cum Michaele Arcangelo pugnantes ut Mosis corpore potirentur, et, idololatriae futurum causam, Hebraeis venerandum prius, mox adorandum relinquerent.

Abeunte Xysto a mortalibus, quia no-

men sacello iam ab auctore Xystinum erat, Iulius II Pontifex, Xysti, nepos, suas Bramantis, Vaticanae basilicae formidabilem, immanem aedificationem molientis, fornices Xystini figuris decorandas decrevit, opusque Bonarrotio commissum voluit, eadem suadente Bramante, ut, versutus, Bonarrotium a simulacris, (quae inter Moses ille, quo vetustas graeca et latina nihil habet praestantius), averteret sculpidis ad sepulchrale Iulii monumenum, Iulii ipsius, inquam, adhuc viventis voluntate inchoatum; et, quia pictoriae artis expers Bonarrotius putabatur, ut quodammodo capite minueretur, minorque nepote suo, Raphaele Urbinate, iudicaretur. Abnuit Michael Angelus, et opus duendum Raphaeli potius, quam sibi dixit; sed quis Iulium a proposito tenacissimum dimoveret? Itaque Bonarrotius, vellet nolle, Iulii voluntati parere debuit, et accitis pictoribus Florentinis, qui opem ferrent, operi manus admovit. Brevi tamen elecit, expulit impares gerenda rei, et minores faciundis compertos. Solus ergo adoritur giganteum opus, solus ad finem perduxit, et immensus pictoria arte, prout in sculptoria, omnium consensu iudicatus est, pridie kalendas Novembres an. MDXII. Viginti vix mensibus fornicem ingentem tot prodigiis impleverat, quot ibi figuræ depinxerat! Quindecim duatorum millia (circiter quinque et sexaginta hodiernarum libell. millia) pro opere data sunt. Nunc decies totidem una tantum, ex illis sexcentis imaginibus, imago vix emeretur! Quis tamen divenderet?...

Iamque duo et viginti praeterierant anni; Michael Angelus libentiori voluntate scalpra et marmora sibi optabat, quam colores et penicillos. Dicitur abhoruisse, quia diu reflexo in humeros capite, fornices quum pingeret Xystinos, vitium in nervis colli induisset, quod postea nunquam exuerit. Tres Perusini tabulae erant in parietibus absidis pictæ, pulcherrimum

opus; nempe Mosis expositio, Christi nativitas, Deiparae in caelum assumptio; et tamen impares, iniquae picturis Bonarrotianis videbantur. Clemens VII ideo de opere Bonarrotii novo superducendo cogitabat, et, quae volebat, expressit. Morte praereptus Paulo III Farnesio in locum succedenti mandatum reliquit. Tanto semet labori Michael Angelus denegabat. Ipse Pontifex Paulus decem comitantibus Purpuratis magni domum artificis improvisus ingreditur, oratus et hortaturus ut faceret. Numquid negaret iussuro? Parere, necessitas fuit; et Bonarrotius immensus immensum prospiciens, illic supremi Iudicis supremam sententiam coloribus et arti exprimendam tradidit. Quae erant picturae, delentur, ut paries fiat eminentior et promissior in summo, reductior in imo ne pulvis super picturas consistat. Tum, divinum quoddam intuens, admirabilis admovit operi manus, cui nihil unquam par fuit et erit. Octo annos in opus incubuit solus, ut solebat, deditque quod supremum conceptu genii est, quod lineis et arte pictoribus est quasi schola iugis, quod vita et veritate actionum insuperabile hactenus existimatur. Quidquid sacrae chartae, quidquid Aligherius, quidquid Vergilius habent, illic una coniurant, et quid terrible, tremendum imponunt animo consideranti. Numquid ea describam, quae impossibilia dictu sunt? Si videris, coniicies, intelliges; si loqui volueris, experieris facto consequi te ea verbis non posse. Anno MDXII, Natali die Domini, omnibus obstupescientibus patuit. At quum paulo ante Pontifex visum ivisset, miratusque laudaret, quidam ex antistitibus apostolicarum caeremoniarum magistris, Blasius a Cesena, a Pontifice dissentiens, dixit se stomachatum imaginibus illis caupona dignis, quae tot nuda corpora referebant. Ultionem de eo Bonarrotius tulit; namque, ubi velaria ablata fuere, in Minoe vultu, imago Blasii tota

erat. Exclamare ille, vocitare, perstrepere, atrociter ferre, Pontificem exorare ut imaginem sui vultus deleri iuberet. Cui Pontifex: — Et ubinam, Blasi mi, te colluvavit? — In inferno, Pater Sancte, — respondit, — in inferno ille me, furcifer. — Doleo, — Paulus ait; — si enim te in «purgatorio» posuisset, pro te plura facerem, et facta valerent; sed quia in inferno.... Num ignoras quae scripta sunt? *In inferno nulla est redemptio!*

Visne quid sit Xystinum cognoscere? Accede et sta in solemnibus hebdomadae sanctae, in Officiis tenebrarum... Contremiscere. Visne exsultare? Accede diebus effusae laetitiae. Templum idem, picturæ, imagines eadem tecum gestient quae tecum antea faverunt, quae paulo antea te terruerunt. Undenam hoc?...

Rememorare nunc quot ibi fuerunt magni viri, quot Pontifices, circum exsultante grege Christifidelium; intuere...; senties profecto quid sit Xystinum in Vaticano sacellum; senties, inquam, impos effari!

P. D. V.

## SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE  
LATINE VULGATAE

### NOTITIAE.

#### DE HYMALAIAE MONTIS ELATIONE.

Dr. G. Dainelli, e R. Italiae Academia, rursus per summa capita exponit quae, de re geologica, invenit diu commoratus in regione prope Hymalaia, egregie exponiens ordinem temporis ceteraque adjuncta gentis elationis, quam ille montium complexus passus est. A. diserte novit haec, sive ob examen accuratum omnium

de re scriptorum, sive praesertim e directis investigationibus, quibus certitudinem assequutus est de magna pila sedimentaria, paene absoluta, inter Ordovicianum (Silurianum) et Anversianum (Eocenem). Praeterea non sine fundamento pleraque scista crystallina vitrea tempori cuidam praesiluriano tribuere potuit, tempusque statuere petrarum maxime eructantium, praesertim molarum graniticarum, harumque effusionum.

Per multae dissertationes, quae intelligi nequeunt nisi antea opus eiusdem Auctoris cognoscatur circa *Seriem terrarum*, brevi exponi non possunt.

#### DE STUDIO CHEMICO-AGRARIO CIRCA REGIONES PEDEMONTANAS.

Ingens studium chemico-agrarium circa quattuor regiones e Pedemonte (Salutarium nempe, Pineroliensem, Vercellensem et Taurinensem), absolutum est a Statione chemico-agraria taurinensi. Singulas regiones dissertatione quaeque illustrat, quae innititur praesertim studio geologico et lithologico agri qui efformatur, processu physico chemico, e petris primigenis. Subsequens metallorum dissolutio viam stravit aliis chemicis reactionibus. Analysis physico-mechanica et analysis chemica efficiunt ut agri penitus distinguantur. In summa regionum parte, quae petris constituitur non sine humo, praesertim habentur alpina pabula et coniferarum luci; inferius autem, castaneta et lotifoliorum silvae. In clivorum parte, quae naturam morenicam praesefert et aliis rebus efformatur ex dissolutione productis, coluntur vites et variae plantae annales. Planities denique alluvionalis, quae distenditur iuxta Padanas ripas, et iuxta flumina in Padum affluentia, varie se praebet, iuxta ubertatem et aquarum copiam. Congruentia inter constitutionem geologicam, constitutionem metallorum et agrorum cultum,

clare patet, si observationes agrariae comparentur cum observationibus geologicis, lithologicis, physicis, et chemicis illarum terrarum.

#### DE NOVA RATIONE IODIUM EXTRAHENDI.

Wald, moderator officinae chemicae-siderurgicae Witkowitziensis (in Cecoslovachia), iodum in pulveribus vaporum ex altis bustis (quae vocantur) pro certo existere asserit. Pulvis habet 25 centesimas partes oxydi zincici, 15 oxydi plumbei, iodii autem a 0,1 ad 0,28 (annuus vero medius numerus est 0,21). Iodium provenit non modo a carbonio Ostraviensi, sed etiam e polonica limonite. Iodium, quod extrahi potest, sufficeret, urgente necessitate, pro omni Cecoslovachia.

#### DE NOVIS FONTIBUS PETROLIFERIS IN ASIA CENTRALI.

Fontes petroliferi in Asia centrali maximi facti sunt ob praeclaros effectus in Turcmenia habitos: Neftagi enim, putoem quoddam viginti diebus 300.000 amphorum petrolei produxit, ita ut terra illa iam certe in futurum petroleo nunquam defuturam affirmare possimus. Etiam apud orientalem Maris Caspii ripam regio finitima, 96 Km. latitudinis, exstallationes petrolii habet, emanationesque hydrocarburorum et vulcanos luteos. Apud Uzbekistan, in valle Ferganensi, iuxta ripas fluminis Syr-Darya, 60 loca inventa sunt, quorum nonnulla petroleum iam copiose producunt, ceterae producent. Apud Khaudag, ad dexteram fluminis Surkhan-Darya, regio alia petrolifera inventa est: cribratio non plus quam 40 metra profunda, 24 horis dedit plures centenas egregii olei amphoras. Asia igitur centralis non iam in posterum importabit petroleum, sed iugiter exportabit, ita ut productio Sovieticae Reipublicae maxime augeatur.

## COLLOQUIA LATINA<sup>1</sup>

### XVII.

#### Somnus in gymnasio.

FABIOLUS, EUGENIUS.

FABIOLUS. — Fabiosolum te autumo.

EUGENIUS. — Quam ob causam?

FAB. — Quod me modo vellicas, modo pugnum in latus meum incutis.

EUG. — In laneum latusculum tuum. Cur dormitas? Non decet hoc in schola.

FAB. — Mihi sic usus est: tu, ut tibi opus est facto, ita facito. Tua quid refert?

EUG. — Mea quidem aliquantulum; tua vero permultum. Nam si te dormire sivero, Doctor me quoque ut infidelem custodem supplicio prosecuturus est.

FAB. — Ita ne?

EUG. — Etiam, dormitor, ita est.

FAB. — Permitte ut dormiam. Quomodo nunc est, aliter fieri non potest.

EUG. — Istam a Magistro veniam pete.

FAB. — Irrides? Quasi ut dicas: Pete ab atroci cane ut te mordeat; sua sponte mordebit.

EUG. — Ego profecto non feram, non patiar, non sinam ut dormias: usque et usque molestus ero. Etiam acicula, en, te compungam, ut clames, teque ipsum ut sorex tuo indicio prodas.

FAB. — Heu! mitte me; vicissim indulgebo, si te somniculus corripuerit.

EUG. — Hanc abs te gratiam nolo.

FAB. — Tamen...

EUG. — Iam reddenda erit e memoria hesterna paelectio; excute somnum, frica paullum oculos, et relege quae didicisti. Nisi faxis, a tergo, supra caput, ante oculos vindicta est.

<sup>1</sup> Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Progymnasmata latinatis*. — Passim retractavit, hodiernisque moribus aptavit I. F.

FAB. — Quid relege? Nihil edidici.

EUG. — Tum tu ipsa es miseria.

FAB. — Non exiget a me quidquam hac luce; non enim omnes, id quod scis, quotidie recitare possumus, pae multitudine.

EUG. — Ponamus exigere: quid dices?

FAB. — Doce me tu quid dicendum.

EUG. — Pulcre dictum! Egone doceam te mendacem fieri? Nihil attraxit funis tuus.

FAB. — Actum est, poenas luam, recitare non potero. Quid ergo proderit mihi si vigilem? Uno dolore duo peccata expiabo: dormiam rursus.

EUG. — Dormi, dormi, nihil moror. Si Magister me obiurgabit, narrabo quid fecerim, quid dixerim tibi, quid tu contra responderis.

FAB. — Tantum ne me expergefalias. Si etiam hodie vapulavero, non moriar.

EUG. — Quae tibi res fauste ac feliciter eveniat, mi Fabiole!

## ANNALES

#### Inter Italianam atque Aethiopiam discrimen.

Discrimen Italianam inter atque Aethiopiam universi fere orbis mentem et oculos in se recens convertit. Suo tempore diximus, intermissa arbitrorum utriusque partis colloquia fuisse, quum Aethiopes vellet ad discrimen omne disceptationem vertere, ac praecipue finium; negarent Italorum legati hoc esse munus coetui commissum, quod ad conflictationis in regione Ual-Ual caput unice circumscribi deberet. Quum autem terminus ad dissensionem componendam vanus effluxerit, res ab Aethiopum rege ad Societatis Nationum Consilium delegata est, quod Genevae congregatum Italorum senten-

tiae accessit simulque electioni quinti arbitri, in pactione an. MCMXXVIII inter Italiam atque Aethiopiam ad rem prospecta — (qui quidem videtur Politis, Graecorum legatus apud Gallos futurus). Praeterea, quem satis constaret de mente trium nationum quae an. MCMVI tripartito de Africanis negotiis foederi subscripsere, Italiae nempe, Galliae atque Angliae, novas quaerendi compositionis rationes ex ipso foedere, ut id fieret suasit; statuitque ut Societas Consilium die IV proximi mens. Septembribus iterum congregaretur, si etiam tunc partes inter se ipsae minime consenserent; cui tamen postremae propositioni a conferendo suffragio abstinuit Italorum legatus, quippe agendi libertatem gubernii sui vincere non posset.

Die XVI mensis Augusti, Lutetiae Parisiorum reapse Italiae, Galliae, Angliae que legati congregati sunt; at brevi coetus et hic est dimissus, nimis inter se Italorum Anglorumque legatis dissentientibus frustraque inter oppositas sententias Laval, Gallorum supremo administro, concordiae interpretem sese interponente.

Nunc inter viros in rebus publicis singulariter versatos res agitatur; interim vero hinc Aethiopum rex exercitum omnibus rebus ad bellum instruit, inde Italia copias alias in orientalem Africa transvehit.

Vitabitur ne bellum? Faxit Deus!

### Regale funus.

Dum scribimus, funestissimus nuntius auditur: Astrid, Belgarum regina, vix triginta annos nata, Augustae domus et universae Belgarum gentis deliciae, apud Lucernam in Helvetia, ex improvisa automobilis currus, in quo cum viro suo pregrinabatur, eversione, immaturam acerbamque mortem oppetit.

Miserrimum casum et nos prope aequae dolemus.

POPULICOLA.

**VITUPERANDUM ESSE ILLUM PRINCIPEM, ATQUE EAM REM PUBLICAM, QUAE NON POSSIT PROPRIO MILITE UTI, NEQUE CIVES AD MILITIAM IDONEOS HABEAT.<sup>1</sup>**

Qui Principes atque Respublica nostro tempore imperant, si ad sui defensionem, aut etiam quum aliis bellum inferendum est, non possint proprio milite uti, neque suis subditis confidere ausint, eos merito pudere debet. Et Tulli Hostilii exemplo cognoscere licet, eius rei causam non a subditis pendere, quoniam ubique gentium nascantur homines apti ad arma tractanda; sed ab ipsis magistratibus, qui populum militari disciplina instituendum non curaverunt. Nam quum Tullius in regnum Numae successit, pacem habuerat urbs annis quadraginta, nec quisquam civium erat, qui unquam in bello fuisse: nihilominus tamen quum bellum gerere decrevisset, neque Samnitum opera uti voluit, neque Thuscorum, neque ullorum aliorum, quicumque tandem essent, quamvis in armis perpetuo fuissent; sed, ut erat prudentissimus, propriis civibus uti voluit: itaque eos etiam disciplina militari ita instituit, ut brevi temporis spatio praestantissimos eos efficerit milites. Ex quibus facile intelligis, verissimum esse quod pronunciavi prius, sicubi homines sint inepti ad arma tractanda, id neque a loci natura, neque ulla alia causa, quam principis negligentia pendere, qui non instituit disciplinam militarem, qua subditi exerceantur. Huius rei exstat exemplum aliud adhuc recens. Omnes enim scimus regem Angliae, superioribus annis quam

<sup>1</sup> EX NICOLAI MACHIAVELLI opere: « De republica disputationes ex prima decade T. Livii » latine reddidit H. BINDI.

### VARIA

Galliae regnum invasisset, nullo alio milite quam Anglo uti voluisse, quamvis Angliae regnum triginta annos pacem habuisset, nec exstaret in eo quisquam aut miles aut dux, qui in militia fuisse: quum e contra Galli tunc in bellis Italicis diutissime versati et exercitati essent. Quae omnia facere ausus fuit tunc rex prudentissimus, quod sciret se ita regnum suum instituisse, ut etiam pacis tempore belli studia tractarentur, et disciplina militaris exerceceretur. Pelopidas etiam atque Eparinondas Thebani, liberatis Thebis ex servitute Spartanorum, quamvis cives haberent, qui servire et imperio aliorum parere consuevissent, ac proinde effeminati viderentur, ita eos tamen disciplina militari instituerunt brevi tempore, ut illorum opera prodire in campum et cum Spartanis congregari, eosque vincere potuerint. Quod factum est, ut occasionem derint scriptoribus, id de ipsis praedicandi, quod satis superque monstraverint, non tantum apud Lacedaemonios nasci milites; sed quocumque loco nascuntur homines, illic quoque milites nasci, si modo exstet, eosque disciplina militari instituat, sicuti Tullum Romanos instituisse legimus; quam rem Vergilius praeclare expressit his verbis:

... residesque movebit  
Tullus in arma viros.

\* \*

### LUPUS ET VULPES.

Videbat Lupus ad supplicium capitis Vulpem quamdam rapi, eximia forma et magnitudine; itaque misertus illius, statuit Leonem regem, apud quem se sciret singulari in gratia esse, deprecari pro vita illius; sciscitari igitur causam, propter quam Vulpes damnata esset. Cui responderunt qui illam ductabant: — Quod freta viribus suis, non contenta rapinis avium

de cohorte, pinguissimum etiam anserem, de numero eorum, qui regi ad delicatores cibos asservarentur, fuisse ausa aggredi. Tum Lupus, mutata Vulpis liberandae voluntate, discessit, et, fracta cervice, illa periret.

Omnis facinorosi invidi sunt; estque hoc pravitatis vitium insitum pene omnibus ut eos cum quibus communicare videant commoditates suas, e medio sublatos cupiant, illis ut indiminutis ipsi soli fruantur.

\* \*

### PRO IUDICIBUS MENSARUM ELEGANTIBUS.

ESCARUM ORDO:

*Sorbitio ex varis esculentis commixta.*

*Soleae frixa.*

*Cucurbitulae insiciis farta.*

*Caro anserina dulci simul et acri liquamine condita.*

*Suavillum Florentinum.*

\* \*

### LOCI.

TUCCIASUBDOLE PATRI:

— In somniis mihi visus es argenteo nummo me donare...

— Bene quidem; quia mores et facta tua his diebus non exprobranda fuere, tuum facere illum nummum potes.

TUCCIASIN SCHOLA.

MAGISTER: — Curnam horologii rotunditas quadrans appellatur?

TUCCIAS: — Eadem profecto causa, qua rectam horologii lancearum lineam sphæram nuncupamus.

**Aenigmata.**

I.

Olim cara Iovi, speciem mentita iuvencae,  
cornigeri coniux Apidis ipsa fui.  
Si mihi litterulam insereres, materterea  
[Bacchi,  
iam fierem, rabidi victima facta maris.

II.

Exitium cunctis triplex me syllaba format:  
*Prima* negat, firmat *media*, expes *ultima*  
[quaerit.

Aenigmata in superiore numero proposita his respondent: 1) *Calo, Calor;*  
2) *Pica, Spica.*

**LIBRORUM RECENSIO**

F. QUATTRONE, *In Augustum Humbertum a Sabaudia, regni principem titulo Pedemontii, inscriptiones poeticae* (Rhegii Iul., ex off. Typ. Fr. Morello, MCMXXXV).

Nuper, quo melius frequentiusque *Tempum a Victoria* nuncupatum Rhegii Iul. Deo dicaretur, Humbertus princeps domo Sabaudia, qui nusquam, ubi de pietate in Deum ac patriam demonstranda agatur, se desiderari patitur, non dubitavit rursus in Bruttios ad rem venire. Qui festus dies! quo gaudio universa civitas tunc penitus tacta videbatur!... Ut tanti diei memoria litteris quoque mandaretur, Franciscus Quattrone opellam quamdam latinis versibus edidit, quae cum iam ipsi Principi, cui est inscripta, tum litteratis viris perplacuit. Nec sane immerito; omnibus enim, qui latine sapiant, haud ignotum nomen clarissimi auctoris, quum ille inde a temporibus Didaci Vitrioli unus ferme apud Reginos horis subsecivis latias camenas amantissime excoluerit, et ceterum nonnullae laudes his poëticis inscriptionibus sunt tribuendae.

Mirum, hercle, quot res in tanta brevitate auctor attigerit. Nam, postquam augustum Principem poëtice salutavit, cuius auspiciis ac

praesentia templum decoraretur, atque omnium gaudium tantum virum tam claro die plausibus excipientium expressit, breviter eius laudes canit, qui et suis ipsius virtutibus praestat et maiorum quoque gloria ornatus cunctis esse videtur. Hic vates raptim non nullos Sabaudiae domus principes recenset, insignes praesertim pietate viros non minus quam virtute, in primis Humbertum Beatum, eumque ordine tertium. Quae recordatus vates optimo Principi gratulatur Sabaudamque domum colit, quin, maiora exoptans, ominatur, ut Humbertus virtute propinquos supererit, nomenque suae gentis *semper ad astra ferat*.

Haud sane displicet hoc novum inscriptio- num genus, cuius idem auctor duo alia exempla iam praebuerat, quippe quod et numerorum veneribus ita sese commendet, ut statim legentem allicit.

Scimus Quattromium nostrum omnia sua opera maioribus curis expolita uno volumine quam primum esse complexurum. Optimum quidem consilium; quo tandem litterati viri eximii nostri latinitatis cultoris seu versibus seu soluta oratione scripta legere poterunt. Dum igitur pro rata parte ad opus properandum adhortamur, nunc ob bellum hoc novumque sui ingenii specimen auctori gratulamur atque has duas inscriptiones (III et VI) exempli causa subicimus:

RHEGION  
AUGUSTIS SABAUDIS USQUE FIDELE  
LAETITIA EN MAGNA  
TE VENIENTE FREMIT

PROXIMUS EN FULGET  
GENITOR VICTORIUS IPSE  
CUI NOMEN VICTOR  
BELLICA AB ARTE FUIT

Messanae.

Ios. MORABITO.

**LIBRI DONO ACCEPTI**

D. IUNII IUVENALIS, *Satirae*; recensuit Nata- lis Vianello. — Corporis Scriptorum Latino- rum Paravianii vol. 61 (In aedibus I. B. Para- viae et Soc., Aug. Taurinorum, Mediolani, Florentiae, Neapoli, Panormi ven. lib. 21).

**ANTHEA**

[5]

Ad haec resupina cecidit mulier in pulvinaria lecticae; mox interiore quadam luce circumfusa in spemque optimam erecta:

— Tu — inquit — tu es ipsa Veritas!

Iamque, expedita via, ad supplicii locum traxerant Nazarenum, ubi rupis hiatui triplex erat infixa palus, fundamenta ponendis crucibus. Anthea diu multumque tentaverat erecto capite intentisque oculis, si forte posset optabili sane obtutu iterum frui. Sed ubi verticem collis occupavit cohors, tum demum potuit per illuc adstantium spissas cervices, quasi per rimas identidem prospicere modo sertum cruentum, modo ludicram purpuram, modo ipsum vultum vicinae mortis pallore suffusum.

Dum tota in eo est, ecce, lecticae proximus, quidam, albo amictus epitogio, spargit pulvere caput, magna voce ac flebili exclamat:

— Lepris affectum me ille sanavit, quem modo agunt in crucem.

Hoc perculta clamore mulier:

— Audistine, Cai? Ipse sanavit.

Cui ille:

— Libetne discedere?

At uxor:

— Sine, quaeso, consistam.

Animum sibi frangi Cinna sensit, incuriaeque poenituit, qui singularem plane medicum non hospitio exceperisset.

Rebus ad supplicium dispositis ac paratis, laceratum corpus una cum cruce attollitur; iamque ex militibus quidam suffigendis pedibus admovet clavos.

Interea sensim obscurari caelum; obducto sole decolorari colles; sanguineo rubore, qualis esse solet inclinato in ve-

sperum die, infici nubes; mox ingruentes tenebrae omne lumen eripere. Simul aestus tam gravis afflat, vix ut anhelis naribus captari aura ducique spiritus queat.

— Abscedamus — inquit Cinna.

— Sine, quaeso, aliquanto diutius, rursus ut videam hominem.

Tum Cinna iussit admoveri lecticam crucibus. Intendebat mulier oculorum aciem in medium lignum, quasi in obscuriorum tractum nubis, in qua libratum corpus collucere videbatur; adeo, rececente vitali calore, expalluerat. Dum vero notat attentius et refugientes oculos, et collapsa tempora, et difficii anhelitu agitatum pectus, confusum repente auditur murmur; mox horrifica luce micat fulgor ingenti fragore. Terra contremet: incondito clamore, seu verius lugubri ululatu gemituque edito, fit omnium fuga praecips, urgente terrore: facies erat discriminis universi.

Verum, ubi restituta quies respirandi spatium dedit, plurium invidia in misericordiam conversa, variae hic illuc subortae sunt querimoniae: iniuria affectum supplicio sanctissimum hominem, veri praeconem, virum plane divinum, qui vel mortuos excitaret.

— Vae tibi, Hierosolyma! — audita vox est.

Alius vero:

— Terra tremit.

Gliscentem rumorem interceptit iterum repentina lux fulgoris, et, proh miserum, subito ictu concidit Anthea. Ad novam causam terroris fit raptim concursus; at brevi. Nam sedato statim turbine diffractione nubibus, conspecta est concitato ore alloquens virum. Nempe non ipsam

## ANTHEA

Ubi novus illuxit dies omnium fulgiddissimus, dormientem excitavit puerorum ac virginum, ut videbatur, chorus, ea gratia vocum tamque suavi sono, ut putares canere inter auras Charitum concordiam:

*Funde, Sion, carmen: salve mihi splendida Solis  
Purpura; salvete o virides in collibus herbae  
Et gemmae roris zephyrique tepentis odores.  
Quam serpit dulcis circum praeco dia sanguis!  
Instaurate aras, dabimus mox thuris odores  
Mundaque purpureo spargemus limina flore.  
Funde, Sion, carmen: longae post tempora brumae  
Impia silva ruit, iesseia germinat arbor.*

Quo cantu delectata mulier risit tam blandum, ut nihil ex forma posset cogitari pulchrius. Adiere parens et coniux, quibus nullae fuerant auditae voces, admiratique oculos clariiores stellis extra lumen fulgentibus et roseo colore suffusas genas, suis met oculis detrectabant fidem. Iamque in spem novam erectus animi pendebat Cinna, deberetque humi se prosternere diisque agere immortalibus gratias. Verum, quem in eo esset ut poplites flecteret venerabundus, revocatus est ab uxore petente ut in atrium sub umbra palmea deferretur.

Ibi aliquot horas spatiani viri periculum meridiani temporis anxii exspectabant, eo magis quod videbatur aegra in dubium soporem incidisse. Cinna, qui omnia facilius quam moram illam perpeti poterat, metum inter et spem, dormientis anhelitus pene numerabat singulos. Fit tandem aliquando meridies. Anthea, repente reseratis oculis:

— Arripe — inquit — me manu, Cai. Expalluit Cinna, ratus umbras terrificas de more adesse mulieri.

[6]

— Videsne — inquit Anthea — prodeuntem lucem illam meque petentem?

— Obscro: averte inde oculos.

At illa gestienti laetitia:

— Ecce lucem — exclamat. — Agnosco hominem: Ipse est: en mihi subridet: transfixas ad me tendit manus. O inaudite misericordiae virum, imo Deum! Ipse me sanat: Ipse me vocat.

Ad haec Cinna tremebundus:

— Eamus — inquit — eamus ad Ipsum.

Desiluit lecto mulier iis animi et corporis viribus, quibus usa fuerat antea nunquam. Simul autem caeco quodam impetu decurrentibus obviam fit Pontius Pilatus, citato cursu anhelus abstergens que frontem sudore diffluentem.

Is ancipiit inter cachinnum et stuporem vultu:

— Audistisne? — inquit. — Excitatum aiunt a mortuis Nazarenum.

Cui Anthea:

— Scimus; quaeso, ne moras afferas.

— Arreptaque viri manu: Eamus — inquit — eamus ad Ipsum!...

FINIS

Ad proximum numerum:

## EVENUS ET ELISA

Carmen FRANCISCI SOFIA ALESSIO, in certamine poëtico Russantinio an. MCMXXXIV magna laude ornatum.

IMPRIMATUR: Fr. A ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS


# ALMA ROMA

QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE

TENET

Per.  
Lat  
011

C. DEL VECCHIO.



*Nuperrime prodiit*

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteras nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 500 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1000, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXII

Romae, Mense Octobri MCMXXXV

Fasc. X



# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

I retium subnotationis an. MCMXXXV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; ante solvendum rectoque tramite mittendum ad Iosephum Fornari doctorem Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

### De certamine poëtico Hoëufftiano quid nunc sentiendum providendumque sit

Quamvis qui me minime noverint fortasse me ad haec scribenda quadam invidia, vel alio animi motu atque improbando, impulsum esse putent, tamen, his neglectis, postquam rem diu perpendi, mentes omnium, quibus — neque ii merecule sunt pauci! — latinorum litterarum condicio est cordi, ad nonnulla tandem revocandas censeo, quae ad *Hoëufftianum*, quod dicitur, *certamen* spectant, id pro certo habens non meam ipsius tantum sententiam prolaturum, sed eorum omnium quoque, adhuc summo amore musas excolentium latinas.

Quid quantumque amstelodamicum certamen, munificentia Henrici Hoëufft ad bonas litteras provehendas omnibus gentibus indictum anno MDCCXLIV, latinitatis causae ita profecerit, ut numerus poëtarum magis magisque in annos frequentior fieret, nemo sane est quem fugiat; neminem sane hoc latere debet quantum decoris ipso certamini Itali vates dederint. Quod ut clare pateat, satis erit si qui consideraverit Albini, Carrozzari, Casoli, Faverzani, Galante, Gandiglio, Gra-

ziani, Moltedo, Pascoli, Reuss, Rosati, Viatrioli, Bartoli, Sofia Alessio, Trazzi, ut notiores attingam, nostrates esse, quum exterarum gentium, qui in arenam hoëufftianam descenderint, perpauci sint et, si Esseiwan, Hartmann et Weller exceperis, perraro praemia vel laudes sibi adiudicaverint. Namque ex ducentis ferme et septuaginta poëmatiis, quae inde ab anno MDCCXLV ab Academia edita sunt, minus septuaginta tantum non Itali considerunt. Neque vero numerus solum carminum considerandus est, sed, ut par est, et pondus; immo praecipue pondus. Quo item Itali facile omnibus et longe praestant; quae quidem minime vana iactatio est, quum apud nos non modo nunquam latinae poësis cultus prorsus defecerit, sed semper poëtae non caeci veterum vestigia premere sed, nova complexi, etiam nostrorum temporum et sensus et inventa et sperata nobili antiquorum lingua canere ita conati sint, ut iam novum litterarum renatarum aevum ortum esse videatur. Iure igitur hac in re gloriamur, meritoque de his omnibus tam saepe vel acriter disputamus, quae nos fere unos tangere arbitramur. Nec mirum sane quod latinarum musarum sedes Italia adhuc exstet: hic Roma est, unde sapientiae atque artis splendoribus totus orbis terrarum est col-

lustratus; hic locus ubi priscum nostrum sermonem haud pauci optime callentes semper fuerunt, qui et iuncto et soluto pede antiquam matrem exquirerent ro-tundo ore nunquam instituere destiterunt.

Ad hunc latinitatis amorem fovendum procul dubio certamen Hoëufftianum non parum sane profuit quod et ipse Iohannes Pascoli gravis auctor testatur, nisi hollandicum incitamentum quotannis adfuisse, nec tam frequentes vates futuros, nec tot carmina conscripturos fuisse. Grates igitur maximas et habemus et pluri-mas referimus magno illi Hoëufft, quem Didacus Vitriolius nonnullique alii alterum Maecenatem non semel laudibus extulerunt, eoque magis quadam tristitia ac dolore afficimur, quod certamen poëti-cum e vertice fere ad imum misere iam cecidisse videmus. Quid? latinitatis amor nunc ita defecit, ut quotannis aegre inveniantur qui « laurea apollinari » donen-tur, quique, in aliorum exemplum, « magna laude » ornentur? Num huius tem-poris cum prioribus comparari nequeunt poëtis nec carmina ulla conscribunt, quae iure meritoque laudari atque edi possint? Quae denique et qualia sunt carmina quae ab Academicis viris eduntur? Qualia vero quae immerito atque — aperte dicam — iniqua lance usi iudices ut omnino indigna reiciunt? Certamen igitur Hoëufftianum, quod complures ferme prolapsum autumant, utrum iudicium an ipsorum poëtarum vitio cecidit? Hoc quaerimus.

\*\*\*

In primis enim animadvertisendum est quod, longe aliter ac prius usitatum fuit, nullum prorsus iudicium de singulis carminibus tempore missis editur, ne de iisdem quidem aliqua ratione ac pondere distributis ac congregatis. Quod quantum latinitatis causae noceat, neminem esse puto quin videat. Quid enim de suis la-boribus vates censem? Quomodo vitia

iam admissa vitabunt virtutesque, si quae insint, augere pro viribus conabuntur, quum nullum iudicium criticum, sive in se ipsis carminibus spectatis, sive cum cer-teris comparatione instituta, prolatum fue-rit? Quam denique vel minimam delecta-tionem ex opere tam diutino labore con-fecto vates, ut par est, sumere poterunt? Atqui hoc unum gaudium iis restat qui, quum ceteri omnes suum studium atque animum illuc convertant unde maiores opes capere possint, nescio qua re ducti nulloque sane emolumento tot dies saepe totque noctes cum musis ludentes consumunt... Optandum est itaque in primis ut iudices certamini Hoëufftiano praepositi de singu-lis carminibus quid ipsi sentiant manife-stum faciant, non hollandico suo ipsorum sermone usi — nemo enim Italorum, aut perpauci quidem, huic linguae operam navare suum esse censem — sed, ut patet, latino, omnia iudicia vel libello edentes vel ea per ephemerides vulgantes, quae in omnium, quorum intersit, manus sint per venturae. His iudiciis nostrae quoque Aliae Romae commentarii, qui ubique fere terrarum a litteratis viris legitur, Mo-deratorem vel maximum locum libentissime praebitum esse puto. Hoc iudiciis Amstelodamicis proponenti, in animo mihi est exemplum imitatione dignum laudare, quod iam diu protulerunt viri illi Ramorino, Angelini, Cima qui, primo certamine a Voce Urbis anno quidem MCMI indicto, decernendo electi, fusam atque amplam relationem criticam, quam dicunt, ediderunt; nec vero silentio est praetereundum quod in illo certamine locensi a Triumviri constituto, usitatum est — quod certamen valde dolendum multis de causis iam in desuetudinem abiisse —; nam iudices quid de singulis carminibus sentirent semper et prius ore tenus conventu omnium habitu manife-stum fecerunt, deinde, libello ad id ipsum parato, ediderunt.

\*\*\*

Nunc ad alia veniamus, quae iamdiu nonnullos torquent. Si quis vel raptim oculis percurrat carminum Amstelodami-corum volumina, quae singulis annis vul-gantur, nequit admiratione quadam ac dolore non affici, quum videat numerum carminum editorum, praesertim post mor-tem illius Hartmanni, cui clara clari vatis vis inerat, eidemque in iudicandis carmi-nibus magna ingenii subtilitas, fere semper in annos ita minui, ut difficile iam vi-deatur nunc ab Hoëufftianis iudicibus duo vel tria modo carmina edenda in-veniri posse, quum nonnunquam plura quam quinquaginta sua lance pensarint. Quid? putemusne poëtas dormitare? At probe scio nonnullos, qui iam quotannis inde ab immortalis Iohannis Pascoli tem-poribus in certamen non ingloriose des-enderant, adhuc singulis annis omni nisu stuuisse, ut opera conficerent quae, her-cules, edita in ephemeridibus cum mihi tum aliis perlegentibus, quamquam iudices Hoëufftiani ea nulla laude ornata reie-rant, haud indigna visa sunt, quae cum laudatis vel praemio ornatis comparari possent, immo nonnunquam iis omnino praeferrantur.

Minime igitur nostris diebus latinae linguae cultus atque amor languet, lon-geque a vero aberret qui, sententiis Au-stelodamicorum virorum fretus, censeat aut nihil hic temporis latinis versibus conscribi, aut certe nihil laude dignum.

Quo autem iudicio ducti Hoëufftiani viri quaedam horum carminum et reie-cerint ac reiciant minus intellego. Num aliquorum mendorum causa, quae conscri-bentes fallere possunt, praesertim quum carmina raptim, tempore ingruente, pu-blico cursori tradenda componantur? Sit sane! At, quamquam prosodica menda (metrica perraro inveniuntur suum pon-dus in iudicando et habent et habere de-bent, fatendum tamen est ea non semper

tam frequenter tamque turpiter opus in-ficere, ut statim illud reponendum appa-reat, neque eiusmodi saepe esse, ut nullo prorsus labore corrigi non possint. Ne Iohannis quidem Pascoli carmina semper, ut omnes norunt, et prosodicis et metricis vitiis carent; verum, et quum ita sint, nemo tam alienus a litteris atque artis sensu est, quin mirabilis vatis admiranda opera iudicet. Quid igitur? Vitiis parvi momenti sublatis, nostrorum poëtarum opera, paulo maiore cura perpolita, vere latinitatem ac poësim redolere possunt, graviterque ideo iudices peccant iis de-bit laboribus praemia denegantes.

An demum rerum causa, quae minus placeant, reiciunt? Hic vero quaestio ma-ioris ponderis omnibus consideranda pra-ebetur. Nam, si omnia carmina, quae singu-lis annis vel praemio vel laude ornata sumptibus legati eduntur, ea essent, ut prorsus animos legentium captarent nul-lamque comparationem iure cum reiectis ferre possent, nemo sane hac in re quic-quam improbat. At quaerere liceat quid in carmine Arvernus laudandum iudices invenerint, quidque revera laudandum sit. Ineptum sane argumentum (absit iniuria!), nullis prorsus veneribus decoratum et, quod maximum est, haud levibus nebu-lis ita obvolutum, ut minime intellegatur quid vates voluerit, nedum animis mo-veamur.

Num melior illa *epistula ad Murrium reatinum?* Evidem puto e calamo Iohannis B. Pighi clariora carmina effluere posse quam quod effluxerit, modo res digna sit, modo nullis tenebris obvolvatur, modo vates speciem praebat se nolle tantum versus condere, sed, qua deceat, gravitate animos movere, modo denique ne suum tempus ineptis vanisque rebus in carmine conscribendo terere videatur. Idem quo-dammodo dicendum de illa *Pietate*, de *Ruris desiderio*, quae carmina his prio-ribus annis sunt laudata... Pedes recti

quidem sunt; et sint sane numerosi; plana carmina sunt, at omni poëtico sensu ita carentia, ut nonnunquam similia videantur veterum alumnorum scholasticis pensis, e quibus musae omnibus constat quanto longius evolaverint. Ne de aliis carminibus mentionem faciam, id unum rursus quaerere fas sit: quid laude dignum h̄ic iudices Hoëufftiani invenerunt? Quae quaestio minime supervacanea est, quum persaepe poëtae nimia admiratione sint confecti, videntes ea carmina, quae ipsi minoris ficerent, laudem consequuta, altera, quae maioris, prorsus seposita vel reiecta. Quid vero improbandum invenerunt in *Corsonna*, *Sarnulo*, *Pugilibus*, *Virgili nativitate* Vincentii Polidori, cuius unum tantum carmen, *Gallus et Lycoris*, laudatum est a. MCMXXII in certamine Hoëufftiano? Atque ego quidem puto hanc *Corsonnam*, hunc *Sarnulum*, hos *Pugiles* sive ad res sive ad latinitatem respexeris, haud minoris esse quam *Gallum*.

Quodsi ad alium nostrorum poëtarum transeamus, num putemus *Evenum et Elissam* Francisci Sofia Alessio, quod carmen in huius anni certamen est missum, non tanti esse quanti primum eiusdem auctoris carmen, *Duo Magi*, vel quanti *Plotinum et Pauperrimum bonorum*, quae omnia « laudem » dumtaxat sunt assequuta? Minime comparatio est facienda cum carminibus, quae ante Iohannem Pascoli Amstellae laudabantur, quum omnibus ea legentibus clare pateat etiam carmina, quibus tum praemia assignabantur, non omnibus certe numeris probari, neque ea esse interdum nisi exercitationes, quae vocantur, prorsus omni luce poëticoque afflatus carentes. Iure igitur meritoque Franciscus noster dolore, ni fallor, affici debet, qui videat carmina, quae quondam laudibus, si non praemio, ornata forent, statim nunc reici, quum sibi ipse persuasum habeat se eodem, immo maiore nisu, iisdemque musis suadentibus quotannis

ad ea conficienda animum vehementer intendere.

His ipsis vero diebus libellos quosdam manibus versanti mihi ante oculos venit *programma* certaminis anni MCMIX, quo tempore paulo fusius quam nunc faciunt, iudices de carminibus sententiam ferebant. Eo anno in certamen missum est carmen *Ruso tucullio*, quod, ut ipsa verba iudicum referam, « multis nominibus se commendat » prae ceteris et « prelo et fortasse *praemio* dignum iudicaretur, nisi vitis metricis sat gravibus et aliqua orationis obscuritate dedecoraretur ». Hoc carmen plures sequentibus annis Amstellam missum alio titulo iteratisque curis expolitum, ipsum est quod, nonnullis ante annis, in *Alma Roma* commentario editum est, nempe *Flavius ludimagister* Alafridi Bartoli, idque in certamine Ruspantiniano summis ornatum laudibus.

Obiectam orationis obscuritatem, quae quidem nunc in carmine perspiciat, praetermitto, sive quod non minor est quam quae in reliquis eiusdem auctoris carminibus iam laude ornatis invenitur, sive quod hanc rem longe aliter alii considerare possunt. Fuerint sane vitia metrica sat gravia in primo exemplari, quod quidem, iis saltē qui vatem norunt, non ignorantiae, sed nimiae facilitatis culpa esse videatur. Id tamen in dubium nemo revocare potest illius carminis vatem vere latinitatis quam peritissimum sese ostendere, vere vim leporemque horatianum ita redolere, ut nesciam an quisquam apud nos nunc aequa scribere potuerit. Non meum est hic laudes carminis eiusque poëtae proferre; unum tantum adiciam, *Rusonem*, nisi vitis metricis dedecoraretur, prelo et fortasse *praemio* dignum iudicatum. Num nunc quoque illa vitia iuveniuntur? Cur igitur *Flavio ludimagistro*, i. e. *Rusoni*, ab huius temporis iudicibus ne laus quidem, nedum praemium, hoc anno est assignata? Iniuste ergo aut illi

tunc egisse, aut hi nunc agere mihi vindentur. Quid autem? *Arvernus*, vel *Ruris desiderium*, huic *Flavio* sanus praeponam?...

Ne longius forte meum sermonem producam, nonnullis omissis vel in aliud tempus prolatis, hoc postremo attingere volo. Quā fit ut de iisdem carminibus alii iudices longe aliam sententiam, toto caelo diversam, protulerint? Res nominabo.

In certamine Ruspantiniano, quod valde dolendum est non singulis annis decerni, *Somnium Horatii Adulsi Terralbi* (sub quo nomine anagrammatice ut dicunt, confecto

Alafridus Bartoli latet) non laudem, sed praemium adeptum est, quippe quod vere musam pascolianam redolaret, quum Amstelodami reiectum esset quod « frequentioribus Horatii sententiis effartum videatur ». Quam sententiam non mihi quidem in animo nunc est confirmare neque refellere, ut Taciti verbis utar: ex ingenio suo quisque sua lance id pendat, quum carmen iam editum<sup>1</sup> ipse legere possit. Aliud recentius exemplum. In certamine Ruspantiniano praemium adeptum est *Rus pascolianum* Vincentii Polidori, quod Amstelodami ne laude quidem dignum est iudicatum. Praeterea in eodem certamine Ruspantiniano laude ornatur *Fabularum liber alter* Ioh. Mazza, *Finis Aquileiae Quirini Ficari*, *Pugiles* Vincentii Polidori, *Eenus et Elisa* (quod carmen idem est ac *Ad sacellum Veneris*) Francisci Sofia Alessio; in locensi vero carmen *De Virgili nativitate* eiusdem Polidori aureo praemio ornatur, quae (ut alia omittam) prorsus reiecta sunt a iudicibus Hoëufftianis, qui tamen *Arvernus* et *Pietatem* laudaverunt!...

Aliis vero temporibus alia iudicandi ratione usi sunt; nam, quum anno MCMXIV praemium carmini *Dies Neptuni festus* denegavissent, quod res et nomina — id

tamen ipse auctor adnotaverat — ex Hoëufftianorum atque Italorum rationem carmina iudicandi persaepe minus congruere, quum, quae illi reiciant, hi nonnunquam laudent; nescio vero, quum index carminum, quod sciam, nunquam Romae editus sit, an, quae iudices Romani reiecerint, Hoëufftiani laudibus insigniverint!

Utrorum igitur sententiis est magis favendum? Quorum interest, ipsi rem videant. Quin immo viderunt, quandoquidem ipse non semel neque unum audivi graviter iudices Anstelodamicos reprehendere atque improbare, utpote qui impares suo muneri fungendo — neque huius rei causas exquirere volo — iam sese præbere videantur. Nec quisquam miretur quod tam vehemente Italici viri latinae poësis amore flagrent; h̄ic enim, inquam, latinarum musarum sedes et fuit et est. Ceterum quo animo improbemus qui, quum ceteri aliis negotiis allicti illuc mentem intendant unde maiora, neque eadem animos spectantia, fluant, acriterque admittentur iuvenes birotis nisu fugientes vel caestu pugnantes, hunc latiae poësis campum excolunt ac tinentur ne unquam tanta gloria intercidat ac langueat, tantillo laudis, si forte contingat, contenti? Num putemus eos immerito angi, qui videant hunc latii sermonis amorem ab illis deprimi, quibus summopere esset fovendus?

<sup>1</sup> Cfr. *Atene e Roma*, a. IX, fasc. IV, 1928.

\*\*\*

Quae quum ita sint, ut omnia paucis concludam, si iudicibus Hoëufftianis latinae poësis condicio cordi sit, iis puto esse consulendum:

1) ut quotannis de singulis carminibus vel per breve — non longus neque improbus labor est — criticum iudicium latine feratur;

2) ut aequiore lance poëtarum opera pendent ne forte quandoque videantur carmina laudibus vel praemii ornanda ipsi non merito, sed aliqua sorte eligere;

3) si vero carmina inveniantur quae quodammodo sensibus et coloribus ita niteant, ut his vitia obruantur, ab auctoribus emendata current edenda ut causam latinitatis promoveant, ne quisquam, fasciculos carminum Hoëufftianos evolvens, quibus nunc duo vel tria vel unum tantum carmina continentur, in hanc sententiam vero penitus obversantem veniat, musas latinas aut languentes, aut extintas omnino iam esse.

Quidquid est, gratum habuero si de proposita quaestione quid vates ipsi aliive sentiant libere atque animose manifestum fecerint. Ad novum igitur sane... certamen cives et peregrini invitantur, hac una lege, ne quis, ut ipse meo sermone iam feci, Moderatoris nostri ac legentium patientia abutatur.

Messanae.

JOSEPHUS MORABITO.

**SOCIIS MONITUM**

Anni MCMXXXV exitu adventante, Socios omnes — nec ita pauci sunt! — qui nondum annuae subnotationis pretium (lib. 15 in Italia; 30 apud exteras gentes) solverunt, iterum iterumque rogamus velint cum « Almae Romae » administratore rationes suas quamprimum exaequare.

**DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>1</sup>****De Periodo.**

1. - Periodus est sententia ampla<sup>2</sup> et numerosa,<sup>3</sup> incisis membrisque constans, ita positis et inter se connexis, ut ad finem usque ultimi membra sensus maneat suspensus; v. g.:

Ut facilime quales simus, tales esse videamur, et si in eo ipso vis maxima est, ut simus ii qui haberit velimus, tamen quaedam praecepta danda sunt (Cic., Off., II, 13, 14).

Incisum est pars orationis brevissima (=ab una ad novem syllabas), exhibens sensum

a) nunc perfectum, quando nempe sententiam seu phrasim efficit; v. g.:

Domus tibi deerat? (Cic., Orat., 67, 224).

Optio est tua (Cic., Fat., 3).

b) nunc imperfectum, quando incisum ad alicuius membra vel periodi compositionem concurrit; v. g.:

Ut aegroto, dum anima est, spes esse dicitur, sic ego, quoad Pompeius in Italia fuit, sperare non destiti (Cic., Attic., IX, 10).

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>2</sup> Grammatici quidam minime requirunt ut periodus sententia sit ampla, dummodo periodice constructa sit. Hinc periodos vocant sententias huiusmodi; v. g.: Itaque, si quid scias, mecum id communica. - Tibi, quod abes, gratulor. - Pompeium haec res, quae ceteros remorari solent, non retardarunt (Cic., Leg. Man., 14).

<sup>3</sup> Numerus, ait Forcellini, est « proportio quaedam inter duos plures motus, quorum quum alii sint longiores, breviores alii, et similia habeant intervalla, efficiunt concentum quemdam, qui vel gratus est, si proportio illa conveniens sit apte respondens; vel ingratus, si minus apte conveniat. Dicitur numerus, quia illa distinctio brevium et longorum, illaque varia intervalla numerari possunt, continuatio indistincta non potest ».

Iam diu est quod victum mihi non datis (Plaut., Amph., I, 1, 146).

Membrum est orationis portio, quae, rhetorum iudicio, non ultra viginti<sup>1</sup> syllabas progreditur. Sensus exhibit

a) nunc perfectum et absolutum, si extra periodum usurpat; v. g.:

Canescet saeclis innumerabilibus (Cic., De Leg., 1, 1).

Oportet testimonium cum re convenire (Cic., Heren., 4, 3),

b) nunc imperfectum et suspensum, si in periodo;<sup>2</sup> v. g.:

Sed quum eris curru Capitolium invectus... (Cic., Somn. Scip., 2).

Dum Carthaginenses incolumes fuere... (Sall., Iug., 14).

II. - Si materiam spectes, periodus distingui solet in historicam et oratoriam.

Historica illa est quae factum praecipuum, quod narratur, in propositione principia exponit, facta autem leviora in secundariis;<sup>3</sup> v. g.:

Quum rex Pyrrhus populo Romano bellum ultro intulisset, quumque de imperio certamen esset cum rege generoso ac potente, perfuga ab eo venit in castra Fabricii (Cic., Off., 3, 22).

Oratoria seu logica illa est quae, sententia praecipua in propositione principali posita, sententiis vero secundariis in subiectis, omnibus viribus id efficere stu-

<sup>1</sup> Sententia uno membro constans, quod ultra viginti syllabas progreditur, vocatur improprie periodus unimembris; v. g.: Nam scutum, gladium, galeam in onore nostri milites non plus numerant quam humeros, lacertos, manus.

<sup>2</sup> Membrum aliquando incisis constat; v. g.: Frons, oculi, vultus persaepe mentiuntur. - Aliquando simplex est et sine incisorum intervallo; v. g.: Tranquillitas animi omnibus terrarum divitiis anteferenda est.

<sup>3</sup> Ad varietatem periodi obtinendam, Latini sententias praesertim temporales nunc ablative absoluto, nunc participio coniuncto, nunc propositione coniunctiva vertunt.

det, ut, numero suo et quodam quasi concentu, eorum qui audiunt animos delectet eosque attentos et benevolos faciat; v. g.:

Quamquam mihi semper frequens conspectus vester multo iucundissimus... est visus, Quirites, tamen hoc aditu laudis... me... meae vitae rationes prohibuerunt (Cic., Leg. Man., 1, 1).

III. - Si formam species, omnis periodus duas habet partes; nimur protasis et apodosim. Protasis est prior pars, ex qua pendet posterior, et in quo oratio crescit quodammodo et attollitur. Apodosis vero est altera pars, in qua sensus completetur; v. g.:

Simul atque increpuit suspicio tumultus, || illico artes nostrae conticescunt (Cic., Mur., 10).

Si (adolescens potens et nobilis) dignum se maioribus suis praebuerit, || tua laus ex aliqua parte fuerit (Cic., Fam., II, 18).

Periodus *bimembris* ea dicitur, cuius protasis membro uno, altero apodosis absolvitur; v. g.:

Ergo et mihi meae pristinae consuetudinem, Cai Caesar, interclusam aperiui, || et his omnibus ad bene de omni republica sperandum quasi signum aliquod sustulisti (Cic., Marcel., 1).

Periodus *trimembris* ea dicitur, in qua alterutra partium membro constat duplificato, altera unico; v. g.:

Quum e Cilicia decedens Rhodum venissem, | et eo mihi de Q. Hortensii morte esset allatum, || opinione omnium maiorem animo cepi dolorem (Cic.).

Periodus *quadrimembris* ea dicitur, quae quatuor membris constat; v. g.:

At si quis est talis, quales esse omnes oportebat, | qui in hoc ipso, in quo exsultat et triumphat oratio mea, me vehementer accuset, | quod tam capitalem hostem non comprehenderim potius, quam emi-



serim: || non est ista mea culpa, Quirites, sed temporum (Cic., Cat., II, 2, 3).<sup>1</sup>

IV. - Distinguunt praeterea periodum *stricte dictam et late dictam*.

Si sententia seu propositio primaria per unam vel plures propositiones secundarias veluti dissecetur,<sup>2</sup> periodus est *stricte dicta*; v. g.:

<sup>1 a)</sup> Periodus *quadrata* dicitur ea quae quatuor membris contextur, quorum duo protasim, duo apodosim formant, ita ut quae in apodosi incliduntur sint prioribus magnitudine et compositione similia. Quae si valde numerosa sit, *rotunda* dicitur; v. g.: Etsi, Quirites... etc.. ad absolucionem debet videri (Cic., Rab., 1, 1).

<sup>b)</sup> Si periodus membris conflatur quae amplius viginti syllabas habent, vocatur periodus *pneumatica*, quia ad dicentes spiritum accommodatur.

Quum sententia amplius quatuor membra continet, ipsi vulgo datur nomen: *circumductio periodica*, si a quinque ad octo membra excurrat (Cf. Exord. Pro Milone, 2); *pneuma*, si membra et incisa congeruntur, quoad dicentes spiritus et latera perferre possunt (Cf. Cic., Suppl., 36); *tasis* (extensio), si pneuma ita longum sit, ut dicentes spiritum excedere videatur (Cf. Cic., Suppl., peroratio: Num te, Iupiter...).

Desectio sententiae primariae unitati periodi favet. Hinc venuste vox communis, quae ad propositionem primariam et ad secundarium simul refertur, in fronte ponitur, ante propositionem secundariam. Illud fit:

a) quum utriusque sententiae idem est nominativus, aut casus; v. g.: *Verræ*, simul ac tetigit provinciam, statim Messanam litteras dedit (Cic., Verr., V, 10) - *Quem* ut barbari incendium effugisse eminus viderunt, telis missis interfecerunt (Corn., Nep., Alc., 10),

b) quum nominativus propositionis primariae occurrit alio casu in propositione secundaria, ubi tunc pronome effertur; v. g.: *Antistes Romanus*, quum *eum* magnitudo victimæ movisset..., Subiunum ita alloquitur,

c) quum nominativus propositionis secundariae occurrit alio casu in propositione primaria. Tunc nominativus propositionis secundariae retinetur; v. g.: *L. Manlio*, quum dictator fuisse, Pompeius tribunus plebis diem dixit (Cic., Off., 3, 31).

N.B. - 1) Interdum duae aut plures voces sunt propositioni primariae et secundariae communes; v. g.: Idem Cretensibus, quum ad eum, usque

*Hamilcar*, postquam mare transiit in Hispaniamque venit, *magnas res secunda gessit fortuna* (C. N., 22, 4).

*Consules*, dum ipsi quaestionibus impediabantur, *Maenium delectui habendo praefecerunt* (T. L. 39, 20).

Si ante propositionem primariam una vel plures propositiones secundariae antecedant, periodus est *late dicta*<sup>1</sup>; v. g.:

(Quemadmodum) concordia parvae res crescunt, || (ita) discordia maxima dilabuntur (SALL., Ing., 10).

Si conscientia nostra optimorum consiliorum atque factorum testis in omni vita nobis erit, || sine ullo metu, et summa cum honestate vivemus (Cic., Cluent., 58).

(Ad proximum numerum)

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

in Pamphyliam legatos deprecatoresque misissent, spem deditio non admetit (Cic., Leg. Man., 12).

2) Desectio sententiae primariae fiat quotiescumque fieri poterit. Necesaria est enim ad perfectam periodum. Ne tamen primaria desecetur, quum sententia interiecta esset minus longe. Proinde ne dicas: « Scipio, ut Hannibalem tot victoriis exsultantem, quatuordecim iam annis in Italia commorantem ex Italia duceret, exercitum in Africam traiecit ».

Primariae propositioni nec praeponi nec inseri potest propositione secundaria, quae, connexa cum subsequenti sententia, ultimum idcirco locum sibi postulat perspicuitatis gratia. Proinde ne dicas: « Scipio, ut Hannibalem ex Italia duderet, in Africam traiecit. Qui hoc nuntio frendens ira et illacrimans recessit ».

## HORAE SUBSECIVAE

I

### VOX MEA

*Vox quam versibus effero  
est vox cordis; adhuc gignitur intimo  
sensu; grandia non sonat;  
ut flos est humilius gramine conditus,*

*Non iactat nova; non sibi  
plaesus vel meritos exigit, O malum*

*sontes attulerint mihi!  
Quid tunc? Asperior vox mea num crepet?*

*Suadens in miseros sonat:  
ullam si lacrimam terserit aut leves  
luctus reddere si queat,  
acceptum sat erit tunc mihi praemium.*

II

### NIVALIA

*Nunc quiescit candida nix in horto,  
somniat fructus cerasus rubentes,  
percutit nunc oppositam volucris  
ala fenestram.*

*Pura, tuta non sine pace, mentis  
ipse quaero gaudia meque totum  
applico sacris studiis; levamen  
dulce reposco.  
Cordis aerumnis positis acerbis  
aure sector Vergilium loquentem;  
quae mihi tantum pia Musa dictat  
carmina pango.*

III

### VIA

*O, quae per varias traicis in plagas,  
quo tendant horribiles dic, via; proximas  
quas metas habeant, quas semel ultimas:  
mundum retia nam tegunt.  
Quas terras adeant vel quibus ex plagis  
desertis abeant, quid tibi? quid mihi?  
mutantes cupiunt pellere taedium:  
multis vivere taedium.*

VINCENTIUS POLYDORI.

## De aulaeis quae vulgo "Arratia" nuncupantur

De aulaeis nonnulla scribens, non de iis dico, quae ut stragula in lectis, vel peripetasma pro lacunaribus aut in scaena Maiores adhibebant; verum de rectagonis iis, thesauro regio dignis, quae a media, quam dicimus, aetate ad nostros usque dies celeberrimorum artificum tabulas aemulata sunt, atque arduo inco-

gnitoque prius filorum magisterio, differenti colorum specie ac varietate intextorum, terras, pontus, virorum ac mulierum imagines, pugnas, fabulosos aut historicos eventus, atque etiam interiores franco-belgarum aedium partes, escariis vasibus ex cyprio aere lucentes, initio reddiderunt. Atrebate ex urbe primum huiusmodi aulaea confecta putantur, exque gallica ipsius voce Arras, arazzi nomen vulgo apud Italos nos accepisse, quorum celebratissimi artifices ac magistri Gobelins fratres evaserent.

Non tamen primae arratiorum (sit via latino a me conflato verbo) singulare officinae, Lutetiae Parisiorum saec. xv inter vicum Mouffetard torrentemque Bièvre positae, fortuna arrisit; non enim eam Rabelais ille mordaci carmine tantum perstringebat, sed Panurgius calumniosam historiam in populum circa ipsam diffundebat, rubrum in aulaeis illis a nullo homine prius adhibitum neque facile imitabilem colorem maleficio tribuens. Itaque Gobelins artifices in ius vocati sunt, iisque ex facto praestandum fuit, colorem ipsum a singulari quorumdam salium, quibus Bièvre torrens abundabat, saturationi deberi!

Arratiorum fama, pretium et usus in Gallia eo crevit, ut Aloisio XIV rege, auctore Colbert administro, civilis de re industria constituta fuerit, impensisque publicis schola condita, quam, in rerum publicarum illa occidentis saeculi xviii perturbatione, Maratus primus, ac deinde Robespierrus aboleverunt. Sed Napoleo consul arratiorum arti avitum honorem reddidit; quam restitutum Gallorum imperium auxit, aulaea innumera aptis artificibus committens, imo, an. MDCCXLVIII, antiquam scholam restituens.

\*

Ex Flandria arratiorum artifices in Italiam quoque transmigrarunt: quae huiusmodi artis, non minus quam cetera-

rum, digna sedes facta est. Venetiis circa dimidium saec. xv inventa arratia sunt a Ioanne Brugensi atque Valentino Atrebateni; deinde Ioannes Rostus ibidem inventum tamquam de re « procurator Ecclesiae S. Marci ». Ferrariae an. MCDXXXVI ducali aulae ad aulaea reficienda novoque stylo efformanda addicitur « Iocomus de Flandria de Angelo », et an. MCDXLI « Magister Petrus de Andrea », ex Flandria et ipse. Florentiae Lavinus Giglius Brugensis primum, ut videtur, hanc artem exercuit, qui apud « Artium Piores » laudibus effertur tamquam « vir utique probus et artifex excellentissimus in contexendis mirabilique artificio figurarum componendis pannis thapetalibus ». Revera is publicarum aedium parietes per mille ac trecenta brachia quadrata operuit tam pulchra ratione tamque conspicuis figuris, ut iis « solum spiritus et vox deficere videantur et vera corpora dici possent ».

Anno MDXLVI, auspice Cosimo I e Medicea gente, publicus aulaeorum discendorum ludus Florentia ipsa in civitate appetitur, eique praeficiuntur Ioannes ille Rostus, qui Venetiis tum usque fuerat, et Nicolaus Kerberus; hisce positis conditionibus, nempe ut optimos artifices sibi adsciscerent; tamquam tirones admittent iuvenes omnes ex Hetruria, qui artem percipere vellent, neve fas esset illos nisi probante Principe dimittere; ut denique toto animo ac studio operam suam, congruo tributo pretio, non solum in schola darent, sed ubicunque Principi placeret. Sic Mediceorum urbanae aedes et rura locupletata sunt splendidis illis pannis, ex aureis, bombycinis lanisque filiis contextis, quos etiam nunc admiramus; atque Italici quoque clarissimi artifices habitu sunt Franciscus de Pescina (a. MDLIX), Michaël Sopelli, Bastianus Scunditi, Gaspar Papini Bartholomaei filius, Ioannes Allastri, Ioannes ac Stephanus Termini, Bernardinus Masi, Matthaeus

Benvenuti, Nicolaus Bartoli, Leonardus Bernini, Victorius Demignotti, Ioannes Sagrestani.

Ioannes Gastonius Magnus Dux, ultimus arratiorum artis Maecenas in Hetruria recensendus est; eo demortuo, Franciscus Lorenensis, in imperii procreationem suffectus, an. MDCCXXXVIII, publicam arratiorum officinam clausit.

Tusci artifices tunc hoc illuc disseverunt; nonnulli sedem Neapoli posuere, a Carolo III e Borbonica gente liberaliter excepti. Quamquam Ferdinandus I, qui ei successit, vere Neapolitanae arratiorum scholae conditor exstitit, sub eoque aulaea Cervantesii, hispanici poëtae, herois gesta referentia fabricata sunt, quae tum perfectione operis, tum Gallicis inscriptionibus in ambiguo fuit, utrum Gobeliniensi officinae potius tribuerentur. Sed Neapolitana schola et ipsa cessit an. MDCCCLIX.

\* \*

Romanorum Pontificum erat hoc etiam decus Italiae servare. Iamque Leo PP. X Raphaëli Sanctio commiserat, ut historias ex Novo Testamento exque Apostolorum actis depromptas lineis describeret, totidemque arratiis reddendas, quae reapse summa arte Atrebate confecerunt Van Orluy atque Michaël Coxie, et adhuc in Vaticano asservantur. In illam arratiorum viginti ac duorum seriem admiratione perculsus Franciscus Card. Barberinius, Urbani VIII Pontificis nepos, utile, imo necessarium duxit officinam, quae cum Atrebateni, Parisiensi ac Florentina certaret, Romae condere. Arcessitus itaque in Urbem Florentia est, unde Barberiniana familia et ipsa repetebat originem, Iacobus de la Riviera, qui secum aliquot egregios peritosque discipulos duxit; splendide in aedibus Barberinianis, Romae ad collem Quirinalem, tunc arratiorum Urbana prima fabrica collocata est, unde centum et ultra pretiosissima aulaea edita

sunt, quae inter et Constantini Imperatoris cognomine Magni, et Urbani VIII Pontificis gesta referentia. Urbano VIII vita functo an. MDCXLIV, non operis qualitate atque artificio, sed numero Barberiniana officina aliquantum defecit. Brevi tamen; nam ineunte saec. XVIII Clemens PP. XIII splendidiore loco atque cultu in magno illo apostolico hospitio S. Michaelis ad Ripam trans Tiberim eam posuit, eique praefecit Victorium de Mignò, tunc temporis arratiorum artificem celebratissimum.

Qui successerunt Pontifices eidem scholae stimulum omnes verbis ac re addiderunt; nec frustra: eius enim nomen per orbem universum ad nostros usque dies summis laudibus manavit. Quum denique, post an. MDCCCLXX, S. Michaëlis hospitium una cum adnexis artium scholis in Italici gubernii dicionem cesserit, nova a Leone XIII Pontifice arratiorum fabrica in ipsis Vaticanis aedibus constituta est, eique Petrus Gentili praepositus, arratiorum artis, quam a maioribus suis, in hospitio S. Michaëlis magistris, exceperat, cultor et ipse probabilis, illustrator et historicus.

Sic arratiorum ars, Pontificum praesertim opera Italorum facta, nobilissimam gloriosamque saeculorum traditionem in Urbe servat, fovet, alit.

#### FORFEX.

#### SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE  
LATINE VULGATAE

#### NOTITIAE.

DE VULCANISMO TERTIARIO ET QUATERNARIO IN INSULA SARDINIA.

Aurelius Serra novas perfecit inquisitiones circa vulcanismum tertiarium et quaternarium in insula Sardinia, ac pra-

cipue in eius parte septentrionali, de quibus librum ipse recens edidit.

Loquitur Auctor de vulcanismo tertiaro ante aetatem miocenicam medium, et comparationem instituit inter saxa trachidacitica apud Silanum et Bolotonum et saxa quae in aliis Sardiniae regionibus inveniuntur.

Censet autem Auctor optimam esse opinionem iam a Prof. Millosevich vulgaritatem: scilicet saxa harum regionum certe post efformationem andesitum augitico-olivinicarum originem habuisse.

Conatur denique Auctor ordinem eruptionum recognoscere in vulcanismo posthelvetiano.

#### DE INQUISITIONIBUS MICROSCOPICIS IN QUIBUS DAM MINERALIBUS.

P. Piepoli nuper praelo dedit Notam de inquisitionibus microscopicis in quibusdam mineralibus cobalto-nickeliferis in Sardinia inventis.

Singillatim descriptis smaltite, chloanthite, safflorite, nickelite et linneite, ostendit Auctor omnia haec mineralia conglomera simul esse cum quartio et siderite.

Comminuta vero trituratio mineralium videtur pertinere ad motus tectonicos, qui in tempore subsecuti sunt.

#### MEDICAE NOTAE

#### De chylo et sanguine.<sup>1</sup>

Quare autem certae saltem particulae hinc inde in visceribus tanta cum providentia separantur, nullam aliam assignare possumus causam, quam certam eamque constantem pororum configurationem,

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup. mens. Iulii.

quae, quum tum in vasis sanguiferis, tum in cribris et tubulis excretoriis diversa sit, non possunt non certi saltem generis particulae hinc inde segregari et ab aliis divortium facere. Quamdiu enim pororum figurae firmo stant talo, et sanguis singulis minutis suum absolvit circulum, semper ea quae excerni debent, excernentur; quae vero admittenda, admittentur. Ipsa enim viscera nihil aliud sunt quam congeries vasculorum, et admissioni sanguinis et excretioni recrementorum dicatorum, quibus massa quaedam sanguinea vel chylosa est affusa. Haec ob certam pororum configurationem, certis etiam particulis transitum concedunt, et quum illa non eadem sit in omnibus, mirum non est, si aliae particulae secernantur in renibus, aliae in liene, aliae in hepate, aliae in pulmonibus, aliae in pancreate, aliae in glandulis, aliae in testibus.

E quibus palam fit, sanguinem per venas refluum vix uniformem esse posse, quum ipsi in partibus solidis semper diversi generis particulae admisceantur...

Quaeri hic solet, unde sanguis purpureum suum habeat colorem. Respondeo: sanguinem sui ipsius esse opificem; nam, quando particulae sulphureae, sive pingue et oleosae cum salinis a copiosissima materia aetherea in corde exagitatae et in orbem celerrime volutae magis rascunt et arctius coniunguntur, talem sanguis accipit superficiem, ut radii luminares inde reflexi ita modificantur, ut sensum coloris rubri in nobis excitent. Sal autem et sulphur hic omne ferre punctum vel exinde probari potest, quia sanguis eo magis rubicundus et coloris incarnati est, quo plus de sale et sulphure participat, quia sulphur a sale alcalino secundum minima dissolvitur, dum e contra, si acidum sit in sanguine, color obscurus magis sit, et sanguis crudior, iuxta elegantissimam chymicorum regulam: « Sulphurea ab alcalibus solvuntur in mi-

nimas particulas; per acidum vero in particulas crassiores coagulantur»; hinc facile potest dari ratio, quare ipsum lac cum sale tartari volatili coctum, rubicundam tandem induat tincturam.

Quod vero hic nec calidi innati nec humidi radicalis mentionem facimus, caussa est, quia hactenus a nobis impetrare vix potuimus, ut credidissemus haec duo in rerum natura existere, quum nullum de his conceptum ipsorum essentiis conformem formare possimus. Tale quippe calidum innatum a prima nativitate cordi inditum et ad ultimam senectam ibidem persistens cum humido suo primigenio nunquam observavimus; nam caloris essentia non consistit in quiete, neque color stabilis est et insitus, sed omnis est influens, nec unquam idem sentitur calor, ut nunquam idem conspicitur fluvius. Quod si molestum fuerit a veterum placitis omnino recedere, dicere possumus calidum illud innatum esse reliquias sanguinis in corde rarefacti, quae singulis tamen momentis mutantur, quum semper aliae atque aliae accendant, et priores avolent: humidum autem primigenium ut chylosa seu lactea sanguinis pars, quae pabulum et nutrimentum omnibus partibus suppeditat, et qua deficiente, partes flaccescunt et marcescunt.

Ipsam quod attinet cordis artificiosissimam structuram, eam apud recentiores anatomicos videre licet; nobis hac vice hoc quidem inter alia notatu dignum videtur, quod sinister ventriculus proprius ccr dici mereatur, quia dexter ob solos pulmones appensus est, quo resciuso, utcumque tamen cor pyramidalem suam figuram obtinet; hinc illa etiam animalia, quae pulmonibus carent, dextro quoque cordis ventriculo carent. Quaeritur itaque an pulmones ob aëris admissionem facti sint; id quod quidem haud videtur, quum eorumdem structura innuat, eos sanguinis mixtione et depurationi magis dicatos esse,

quam respirationi, vel, ut loquuntur, aëris attractioni, qui vel sine his qua datur via influere posset. Respirationis enim præcipuum organum non sunt pulmones, sed diaphragma, quod cum ceteris musculis pari passu ambulat, et motui dicatum est. Quippe a spiritibus animalibus inflatum protrudit costas et abdominis musculos, qui incubat item aërem externum premunt, ut per tracheam ingrediatur, et hinc necesse est, ut pulmones inflentur, et aëris sua elastica sanguinem a passa rarefactione adhuc spumantem in motu suo progressivo versus sinistrum cordis ventriculum adiuvet, cuius particulae aëre non admisso ab aethere versus omnes dimensiones potius moverentur, et motu tali intestino intra pulmonum cellulas mirum in modum tumultuantur. Verum quum interea atmosphaerae incumbentis gravitas obstet elevato thoraci et abdomini, relaxabitur statim diaphragmatis tensio, et pulmones iterum collabuntur, sique fit expiratio. Ceterum ipsum respirationis organum mere mechanicum esse hodie a Senguerdio ad oculum demonstratur, cui experimento instituendo et nos unam vel alteram impensuri sumus horam.

WALDSCHMIDT.

## COLLOQUIA LATINA<sup>1</sup>

### XVII.

#### Munditia librorum.

ALBERTUS, MODESTUS.

ALBERTUS. - Si incumbere in libros, et cubito supra eos deposito nisi male est, haud memini videre qui magis incum-

<sup>1</sup> EX IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Prægymnasmata latinitatis*. — Passim retractavit, hodiernisque moribus aptavit I. F.

bat te uno, qui omnes codices tuos prope iam incumbendo contrivisti.

MODESTUS. - Assiduitas hoc intertrimen-tum attulit; non cubitus.

ALB. - Quid? Ista assiduitas in meis cur non sic appareat? Praeterea, quam sunt commaculati intus et foris tui? quam habent horas paginarum infirmas, et summas introrsus inflexas? quas auriculas asinorum solemus vocare. Itane ut lo-quor?

MOD. - Tu aliquid artificium calles, ut videtur, mihi ignotum; quod ubi di-dicero, habebo libros mundiores minusque tritos.

ALB. - Nullum teneo artificium; omitte iocationes; munditiam librorum perinde et corporis totius amo et complector.

MOD. - Quid tam te miseret librorum meorum? Quid tam mirum in modum sollicitus es? Brevi novos emam.

ALB. - Si sanus es mentis, quare ma-vis prodigere pecuniam, quam deponere rusticitatem et negligentiam?

MOD. - Eho, tu ut mihi rusticitatem et negligentiam in proprii loco obiectes?

ALB. - Non enim est urbana elegancia: hoc quamvis iniquo iudice probaverim.

MOD. - Quid tibi mecum est negotii? Cura tuos.

ALB. - Id ego ago; verumtamen odi male sordes istas in aliis quoque. Phu! quam habes item digitos atramento foeditos, et os similiter denigratum; ut non iniuria suspicetur aliquis, te atramentum bibere solitum. Cur non caves? Cur non purgas aqua?

MOD. - Indicia et vestigia sunt haec diligentiae magnae et laboris.

ALB. - Pigritiae magnae et torporis: oportebat alioqui diligentes fieri immuno-dios atque sordidos.

MOD. - Desine mihi exhibere molestiam, si sapis.

ALB. - Tracta libros humanius, aut diem dicam tibi; scis Magistrum in huius-

modi peccata aequa, ut in discendi cordiam, acrem se praebere vindicem.

MOD. - Crimine vacare debet qui in alterum paratus est dicere.

ALB. - Quid istuc?

MOD. - Non deerit unde tibi par reponam.

ALB. - Minae istae nihil sunt, nisi minae. Vale, sordide.

MOD. - Vale, nitidiuscule.

## ANNALES

### Italiā inter atque Aethiopiam discrimen.

Discrimen inter Italiā atque Aethiopium imperium succendentibus qui sequuntur eventibus fuit, ab ultima recensione nostra, obnoxium. Omni singularium colloquiorum solutionis via paeclusa, res ad Societatis Nationum Concilium die 1<sup>st</sup> sup. mens. septembbris, quemadmodum statutum fuerat, delata est. Hic Italorum legatus, Aloisi dynasta, gravem orationem recitavit, in qua luculenter Aethiopicum regnum sine fide iamdiu sese gessisse in pactionibus civilibusque promissis et receptis exequendis contendit, eiusque barbaros mores demonstravit; omnia tum scriptis tum photographicis documentis confirmans, quae in volumen collecta singulis Concilii membris tradidit. Declaravit itaque nolle prorsus cum Aethiopico gubernio Italiā pari gradu disputare, quod indignum factum est civiliū Nationū Societatis participatione; sibique integrum agendi libertatem repetere, ut in Africa orientali vadimonia illa obtineret, quae possessionum suarum incolumitatem omnino tutarentur. Aethiopici legati defensione audita, Concilium quinque viorum coetum (legatos nempe Galliae, An-

gliae, Hispaniae, Poloniae Turcicaeque reipublicae) elegit, qui rationes hinc inde allatas perpenderent mentemque suam de re aperirent. Huiusmodi coetus, qui sibi ex legionibus earumdem civitatum alium parem virorum numerum aggregavit, eo praesertim fine, ut exhibita documenta recognoscerent, propositiones suas emisit non valde a praecedentibus in Parisiensi colloquio agitatas dissimiles; in quas ab Italorum legato, neque id mirum, vehementer reclamatum est. Tum novus est coetus constitutus ex viris tredecim, nempe ex universo Concilio, Italiae legato excepto, (quippe cuius esset negotium), eo quidem munere, ut Societatis contioni diligenter descriptum libellum esset praebiturus, ex quo contio ipsa, plane cognita ratione discriminis, compositionem summa ope iuberet.

Dum vero Genevae consulitur, Aethiopum rex milites omnes ad arma convocat; Itali, vicissim, ne ab imprudenti hoste opprimantur, incertos fines occupant, exsuperant.

### Ex Bulgaria.

Ex Bulgaria nunciatum est detectam contra regem et civitatis administros coniurationem fuisse, cuius principes omnes deprehensi sunt, excogitataeque rationes ad nihil redactae.

Sint Deo Optimo Maximo grates, quod novis lacrimis in tam vexato iam orbe temperatum fuerit!

POPLICOLA.

— Cogit rogando, quum rogat potentior.  
— Divisus ignis extinguetur celerius.  
— Dulce etiam fugites quod fieri amarum potest.  
— Geminat peccatum qui delicti non pudet.

P. SYRIUS.

## VARIA

### Quot modis populus Romanus urbes occupare consueisset.<sup>1</sup>

Quum populus Romanus rei bellicae studio totus deditus esset, omnia diligenter perpendebat quaecumque ad propositum finem consequendum aliquo modo facerent, sive sumptuum, sive aliarum quarumcumque rerum habenda esset ratio. Hinc factum est ut raro conarentur urbem aliquam obsidione capere, quod haec tot sumptibus constare soleat, ut eos nec superare, nec plerumque aliam aequare queat utilitas, quae inde redundat. Atque haec ratio est, quod in universa tot annorum historia paucissima exempla liceat invenire urbium, quae longa obsidione ad ditionem compulsa fuerint. Existimabant enim quacumque alia ratione commodius capi urbes posse, quam longa obsidione. Itaque expugnare solebant urbes, aut alias ditione eas capere. In iis expugnandis utebantur vi aperta, quandoque sola, quandoque cum fraude quadam ac proditione coniuncta.

Aperta vis erat, quum urbem ex improviso adoribantur, et undique oppugnantes magno cum impetu, scalis coronaque eam capiebant: muros non frangebant, sed scalis admotis concidebant, deiectisque defensoribus, urbem occupabant. Haec omnia magna cum festinatione atque impetu fiebant, usque adeo, ut quandoque uno die urbem etiam maximam caperent, quomodo Carthaginem novam Scipio occupavit. Quod si primus impetus minus prospere succederet, ad frangendos arietibus muros sese conver-

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere « De republika disputationes ex prima decade T. Livii » latine reddidit H. BINDI.

tebant. Cuniculos quoque agebant, per quos urbem ingredientes illam occupabant, quemadmodum in Veiorum expugnatione accidit. Turres etiam ligneas et propugnacula foris extraherent, aut vallum urbis moenibus incumbens, ut in alto loco consistentes, eos qui intra moenia essent omni genere telorum ferire possent. Qui urbem intus defendebant, maxime periclitabantur in primo impetu, quum scalis coronaque oppugnatio tentabatur. Nam moenia undeque defensibus indigebant; quod si igitur aut non satis multos haberent milites, aut non omnes ex aequo urbem salvam esse cuperent, facile evenire poterat, ut vel uno aliquo loco defensores pulsi, aut spontecedentes, occupanda urbis praebarent occasionem; atque hinc fiebat, ut multis urbibus hoc modo Populus Romanus occuparet. Quod si primus impetus non succederet, raro instabant eodem oppugnationis genere; quod magno cum periculo universum exercitum extendi oportet, ut corona urbem cingeret, eamque omnibus locis simul oppugnaret; nec proinde resisti potuisset, si per unam aliquam partem vehemens eruptio fuisset a civibus attentata, quod milites vehementer fatigarentur. Quum muri arietibus frangebantur, tunc qui in urbe erant, defendebant se eodem modo, ut aetate nostra adversus vim tormentorum bellicorum; retrocedendo enim loca fracta reparabant. Quum agebantur cuniculi, contrarios alias agere conabantur, ut per eos egredientes, vel ferro vel arte aliqua hosti sese opponerent et, inter cetera, cuniculos hostium iniecta materia quae ignem conciperet, oleo praesertim et plumis obstruebant, ut igni, fumo et aliquo alio foentre, eos aditu prohiberent. Turres etiam, quae foris extraherent, et alia huiusmodi propugnacula igni diruebant, et valla, quae moenibus incumbentia ab hostibus erigebantur, perforatis muris minuebant,

subinde tanta terra ablata, quanta conferatur ab bostibus.

Neque vero hisce oppugnationis modis in longum tempus utebantur; sed quum non succederet, discedebant. Exemplo esse potest Scipio, qui Africam ingressus Uticae expugnationem tentavit; sed quum videret illam minus ex animi sententia succedere, ab instituto discessit, et ad delegendos Carthaginensium exercitus omne studium convertit.

(*Sequitur*).

### Asinus et Olitor.

Serviens apud Olitorem Asinus, quum perpetuis laboribus fesso pabulum exiguum praeberetur, precibus suis Iovem exoravit, ut, illo domino liberatus, ad alterum perveniret. Ita venundatus, nactus est herum figulum. Quo in servitio, quum et luti et vasorum oneribus gravaretur, minus sibi vivendum putabat, et multo quam prius maioribus precibus ut liberaretur Iovem fatigabat. Iove igitur volente, tertio venit, addictusque fuit corriario. Apud quam quum quae gererentur videret: — Heu mihi! — cum gemitu inquit — quanto priores servitutes tolerabiliores erant! Nam ab hoc intelligo etiam pelli meae periculum imminere.

Fabula ostendit, tum maxime homines veterem fortunam requirere, quum novam experiri coeperint.

### locosa.

Tuccius in schola.

Structura humani corporis singillatim descripta, Magister Tuccium interrogat:

— Si quis calce te petierit, Tucci, qui musculi concitati fuerint?

TUCCIU: — Lacerti.

MAGISTER: — Phi! Unde fieri possit?

TUCCIU: — Quia alapha statim calce petentum percusserim!

Tuccius agricola.

— Ecquid, Tucci, de semine illo curbitae, quo te donavi? Nonne sevisti?

— Hercle! in capsula lignea, quam super podio cubiculi mei collocavi, mane et vespera terram circumluens.

— Quid autem usque nunc obtinuisti?

— Multam a vigili urbano mihi irrogatam, ob aquam stillantem in viam.

\* \* \*

### Aenigmata.

#### I.

Syllaba vocali constat prior; altera dicit Fungens illud agensque prior quod syllaba [negat.]

Posterior fiat modo quae prior: esurienti Plena patet dapibus, datur, invitantque: fruaris.

#### II.

Dulce melos meditor, dum pennis aethera [pulso:] Rho mihi praefigas: reddam tua guttura rauca.

Aenigmata in superiore numero proposita his respondent: 1) *Io, Ino*; 2) *Venernum*.

### LIBRORUM RECENSIO

*D. Iunii Juvenalis Satirae.* Recensuit NATA-LIS VIANELLO. In aedibus Io. Bapt. Paraviae et Sociorum. — Aug.-Taurinorum ... MCMXXXV, pp. LXXXIX-226. Pret. L. 21.

Datur *Corpus Scriptorum Latinorum Paravianum* hoc Num. 61, quo cl. Vianello novam eandemque criticam, u i aiunt, editionem curavit huius poëtae, omnium forte obscurissimi atque edacissimi. Quem non tam castigare ridendo mores dixerim quam potius oblectare, nescio quanam daemoniacam voluptate, flagellando scurrilia. Quam enim in Horatio, in Martiale, eoque magis in Parinio nostro ad altiora contentionem nunquam non

deprehendi, in Juvenale deesse plane non negaverim. Et tamen latinarum litterarum peritores hisce quoque carminibus delectati semper sunt et delectantur dudum, ubi patet quantum latina lingua ad vel secretissimos animi sensus, vel tenuissima vitiorum nubilatide vivideque exprimenda valeat. Italicam igitur editionem, quam apud nos viri periti minus corruptam aut saltem aptius emendantam, iamdiu desiderabant, eam en praebet Vianello, tam multis criticae artis instructam auxiliis, qua nihil forte melius habere possis. Etenim in copiosa praefatione uberrima doctrina edisserit Vianellus de harum satirarum deque permultorum codicum vicibus, nec semper vetustiorum vestigia premens, immo vero saepius, idque plerumque optimo iure, ab eis discedens, aliam, eamque novam, viam sequutus. Quo fit ut hanc editionem omnibus praestare qui que fateri cogatur, nec critica tantum arte, sed et typographica, quam appellant.

Evidem nullae in id genus editionibus apponuntur glossae ad interpretationem, quibus tyrones indigent a primis unguiculis; quamquam ad id te heic iuvant nonnihil *argumenta*, quae singulis satiris subnotantur: eoque magis eruditis viris, quibus huiusmodi editiones cumprimis adparantur, grato erit auxilio qui in fine subnectitur satis enutritus index nominum et rerum.

Gratulamus igitur ex animo tum soller-tissimis aedibus Paravianis cum etiam peri-tissimo Natali Vianello, qui hoc opere critico bene meritus est et de latinis litteris et de patriae decore; licet currente calamo exciderint hic illic naevi, ceteroquin facile suc-cessivis editionibus emendandi.

S. R.

*Ferdinando Bernini, Dizionario della lingua latina, italiano-latino e latino-italiano per uso di tutte le scuole medie.* — Augustae Taurinorum edid. « Societas Editrix Internationalis ». — Ven. lib. 30.

Nihil praefatus, et praefationis loco integro kalendario romano mensurarumque tabula appositis, Ferdinandus Bernini novum hoc vocabularium italicis scholis omnibus or-

dinis secundi offert, lectoremque inducit ut finem ac rationem operis, et quasi dicam auctorem ipsum, ex sese recognoscet; qui quidem magister artis sua valde peritus vel a primo vocabulo deprehenditur, a litera A scilicet, cuius officia in latino sermone re-censemuntur, et congruae grammaticae construc-tiones referuntur; ita porro de singulis pra-e-positionibus, de verborum constructionibus, peculiariis notis, formis, etc. Vocabulorum numerus neque amplior neque contractior quam ut par est ad tyronum usum plerumque invenitur, et auctoribus qui in scholis secundi ordinis evolvuntur accommodatus; qui vero non indicantur, ea fortasse de causa, quia discipuli eo ipso quod auctoris prae-manibus habiti significata perquirant, eius nomen recenseri non indigeant; quamquam si lexicon latino-italicum spectare id potest, fieri quoque de lexico italicico-latino non facile admittam; apud lycei enim scholas prae-sertim, in versionibus latinis aurea munditia quaedam et elegantia orationis requiritur; quae ad consequenda non est dubium quin nosse a quo auctore verba et locutiones ma-naverint valde conferat. Praeterea notandum videtur, quum in lyceis loci discipulis ver-tendi non raro adsingentur a nostrae aetatis scriptoribus deprompti, huic eventui haud satis Berninium occurrisse, quandoque vocabu-lorum inopia, quandoque etiam ex defi-ciente inter verba duarum linguarum plena congruentia. Si vero huiusmodi lacunae, posteris editionibus facile explenda, superiorum cursum discipulos singillatim attingunt, pro gymnasii scholis, aliisque eiusdem gra-dus Bernini opus, — inde etiam quod, securus quam apud alios auctores, vocabula opportuni-nis notis historicis, mythologicis geographicis-que illustrentur et scurrilia foedaque omnia-prorsus a vocum indice amanda fuerint — admodum commendabile censendum est.

Adde typorum nitorem, pretiumque, prae-paginis 1587 ac tegimine linteo aureisque or-namentis decoro, vere nostris diebus parvum; quae vero proprius in laudem Taurinensis Editricis Societatis cedunt.

F. —

Cui Tuccius: — Optime quidem; sed qui eam perdidit maturius profecto surrexerat!

Pater Tuccio:

— Cuinam arti te addicere cogitas, quum proiecta aetate fueris?

Tuccius: Militari quidem.

— Tum vero vitam in discrimen obtruleris.

— Nempe ut interficiar? Et a quoniam?

— Hercle! ab hoste.

— Hostis artem amplectar!

\*\*

### Aenigmata.

#### I.

Prima mihi pars est notissima littera Graeca, quae signat numerum, docte Ludolphe,

[tuum.]

Alteram compellare solet; sed tertia semper pars assentitur, quippe negare nequit. Toto scit nares vexare gravedo molesta, si nimium laesit membra tenella gelu.

#### II.

Vox eadem signo leporem callempque latens [item, viscera telluris, qui tenebrosa secat.

Aenigmata In superiore fasciculo proposita his respondent: 1) Amens, Mensa; 2) Avis-Ravis.

### LIBRI DONO ACCEPTI

GIORGALBERTI VALTER, I. LL. Doct. Tenente Colonnello di fanteria S. P. E. — *Properzio elegiaco dell'amore e poeta augusteo* — Il suo luogo natio in Mevania, attuale Bevagna — Il suo romanzo erotico — La sua riabilitazione — 2 carte topografiche — 2 grafici — 13 tavole fuori testo — (Roma 1935-XIII, ven. lib. 20).

JOSEPHUS MORABITO, *De Hermanni Weller latinis carminibus*. (Lycinio Cappelli editore, Bononiae, 1935-XIII).

JOSEPHUS MORABITO, *Daedalus*. — Carmen in certamine poetico Locrensi laudatum. — (Polystenae, typis «Orfanelli», MCMXXXV).

ANTONIO JACONO, *Armand Godoy* (Mediolani, Editiones Latinae, 1935-XIII. — Ven. lib. 15).

G. CAMPANINI, G. CARBONI, *Vocabolario latino italiano - italiano latino*. Editio altera. (Augustae Taurinorum, ex officina Paraviana, MCMXXXV. — Ven. lib. 38).

### Libera a pittaciis responsa

Cl. v. VALENTINO FEC., Sopron. — Acceptimus, tibique morem gerere posse speramus. Interim et tibi et Wagnero amplissimas gratias habemus et referimus.

Cl. v. ANDRAE AVEN..., Tirschenreuth. — Iam menses duos expecto; undenam haec mora? — Ad Nepotem tuum quod cupiebat misi; quum vero eius domicilii indicium deinde perdissem, ad eum scribere nequivi. Tu, quaeo, ei signifies pro pluribus Opusculi exemplaribus pretium decima parte de cuncta imminui.

Cl. v. ANDRAE HER..., Berolini — Utique commentarii illius articulum de *Alma Roma* perlegi, eique in proximo numero respondebo.


Cl. v. JOSEPHO CAS..., Neapoli. — Quid doles? Optime cum Horatio dicere potes: «Populus me sibilat; at mihi plaudo ipse»; eoque magis quod in casu ne de populo quidem agitur, sed tantum de misero uno cane ventis ringente.

Cl. v. FRANCISCO S. ALES..., Radicenae. — Litteras quas ad illum hominem misisti amissimae laudamus; minime credimus tamen opportunum eas ab *Alma Roma* vulgari.

A SECRETIS.

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI. Ep. Porphyreonen., Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.  
Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS





*Nuperrime prodit*

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mileiae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

### FRIDIANUS-FRANCISCVLI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 500 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1000, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXII

Romae, Mense Novembri MCMXXXV

Fasc. XI

# ALMA ROMA

## LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad Iosephum Fornari doctorem Romam, *Via del Governo Vecchio, 96*.

### DE CARMINIBUS LATINIS IOANNIS PASCOLI

RECENS EDITA COMMENTARIA

Critices, quam dicimus, artis quale quantumve sit pretium non facile inveneris. Si eam enim vel cum poësi comparaveris, vel cum alia quavis creativa arte humana, tanto dices criticum subesse poëtae, quanto dicta factis. Indigemus tamen homines verbo, ut res agnoscamus. Non secus critices artis auxilio, quo et noscatur penitus et late vulgetur, saepe videmus egere poëtam, idque eo magis quo altiora cincerit.

Quid vero si iussus fueris criticus esse critici atque commentari verbum verbi? Sed vel hoc interdum iubet lux nimia poëtarum, quae, solis instar, prius per speculum infirmis pupulis accipiatur, deinde, non nisi cristallo dissociata aestimetur. Atqui Ioannis Pascoli hanc adamussin scimus fuisse fortunam, ut, nimiae altitudinis causa, licet multos post annos edita fuerint carmina eius, vix tamen sint pro merito nota, multumque exquirant expiatorum adhuc laborem, quo rectius ac plenius aestimentur. Quae vero tota res cum poëtae vita fatisque connectitur

ac praeter multorum opinionem. Etsi enim per italicica carmina, sive rebus sive numeris, vere ille dicendus fuerit novissimae aetatis vates certe maximus, quam gentis nostrae publica renovatio iniit, ita quaeque hodie inter velivola, radiola, aliaque omne genus nova adinventa mire antecellit, maius tamen, nec sine divino nutu, musa eius latina nomen obtinuit. Nam, equidem, si una tantum, una dominatrix, una integra nobis floret adhuc hereditas Romae, ea ferme non est nisi haec patrum lingua atque sermo; quem, Ciceronis Vergiliique arte perfectum, mox Christi Ecclesia sic sibi suscepit, ut vere regia divini Verbi vestis cunctis hominibus effulgeret.

At, si vicissim, vel italicis carminibus, vel scriptoribus solutae orationis altissima ipsa mens non raro obest, quin maiora Ioannis poëmata aut sententiae bene adhuc legantur vel satis, non est cur mireris id gravius obfuisse latinis. Quae, immo, velut necessaria egestas accidit aequalibus nostris, in tanta nimirum latinitatis ignoratione, quantam germanica illa hesterna auctoritas multos iam annos vel Italica attulit, per docendi rationes ut certe doctissimas, ita vel ipsis doctis viris dulci elegantia expoliendis prorsus ineptas, perque inde nordico taedio oppressum illud studiorum vetus

gaudium omne, quod vix hodie nos recuperaturos esse speramus.

Iamque igitur haec eadem spes nos iuvat, quae tandem spondet etiam Ioannis nostri latina carmina et magis vulgatum iri et tantae recuperationi esse mire adiutura. Cui rei bene fovendae varii iam iure merito scriptores nostri adlaborarunt, imprimisque Aloysius Pietrobono e sodalibus a Scholis Piis, qui italica Nostri carmina exposuit, ut nemo unquam studiosius vel utilius. Atqui ille idem est, qui italicis lectoribus aliis recentioris e Ioannis expositoribus librum hodie commendat: mulieris immo artium litterarumque magistrae, Zelyae Fara, quae Pascolii carmina, per volumina duo, Zanichellii typis edita, non minori doctrinae copia quam mentis studio et, quod caput est, summo Romanae rei litterarumque latinarum amore explanavit et commentata est.<sup>1</sup> Quia vero culmen latinae musae maioris illud semper extitit, quod, sive data opera, sive ipsa, quas recinuerit, rerum vi, et Christi et Romae innexa fata nuntiaverit, ita per unum vel aliud caramen, perque scripta maxime quae de Aligherii comoedia alte condidit, sive sciens sive inscius, Poëta noster aut Pauliana vaticinia cum Vergilianis attinxit, aut Christianae humanitatis fata resonuit, veluti per Sacram viam terminis occurrens nulla manu evelendis.

Quamobrem et Zelya haec ex uno ad alterum volumen carminum ad expositionem scribens, paganum illud totum, hoc vel iam Christianum vel mox resonans Christum, facere non potuit quin sive de morali sensu cuiusque carminis locuta, sive de poëtae mente, sive de ipsa versuum forma, tanti connubii proponentis vel praesentis diceret exitus.

Iure enim Petrobonus idem, iam lau-

datus interpres interpretis, dum novo praefatur Zelyae libro, notat Pascolium latinis hisce carminibus tum totius humanitatis origines attigisse, cum diuturnum illum arduumque labore quo, post Israëlis Helladisque dies, nostris gentibus propositam metam agnosceremus.

Iamque rogit unde fuerit nova disceptandi causa sermonibus quos augustae aetatis scriptores ducebant de graeca liberali arte imitanda necne; quid sibi voluerint leges, rostra, secures; quae semitiae fuerint Urbi quibus straverit propranti Christo viam; quantis aut quisve tentaminibus Vergilius denique et Flaccus totius gentis nostrae voces receperint retulerintque carminibus suis; humano generi universo quid fuerit, quidve sit Roma urbs; Urbis orbisque nostri utrum sit adhuc Roma mater et magistra; sintne necne Aquilae et Crucis conjuncta signa tota adhuc sanctissima mundo.

Haec enim anxia mens, haec, sive dubia sive fides, latinis Ioannis carminibus semina foecunda fuere; quod ita ostendit Zelya, ut post eius librum, totius Pascoliana poëeos vis, linea menta, membra cuvis legentium undique apparent.

Totius igitur Zelyae liber, ordinem rerum ac temporum secutus est, per quem, Pistellio curante, et ipso e sodalibus e Scholis Piis, Ioannisque amicissimo viro atque eruditissimo, Zanichellius bibliopola Pascoliana omnia carmina latina digessit; non quidem pro vario tempore vel occasione, quibus ea scripta fuerint, sed pro vario poëtae sensu ac motu erga Illum, per quem et facta est Roma et facta sunt omnia saecula, Christum. Primum namque volumen, quod est ethnicum totum, ex Hymno in Romanam exque originibus Urbis, post vicissitudines Romanae civitatis, per bella externa, ut carmen *de morte Iugurthae*, vel interna, ut poëma *de Gladiatoribus*, ad Imperii fastigia venit. Quae quum attigerit, per poëtarum eius

temporis colloquia, ut videlicet per altissima tantae arboris culmina, animos, mores, vitam et totius civitatis et humanitatis universae vestigat; sive videlicet per Catulli voces aut Calvi, quas reddit: *Catullo calvos*; si vel per sensa Vergilii, quae proferunt *Senex Corycius*, *Ovis peculiaris*, aut *Ecloga XI* aut *Coena in Claudiano Nervae*; sive denique per vocem Horatii, quam referunt plurima carmina ex eius Odibus prompta, ut *Fanum Vacunae*, *Phidyle*, *Veianius*, *Socii fratres Bibliopole*, *Reditus Augusti*; denique *Ultima linea in vitae exitum*.

Sic itaque in ipso Romani Imperii fastigio, e quo Christus nascitur, et unde reliqua tota pendet historia, sistunt Pascolii carmina gradum. Quem tamen ordinem, quamvis ab explanatrice optime illustratum, nolim credas in condendis carminibus similiter retinuisse poëtam, quasi constitutum sibi indicem rerum factorumque calamo sequeretur. Ipsa namque explanatrix monet tantum virum, rem Romanam miro studio complexum, aut pro re nata, aut pro data occasione, totius nostri imperii illa culmina recinuisse; mox carmina plurima ad Hoeufftianum certamen misisse miri laboris praemia iure merito prima accepturum. In quo nihilominus opere vario, facere non potuit quin sponte rediret ad poëtas aetatis Augusteae, quos sibi non tam magistros quam fere sodales habuerat atque contubernales, cum eis veluti conversatus, quamvis bis mille annis posthumus, vel videlicet in vinosa taberna Catulli et Calvi certamini assidens, vel in alia fratrum bibliopolarum scriptoria Horatii et Varii colloquio adstans, vel in esseda cum Maecenate et Vergilio et Horatio raptus ad rusticam Moreti coenam. Haec igitur carmina sunt, unaque cum eis *Ecloga XI*, *Fanum Vacunae*, *Coena in Claudiano Nervae*, *Phidyle*, *Veianius*, *Senex Corycius*, *Reditus Augusti*, *Ultima linea*, quae Augusteam aetatem spectant

undique et canunt. Sed ea pone excipiunt poëmata dies imperii attingentia titulo *Chelydonismus*, *Veterani Caligulae*, *Rufius Crispinus*; Tiberii nempe aut Caligulae aut Neronis dies. Ex his, dum iam Christi dilucula pulsant, in apertum veniunt carmina per Illius iam viventis aetatem; ad quam et *Centurio* pertinet, qui idem esse fingitur qui cohorti in Calvario praefuit; et *Agape*, quae celebrat Eucharisticam mensam inter Neronis incendia, et *Thallusa* atque *Paedagogium*, quae praecinunt servorum gentiumque in Christo redemptionem, et *Fanum Apollinis*, in quo Christus Apollinis Solisque locum occupat, ac denique, *Hymnus in Taurinos* qui, longissimum saeclorum cursum brevi complexus arte, Iulii Caesaris Alaudam per Alpes Maritimae volitantem, volatu tandem supremo ad Urbis pomeria remenant videt.

Atqui docta illa non minus quam diserta explicatrix, ut ad eam redeamus, ad omnia haec pedetentim multa e rhetorics doctrinis affert, multa ex historicis ad planiorum carminum singulorum intelligentiam. Tenemus enim sine alicuius iniuria, eam iure dubitasse utrum singulis lectoribus eadem copia eruditionis succurrerit ex omni disciplina rerum quae maximum poëtam ditavit. Quo multo studio ac labore plurimo optime meruisse dicenda est cum de nostris litteris, tum de patriae fortuna, ac denique de felicitate totius humanitatis; non enim hisce maximis causis poëtae nostri minor est ambitus. Sed tam multae laudis omne repetere punctum hinc eiusdem copia vetat, inde autem per breve spatium calamo nostro datum. Non tamen angustum adeo, ut meminisse neget unius alteriusve disertissimi commentarioli, ut, puta, eius quod *Laureolo* addicitur de Virbio deo, deque tota re conferenda cum Philemone et Bauci Ovidianis atque de hinc et inde comparanda coenula data diis.

<sup>1</sup> Prof. ZELY FARA, *I poemetti latini di Giovanni Pascoli*. - Studi critici. - Edid. Albrighi e Segati, MCMXXXV.

Nec taceam quae *Chelydonismo* doce, non minus quam opportune, adiiciuntur de Tiberii Caesaris imperatoris ab Agripina divortio deque ei impositis cum Iulia nuptiis; nec quae uberrima notantur ad poëmata, quae *Pecudes vel Canem* vel *Myrmedon* canunt de Ioannis nostri doctrina deve poëseos fonte e rerum natura bene atque iure derivanda.

Neque silere licet id quod brevibus hisce notis magis est consentaneum, qua cura nempe multae indigitentur gemmae poëtiae artis, quibus Ioannis versus passim nitent. Tot enim illae sunt et tantae, quot equidem versus exstant. Quorum videlicet sonitus — ut exquisite illa notat — obscuratur quum tenebrosa attingit, aut undique collucet quum sidera scandit, qui res militiae et duro et sonanti et denso pede refert, qui suavissimo murmure muliebri rei vel puerili blanditur eamque incredibili dulcedine resonat, qui denique aurae, diei, foliarum, lunae, avium ineffabili suavitate reddit motus, voces, lucem.

Quis enim vel e veteribus poëtis, melius dixit avicularum dulcem moestiam, quas foliis nocie conditas

*suavius  
luce ipsa recreat lusciniae metos?*

Vel lac e nutricis mamma in somnum pueruli fluens qui possit dici exquisitus illis versibus, ubi nutriculus

*quasi permulsus occulto murmure dormit?*

Vel quis memoret dignius fidem canis heroicam, qui

*ab hero discedere functo  
posse negas ipsumque foves in morte sepulcrum?*

Vel denique radialis vel radiantis lucis, quae vix, Ioannis aetate, et ne vix quidem innoverat, ecquis melius virtutem canat quam illis:

*Lux ignota viget vivi quae corporis ossa,  
detegit et rerum vel per opaca meat?*

Sed haec, quae docta explicatrix huc et illuc attingit, videant lectores tandem et Ioannis studiosi et latini sermonis.

Vere enim divinum sacramque fuit quod per hoc ipsum linguae nostrae studium, qua Christum gentibus contigit ubique doceri, Ioannem vatem, etsi non rite neque publice fidem nostram professum, tamen rerum vi, quas mire cecinit, inter Christianos poëtas summos accensendum habemus. Hoc igitur vidit Zelya explanatrix et optime adnotavit, sensimque indigitavit omnibus. Audivitque maxime, eam, quam per italicum carmen de Pane Azymo,<sup>1</sup> poëta celebravit Eucharisticam Victoriam, eamdem per latina carmina ab eodem auspicari in *Moreto*, in *Coena in Claudio Nervae* et in *Ultima linea*, maximeque in *Agape*, ubi suavissimarum precum a graeca Διδαχὴ versibus exquisitissimis sensa redduntur. Multa igitur ad hanc maxime rem optime addidit propter totius libri finem, ubi de Ioannis nostri morali — quam dicimus — doctrina disseruit.<sup>2</sup> Attamen altiora, puto, scripsisset si, ad solvendam denique illam, quam recte refert, pugnam inter poëtate iterata dubia eiusque animi invictos anhelitus et desideria, non tam certo asseruisset Christiana Fide vere caruisse poëtam. Qui, videlicet, in italico carmine illo saeculari quod Mazzinii nomini inscripsit, dum fingit philosophum, comitante Aligherio post Iesu Christi vestigia, anxie dubitare, audit tandem Iesum crucis lignum libere scandentem ac frustra a vulgo ad effugium provocatum ab ipso proclamari exemplo Deum:

*Ut lignum scandit, fassus es esse Deum.<sup>3</sup>*

Atqui supremam hanc semper vocem audivi Pascoliani cantus totius. Quam

<sup>1</sup> *La Piada* (*Odi ed Inni*, Zanichelli).

<sup>2</sup> *Il problema morale* (pp. 256-257).

<sup>3</sup> È Dio, dickesti, perchè v'è salito.

nempe necesse erat superaudiri renovatis Romae et Italiae et totius humanitatis auspiciis, quibus ille praecinuit. Quod, ut Zelya haec iure asseruit, ita olim vel Gabriel d'Annunzio implicite visus est agnoscisse, quem Ioannem edixerit Vergilii redem legitimum unum.

Vergilii, inquit, non minus tamen quam Aligherii, cuius mira mentis altitudine divinum poëma interpretatus est. Atqui utriusque renovasse Noster visus est vel proprias ipsas canendi formas et mensuras; illius nimurum «exametron», huius vero «ternariam strophen»; per quae, et italice et latine, et Christi et Romae renovatis una fatis unus digne praeccinere valuit.

Quod igitur ut ad Latinam eius musam Zelya Fara explanavit et exposuit tanto studio ac laude tanta, ita illi nos, et Christo et Romae ut nemini arctius addicti, rei Romanae nomine et vocibus per huius diarri paginas dicimus gratias.

I. ANTONELLI COSTAGGINI.

## DE VARIA MORTIS IMAGINE

### SAECULORUM CURSU

Consideranti et memoriam antiquissimi temporis repetenti leviter fortasse videbitur rudibus olim indoctisque hominibus Mors supremum malum fuisse. Postquam enim, poenas luens intemperantiae sua, ille nostri generis pater caelestibus deliciis expulsus est, nudus et errabundus ferarum minas et imbrum inclemantium una cum uxore toleravit: qua orbatus, improvisum mysterium intuens, solitudinem horruit et primus lacrimas miserabiliter effudit. Iam tum mortis cogitatio continuo hominum facultates

<sup>1</sup> Hom., II., 1. VI, v. II; 1. XXIV, v. 735.

<sup>2</sup> HORAT., Carm., I, 4; Sat. II, 4,

<sup>3</sup> CICER., Tusc. disp., I, 38.

<sup>4</sup> Hom., II. I. XIXV, v. 759.

<sup>5</sup> PLAT., Phaed., cap. XII,

perturbavit. Nam, ut illa omittamus quae orientis solis scriptores rerum nobis tradidierunt, apud Homerum fatalis hora virorum cum atra nocte comparatur,<sup>1</sup> et omnia quae ad eam attinent luctum metumque inducunt: nec dissensisse ab eo poëtas aetatum insequentium videamus, qui ad unum omnes tetricam Mortis imaginem moestis versibus effingunt. Quae quidem opinio temporis progressu magis atque magis occupat animos, ut in latinis poëtis cerni licet, in Horatio praesertim, qui ob oculos subiicere gaudet horridam deam aequo pede regias et tabernas pulsantem, vel nigris alis devotos mortales circumvolantem.<sup>2</sup> Nil mirum: deerat solacium fidei ac religionis; nam caeco Fato in terras missam putabant veteres Mortem; quem eam consiliis divinis parere cogitabant, minus horrere soliti erant: ut delicatissima fabula Endymionis, cuius oculi clausi sunt in Latmo monte osculo Selenis;<sup>3</sup> ut Hecubae lamentatio in *Iliade*, cui gelidum filii corpus flos videtur, quem sagitta Apollinis dulcissime succiderit.<sup>4</sup> Socrates, omnium philosophorum facile princeps, ut est apud Platонem, qui eum supremo vitae momento cum amicis ac discipulis de immortalitate animorum colloquenter facit, mortem non timendam, sed optandam censem. Est enim liberatio a vinculis incommodisque corporis, quod philosophi, ut sapientiam adipiscantur, maximopere contemnunt. Ipse autem hanc de vita migrationem bona cum spe suscipit, se ad deos profecturum et veritatem, quam semper secutus est, in beatorum regionibus potiturum.<sup>5</sup>

Ne de ethnicis scriptoribus plura di-

camus, ad nova accedamus tempora. Christus, ut subruens genus humanum redimeret, cruci affixus obiit: eiusque morte nihil maius ad augendas fidelium multitudines profecit. Fracta vidit tela sua implacabilis diva: terror fugit subiisque pax et fides. Si Graecus mortem libens accepit, martyres nostri fines excedunt, laeti alacresque arripiunt complectunturque suppicia. In clamore et sanguine, in cruciatu et vi, pueri, virginis, senes gloriam supernam collaudant et rident. Ne exquisita quidem imperatorum tormenta triumphum novae militiae prohibere potuerunt. Quam multi, illorum clarissima exempla sequuti, divitiis commodisque spretis, crucem ipsi amplexi sunt! Quam multi, brevis aevi memores, mortis cogitatione permoti sunt, ut a celebritate urbium et frequentia negotiorum in parvo tuguro vitam egerint, dummodo beatorum numero adscriberentur! Sed tamen, sicuti pleraque rerum initia habentur, media quam dicimus aetate, quamquam firmior in animis vigebat fides, imago mortis yaga fuit et indefinita: raro enim poëtam vel pictorem invenias, qui sensibili forma hunc cotidianum eventum scriptis vel tabulis pictis induerit. Ipse Dantes in Comœdia regnam dolentis regni non describit; et Petrarca in carminibus suis abstrahitur a Vergiliana recordatione Iridis lethalem crinem evelentis.<sup>1</sup> Quod etiam absolute respondet illi quod foeminae horum poëtarum mystico velo circumfusae videntur et, ut ita dicam, inter caelum et terram suspensae.

Sed paullatim tenebrae obsolvuntur, nebula carne et ossibus informatur. Solitarius homo in vigilis mortem sibi effingit impiorum vindicem piorumque solamen, ut hoc unum sibi persuadeat: ad

beatum perpetuo faciendum animum, asperitate, ira, avaritia ceterisque vitiis, quibus humanum genus et docile et primum, cavidum esse; quapropter in silvas abditur et in cavis rupibus speluncarum meditatur mortem. Eamdem vulgus miscet cum angelo niveis alis teneras cunas custodiente et leves animas ducente per itinera caeli. In urbibus interdum pietate christiana florentibus, tumuli iucundos exhalant odores violarum, quas purae manus assidue pro defunctis educaverunt; et urnae candidis columellis statuisse marmoreis ornatae mentes viatorum recreant ac de optabiliore vita suaviter colloquuntur. Sursum corda! Veniet hora mortis, et quidem celeriter: nemo est qui scelere securus metuat; nec homines enim ad tenebras Orci deducet, nec animi ignes ad nihilum rediget. Contra manet nos praemium et gaudium aeternum, pro quibus glorioissimi martyres, divino afflato perducti, non dubitaverunt occumbere. Ideo quod antiquissimis temporibus horridum numen erat ruinam, quo se verterit, afferens, et media aetate umbra sine corpore, recentioribus diebus, fide ac religione favente, naturae est factum, quod probos homines terrere nequit. In circuitu artium et litterarum Mors figuram quam maxime varias sumpsit, a pallido spectro falce et clepsydra praedito ad formosissimam puellam, cuius sinum virginalem ad extremos somnos infelix vates Recanatensis petiverat.<sup>1</sup> Tamen in tanta figuram et imaginum varietate una atque immutata permanet opera Libitinae falce residentis, quae, sicut in Dante Fortuna, orbem vertit suum, non voces, non querelas audiens gentium, quae in voraginem temporum sive properantes, sive reluctantates praeterirent.

T. C.

<sup>1</sup> VERGIL., Aen., I. IV, 700.<sup>1</sup> IAC. LEOPARDI carm, Amore e Morte,EVENUS ET ELISA<sup>1</sup>

Iam dudum Veneris squalebat putre sacellum,  
Atque fatiscebat rimis in litore solo,  
Et tenero passim musco circumlita saxa,  
Et lapidis fragmenta solo delapsa iacebant:  
Errantes hederæ cingebant undique muros,  
Adflictis ut si vellent succurrere rebus.  
Hic rubus irrepens ramos protenderat asper,  
Et simul herbarum densissima silva subibat;  
Adstabat campis durâ cum falce Priapus,  
Nec fures nec aves terrebant inutile lignum:  
Nam viridi saliens cantabat passer in horto,  
Vere novo, circumque loquax volitabat hirundo.  
Infelix loca iam quondam bacchata puellis  
Servabat custos, senio confectus et annis;  
Munditas et sacra pius faciebat in Aede,  
Oblitusque sui degebat solus et expes.

At veterum deserta Deûm iam templa ruebant,  
Liquebantque Lares aedes et Daemones aras:  
Pallidulae simul errabant regionibus umbrae,  
Unaque semirûta pulcherrima stabat in Aede  
Hic Venus: at circum manibus per mutua nexis  
Stant Charites, vibratque puer sua tela Cupido,  
Et rimosa micans penetrat laquearia tecti  
Atque Deam claro collustrat lumine Phoebus.  
Iam non laetitia campus ludisque fremebat,  
Nec vario choreas miscebant orbe puellæ:  
Saepe tamen gemebundus amans veniebat ad

[aram  
Evenus, viridemque dabat de flore corollam:

Ecce pius Veneris parvum subit ille sacellum,  
Atque refert binas plumâ bicolore columbas;

Pallet, et ex imo suspiria pectore dicit.  
Tum custos: Quis adest, et sacra silentia rum-

[pit?  
Inquit. Mox iuvenis: — Salve, respondet,  
[Amice —

— Salvus sis: quid me vis? — Has ego rite

[columbas  
Ecce fero Veneri: precor, accipe parvula dona.

<sup>1</sup> Carmen Francisci Sofia Alessio Radicenensis in Certamine Poëtico Ruspantinio a. MCMXXXIV magna laude ornatum.

Exorare Deam sine me nunc supplice voce,  
Nam vereor ne me mutata relinquat Elisa.  
Infelix vivo: procul est, latet aedibus illa:  
O utinam redeat tandem formosa puella! —  
Dixerat Evenus, vinctis et cruribus ambas  
Deposuit volucres. Tum custos haesitat, atque:  
Quin tondere paras, — inquit, — de cespite  
[flores,  
Atque novâ Veneri contexere fronde coronam?  
Omnes iam campi vernant et litora circum:  
Carpe manu myrtos, quas Cypria diligit alma.  
Haec fatus lucum monstrat, mollesque columbas  
Accipit. Evenus nemoris viridaria lustrat;  
Iam ver exsultat campis, caeloque renidet,  
Et leviter sabulum tentat, croceosque lapillos  
Unda maris, verruntque leves vada caerulea cym-  
[bae.  
Evenus se demittit, myrtosque tenellas  
Pallentesque simul violas, roremque marinum  
Et lauri frondes carpit, Venerisque capillum.  
En procul errantem speciem per litora tandem  
Prospicit, accedit propius, niveamque Puellam  
Admiratur hians, dulcemque agnoscit amicam.  
Constitit, et longi vestigia fronte doloris,  
Subtilique novum deprendit corpore lumen.  
Tum iuvenis: Salve, mea lux, — exclamat, —

[Elisa!

Quod te iam longo post tempore Numen ami-  
[cum

Ad me deduxit? Quid habes, dilecta, quod intus  
Sic serves? Caruque diu te tristis et aeger.

Quid tibi deliqui? — Virgo ve pallida: Salve, —  
Respondet, — curis, Evena, remorsa labore:

Namque gravi vitam morbo tentata reliquit  
Iam mater, tumuloque iacet tenebrisque sepulta.

At carae lateri genetricis semper adhaesi.  
Illa quidem moriens mihi iam dedit oscula

[summa,

Et monumenta simul, quae condita pectore servo:  
Sola domi vivo lugens, et nocte silenti

Carmina sacra cano, veluti philomela sub um-  
[bris;

Huc veni fruitura mari caeloque sereno,

Si tantum possim cordis lenire dolorem.  
Conticuit Virgo. Properant per amoena loco-  
rum  
Ambo, iamque vetus Veneris tetigere sacellum,  
Et simul in viridi sedere crepidine tandem.  
— Huc supplex, — Evenus ait, — carissima,  
[veni  
Ad rem divinam: niveo signanda lapillo  
Haec est lux, quae te mihi denique reddit ami-  
cam!  
Adsis: esse mihi Venus ipsa videris, Elisa:  
Semper amore pio et cultu dignissima nostro  
Es tu: te veneror. — Tunc: Absit! — Elisa  
[reponit, —  
Despice me, Veneremque simul: nam Maximus  
[unus,  
Optimus et Sapiens Deus eminet. Ille benignus  
Sponte sua quondam Caelum Terramque creavit,  
Disce Deum verum, pius offer turea dona. —  
— Iste quis est Deus? — Est Christus Sapientia  
[summa,  
Scilicet Aeterno suboles aequaeva Parenti,  
Immortalis Amor terrarum commovet orbem.  
— Nonne quidem Venus est species et mater  
[amorum?  
Non formosa suo foveat omnia Numine Diva?  
Scilicet alma Deum Venus est hominumque vo-  
[luptas.  
Aspice! vere novo spirant iam mollius aurae,  
Incipiunt roseae fluitare per aera nubes,  
Ac rident omnes diffuso lumine campi;  
Adventante Dea, turgent in palmite gemmae,  
Et circum suaves tellus diffundit odores:  
Concipiunt ignes animalia quaeque ruuntque:  
Iam glomerantur aves et nidos stramine texunt,  
Ac fundunt blandos exili gutture cantus.  
Nonne vides? Omnes Veneri famulantur amores,  
Et Charites dulci circumdant omnia risu:  
Nos Venus alma potest tranquilla pace iuvare.  
— Non ita. Principio caelesti flamme fovi  
Cuncta Deus. Fervet, rapidisque supervolat alis  
Spiritus, et rebus, veluti studiosa columba,  
Incubat, ac molem confusam perflat amore  
Immenso: tellus divino semine tandem  
Exoritur, placidoque micant vaga sidera caelo.  
Vanos ipsa Deos odi, Veneremque nefandam,  
Succiduoque genu veneror nunc Numina Christi.  
Christus Rex est, et caelum terramque gubernat.  
— Quid? Tu gente Satum, mea vita, fateris  
[Hebreas,  
Olim qui Cruce defixus nudusque peperit?

Quid decoris fuit huic regi, qui gessit acutis  
Sentibus horrentem demissâ fronte coronam?  
O Venus alma, tuas iuvenes roseaeque puellae  
Aras iam linquunt, et sordet putre sacellum,  
Nec laetis resonant viridaria sacra choreis.  
At tu, Diva potens, molli simul omnia risu  
Laetificas, et blanda foves mortalia corda.  
Huc nos saepe quidem, mea lux, convenimus  
[olim,  
Et Veneri dedimus vario de flore corollas:  
Tum mulcere Deam, quae nobis afflat amorem,  
Carminibus iuvit laetis et turis honore:  
Quae mala saga tuos illexit carmine sensus?  
— Me Deus afflavit, nunquam mala saga fe-  
[fellit.  
Christus, crede mihi, Fons est, Evene, salutis:  
Ille quidem nobis tribuit caelestia dona.  
Iam nos condiderat sanos, vitamque veneno  
Mox vetus infecit serpens, pestemque malorum  
Intulit. At Christus caelo delapsus ab alto  
Induit humanos artus, subiitque dolores  
Insons, et generis nostri scelus omne piavit,  
Serpentemque simul dirum, mortemque subegit,  
Atque viam Soter nobis patefecit ad astra.  
Nonne quidem sapiens Deus est, qui diligit  
[omnes,  
Qui redimit, reseratque bonus pia limina caeli?  
— Quid? Nonne est rerum mors ultima linea  
[nobis?  
— Exsulat hinc iam victa pio mors vulnere  
[Christi;  
Morte quidem potior fervens Amor imperat, atque  
Aetherios spirat sensus, ac tollit ad astra,  
Et simul in patriam nos quandocumque reducit.  
— Cur haec ore diu pressisti, dulcis Elisa?  
Novistine novam legem, Numenque benignum?  
— Iam praecepta Dei dederat venerabilis olim  
Antistes matri, quae me caelestia deinde  
Relligionis amans docuit, ritusque sacrorum.  
Tum sapui tandem, ludosque perosa profanos  
Sola domi latui procul a rumoribus urbis,  
Et mecum Christi mysteria volvere corde  
Ipsa silens coepi: recubans moritura cubili  
Me tandem monuit supremo tempore Mater,  
Et recto semper procedere tramite iussit,  
Divinamque Dei legem caelumque tueri.  
Nunc tenet illa locum, quo non felicior alter:  
Illic aeternum spero me vivere posse,  
Amplexique simul tandem post fata parentem:  
At quandoque mihi video spectare, fovere  
Ora simul Matri: leviter circumvolat umbra,

Ac me demulcat: velut aura susurrat ad aures,  
Et materna monet vox: non est mortua mater.  
— Novistine viam tandem, carissima, caeli?  
Aeternum simul ipse velim nunc vivere tecum,  
Deliciisque frui caeli. — Tu Numina falsa  
Sperne, precor: Venerem lascivam despice Di-  
[vam:  
Nil, mihi crede, iuvat vanis dare tura sinistra  
Umbris, funde preces, et Christi Numen adora,  
Aeternumque simul vives, potieris et ipse  
Deliciis caeli: sic nos veniemus in unam  
Sedem, perque polum nitidum simul ire iuvabit.  
— Discere sacra velim mysteria. — Quaere  
[fidelem  
Christiadum, qui te doceat praecepta, magi-  
[strum,  
Sanctior ut fias: divino fonte lavabis  
Rite caput: precor ut Divus te Spiritus afflet:  
« Ille quidem nobis castos nunc spirat amores,  
Rebus in adversis affert solatia semper,  
Dum fracti languent animi, curisque laborant.  
Spirat ab aethereis divinus Spiritus oris,  
Atque movet leni pueris tum flamme risum,  
Dat placidos sensus, mollit pietate superbos,  
Turbine perflat amans tumidos ac temperat iras,  
Propositique virum dexter regit usque tenacem:  
Virginibus Sanctus laetos Amor afflat honores,  
Ac decorat vultus casto roseoque colore». —  
Haec mihi iam cecinit venerandus mysta, ma-  
[nusque  
Imposuit capiti, quod sparsit flumine vivo.  
Spiritus alme veni: te denique rite vocamus:  
Incute vim nobis, caelestia munera funde,  
Tristia corda fove, miseros solare gementes,  
Afflatuque pio tu mentes usque supremam  
Ad metam rege: tu lumen morientibus affer.  
Non decus est hominum Cypri, neque blanda  
[voluptas,  
Principium Deus est et Fons, Evene, decoris,  
Puraque lux, et nostra salus et Amoris origo:  
In Christo bene semper ama, placidamque quie-  
[tem  
Invenies, et ad alta simul nos ibimus astra.  
— Admiranda quidem mysteria, dulcis Elisa,  
Tu pandis mihi: iam praesentia Numina Christi  
Sensi, iamque novam blandâ virtute refectus  
Accipio vitam: mihi Spiritus afflet amorem. —  
Conticuere: dies cunctans super alta tremebat  
Culmina villarum, mulcebant arva susurro  
Auræ, perque salum volitabant undique mergi.  
Splendet Elisa sedens roseo suffusa vapore

Occidui solis: magnum decus emitet ore:  
Spiritus e niveo perlucet corpore purus,  
Per tenuem veluti nebulam vepallida luna:  
Contemplatur amans Evenus castus Elisam.  
Iamque novam speciem sociae deprendit ocellis  
Caeruleis, qui tum velut astra serena, micabat:  
Nil nisi divinum: Christus spes una refugit,  
Admiranda patent animis spectacula caeli:  
Evenus mirans: — Nostro Deus adsit amori,  
Nescio quae misero solatia blanda dedisti!  
Nunc in amore meo sit Princeps Christus, Elisa,  
Qui te restituit mihi puram denique, gaude:  
Nunc miscere iuvat vitas: nos usque canemus,  
Mascula tura Deo dabimus, viridesque corollas:  
Nos vitâ functi sedem veniemus in unam;  
Dimidium, dilecta, meae tu tempus in omne  
Sis animae, pergantque simul pia corda micare  
Aeternaque simul post mortem luce fruamur. —  
Dixerat Evenus: simul amplexatur Elisam  
Et pallet, roseoque tremens os applicat ori:  
Sunt alacres animi peregre sine corpore, iamque  
Curarum simul oblii caelestia tentant,  
Ac, velut in somnis, elata mente vagantur:  
Ecce vident animo species per inane micantes  
Aureolas tandem, divoque fruuntur amore.  
At iam terra tremit, laquearia sacra fatisunt,  
Ecce repentinus fragor ambos excitat: eheu!  
Defecere tristes, lapsaeque dedere ruinam:  
Ecce iacet Veneris Pario de marmore signum  
Infractum: custos currit vepallidus, atque  
Illacrimat: stupet Evenus, spectatque ruinas,  
Ac miratur hians Veneris Charitumque iacentes  
Relliquias. At tum: — Quid adhuc, — exclamat  
[Elisa, —  
Haeres in vanæ defixus imagine formæ?  
Quin, Evene, paras potius tu supplice voce  
Exorare Deum Christum? iam despice falsa  
Numina, nunc propera, terris nox incubat atra. —  
Haec effata, silens Virgo per opaca locorum  
Carpit iter, sociusque probus comitatur eum  
Dum simul ore gemunt timidae sub nocte co-  
[lumbæ.

Ubi amicitia permanet, nihil facile creditur,  
nihil facile recipitur, quod dissidium possit ope-  
rari. Si vero inimicitiae semel occupaverint animos,  
omnia quae fiunt, quae dicuntur, ita accipiuntur  
et intelleguntur, ut ad maiores et longiores profi-  
ciant inimicitias,

SENECA,

## DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA

De Periodo<sup>1</sup>

V. — Ad fingendam periodum, adduntur logicae propositioni seu nudae sententiae causa, contrarium, conditio et aliae sententiae, quas suppeditabunt loci rhetorici; v. g.;

Mitto ad te librum promissum (= propositio logica) — *Quia tardiorum adventum prospicio* (= causa movens), librum quem prioribus epistolis promiseram exhibeo.

Caput meum multis periculis obieci (= propositio logica) — *Nisi a prima adolescentia nihil appetendum duxissem nisi gloriam* (= conditio), nunquam me in tot dimicationes obiecisse.

Locus erat plenus tumultu (= propositio logica) — *Qui locus quietis et tranquillitatis plenissimus fere videbatur* (= contrarium), in eo maxima moles molestiarum et turbulentissimae tempestates extiterunt.

VI. — Amplificatio periodi est percellentior eius expositio.

Primum sollerter circumspiciendum est quid in sententia sit amplificandum, num nominativus an verbum, an vero alia sententiae particulae.

Deinde amplificatio fit tribus praecipue modis:

1. per definitionem; v. g.:

*Rhetorica* est crebra scriptio et frequenti exercitatione perdiscenda — *Ars illa nobilissima, cuius est tradere praecepta bene ornataque dicendi* (= definitio), || est crebra scriptio... etc...

2. per enumerationem partium; v. g.:

*Memorare novissima tua: in aeternum non peccabis* — Si tecum attente reputa-

veris imminentem, singulis momentis, quolibet in loco et negotio, mortem; si te ad supremi iudicis horrendum tribunal obita morte statim rapiendum cogitaveris; si parata improbis in inferno supplicia, si constituta probis in caelesti regno praemia saepe ac diligenter aspexeris (= enumeratio partium), || in aeternum... etc.

3) per synonymiam et verborum idem poene significantium congeriem; v. g.:

*Quae tanta dicendi facultas vestra in me beneficia explicare poterit? — Quae tanta ubertas ingenii, quae tanta dicendi copia, quod tam divinum atque incredibile genus orationis (= synonymia) || vestra in me... etc....*

VII. — Magna periodi lex est, ut eius membra nexibus quibusdam inter se quam aptissime vinciantur. Igitur scribenti in promptu sint particulae, quarum ope suspendi sensus periodorumque membra connecti solent et apodosis a protasi distinguuntur:

1. Aliae causam continent: *quum, quia, quoniam, itaque, idcirco, propterea...* etc.; v. g.:

Pythagoras, *quum* in geometria quidam novi invenisset, Musis bovem immolasse dicitur (Cic., *De Nat. deor.*, 3,36).

2. Aliae conditionem exprimunt: *si, nisi...* etc.; v. g.:

*Si* veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur, || necesse est iste, qui amicum, socium, affinem fama ac fortunis spoliare conatus est, vanum se ac perfidiosum et impium esse fateatur. (Cic., *Pro Quint.*, 26).

<sup>1</sup> Saepe coniunctio propositionis secundariae coniunctioni propositionis primariae postponitur; v. g.: *Quare, quoniam* in istis urbibus cum ummo imperio et potestate versaris, in quibus tuas virtutes consecratas et in deorum numero collatas vides, in omnibus rebus... quid tantis... de te iudicis... debeas cogitabis (Cic., *Ad Quint.*, I, post med.).

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

DE FONTIBUS IURIS ITALICI  
LINEAMENTA HISTORICAAETAS MEDIA<sup>1</sup>

3. Aliae comparationem inducunt: *quemadmodum, ut, sicut, quantum, qualis, tam, sic, tantum...* etc...

4. Aliae distributioni inserviunt: *sive, aut, vel, neque, et, cum, tum...* etc...

5. Aliae rem adaugent: *non solum, adeo...* etc....

6. Aliae rerum oppositionem seu repugnantiam declarant: *etsi, quamvis, quam...* etc....

7. Aliae sunt relativae: *qui... is, huiusmodi...* etc....

VIII. — Curandum est, praeterea, ut periodi ipsae aliae cum aliis connectantur, ope particularum, imprimis: *neque vero, et vero, atque ego quidem, etenim, quae quum ita sint, itaque, nam quum, ac primo quidem, enim vero, quin etiam, igitur, ergo, quid quod, adde quod, accedit et illud, et aliae multae, quas usus frequens ac lectio docebunt*; v. g.:

*Neque vero mihi quidquam praestabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere* (Cic., *De Orat.*, 1, 8).

IX. — Demum, numero, euphonia et harmonia in ambitu periodi minime negligitis, <sup>1</sup> maxime curandum est ut numerose cadat periodus. Quod ut fiat, clausulae a Tullio commendatae diligenter usurpentur (Cf. *Orator*, a cap. 20 ad fin.):

*Qui locus quietis ac tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo turbulentissimae tempestates extiterunt* (Cic., *De Orat.*, I, 1).

(*Ad proximum numerum*)

S. Leonardi in Helvetia.

I. Jss.

<sup>1</sup> Vide, apud rhetores, praecipuas huius in periodo numeri regulas. — Ad hunc numerum pertinet caesura quam dicunt periodorum. Caesura est, quum, post verbum quod in fine alicuius membris ponitur, quaedam adduntur vocabula, in

*Edicta Langobardorum.* — Langobardi, Germanorum ferissima gens, e vallibus Albis fluminis, et Weseris et superioris Rheni, circa medium saec. iv ad Orientes migrantes, Rhugiam (hodie Moraviam) occuparunt; saeculo autem vi, deletis Getebus, duce Alboino, in Italiam irruunt, ubi regnum conduut, sede Ticino; sed sub finem saec. viii a Carolo Magno concisi, ab Italies absorbentur. Nullis legibus, sed sua consuetudine (consuetudine loci) et usu fori sui (*Cawarfed*) ipsi vivebant; Italies tamen indulserunt romano vivere iure, ita tamen ut nonnisi a Codice Theodosiano leges paterentur, qui propterea tunc temporis in usu fuit ubique in Italia. Postea et Langobardi scriptas leges dare coeperunt, quae maxime omnium a barbaris latarum legum italic iuris intersunt. Itaque Rhotaris, eorum rex, vetustas consuetudines scriptis ex ordine digerendas iussit; exstitit ita lex, quam Ticini, anno DCXLIII, comprobante populo, promulgavit. Appellata haec lex vulgo est *Edictum Rhotaris regis*: constat 388 capitulis certo dispositis ordine, suntque de publicis privatisque delictis pacifice componendis; de iure hereditario; de donationibus mortis causa deque testamentis; de nuptiis atque de delictis domesticis; de manumissionibus, de proprietate deque contractibus; de procedendi rationibus;

quibus vox quasi requiescit; v. g.: *Etsi hebetior videtur ut tardior* (Cic., *Orat.*, 64). — Qua in re nihil aliud assequeris, nisi ut ab omnibus mortalibus audacia tua cognoscatur et imprudentia.. (Cic., *Rosc. Amer.* 34-95). — Cf. LAURAND, *Les clausules de Cicéron*.

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup. mens. Septembri.

sequuntur capitula additicia. Edicto enim accedunt novem Grimoaldi capitula; deinde « item capitula quod addidit dñus. Liutprand rex »; postea « incipit leges, quas Ahistulf rex adiunxit », et in editione quam Fridericus Blhume curavit, etiam « Principum Beneventi leges et Pacta ».

Latum promulgatumque est Edictum « pro subiectorum nostrorum commodo », ut scilicet, proculdubio Langobardos Germanosque omnes qui una cum iis « divina providentia adducti » in Italiā descederant, teneret. Utrum et victos Italos teneret, nondum satis constat: tenuisse censemus in iure publico; in privato vero non paucae leges feruntur expresse pro alterutris (« Si quis Langobardus: si quis Romanus homo... »).

Edicti animus dicendus vere Germanicus; non tamen plane immunis a iure scandinavo, saxonico, romano et canonico; plerumque cavit de iure publico poenarum aut administrationis; sed quae commercia iuraque privatorum attingant non desunt. Germanica proculdubio sunt quae cavitur « de proprietate collectiva »; Scandinava, exempli gratia, est successio hereditatis, non legitimis quoque filiis patens; Saxona quod ei qui sine legitimis filiis maribus decesserit, filiae in universum succedant; latissimi cognationis gradus ad hereditatem admissi, communio bonorum inter fratres, aliaque de emptione. At Romana sunt complura: ut, exempli gratia, manumissio inter sacram altare, alia de venationibus, de praescriptionibus, de cognatione et affinitate computanda quatenus impedian matrimonia; de vetitis secundis nuptiis; de hereditate uncis aestimanda; de exhereditationibus. Adeo complura ab Ecclesia derivantur; v. g. quod donationes ad causas pias valeant (ex iure Liutprandi) etiamsi absque sollemnibus; testamenta inducta favore animae; quod ius canonicum in re matrimoniali vigeat uti civile;

quod paria utrumque viri ac mulieris iura sint. Nec desunt vestigia Visigothici iuris; quamobrem si stylum vere barbarum praetereamus, fatendum est Rhotaris edictum omnibus barbaricis legibus praestare, et « romanitate » quadam, et perspicuitate et certa quadam mitiore severitate; ut assentiri non omnino possimus Gravinae, eleganter, uti solet, scribenti, Romanum ius diu exsulasse, tandemque ab ipsa Ravenna excessisse, postquam ab Imperio Romano per Aistulphum, Langobardorum regem, fuit avulsa, circa annum DCCLII. Itaque Italiā maiestate simul et legibus exutam suis, iugum Imperii legumque subisse barbarorum, dominamque rerum humanarum sensim pristinae libertatis veterisque magnitudinis per longum ac vile servitium privatam, pro splendore atque humanitate iuris, ferinas immanesque Langobardorum leges accepisse. « Quas autem regiones ius atticum in Romanos mores traductum, et ex prisca omnium saeculorum sapientia conflatum diu rexerat, postea usque ad Lotharii (Saxonis) tempora occuparunt Visigothicae, Langobardicae, Francicae ac Burgundiorum pudendae leges, sive potius barbarici ingenii libidines, quae continentur in Codice inscripto « Corpus legum antiquarum », appellatum vero a Rhotari rege, qui primus eas collegerat, « Edictum »; ex quo ius langobardicae dominationis tempore reddebat, quum ex Romano iure nil aliud superfuerit, quam quod moribus adhaeserat Italorum, quodque ipsum civile commercium usitataque contrahendi ratio retinuerat. Nam haec usitatoria erant quam leges langobardicae, in iis praesertim quae ius attingunt privatum, nec Langobardi adeo multi ut Italicos mores ususque possent opprimere atque delere; neque eorum imperium adeo diu viguit in Italia, sed tantummodo duo ferme saecula; neque tandem omnia improbanda pudendave erant in iure langobardo,

Nil igitur mirum quod edictum viuerit in universa paene Italia, etiam extra Langobardicam ditionem, etiam postquam Langobardicum regnum dilapsum a Franchis quassatumque corruit, ad XIII usque saeculum, saltem pro Langobardis, inseruitque in ius romanum Germanica non rara nec dubia elementa, praebuitque priam veluti texturam iuri ipsi feudali.

SYLVIA ROMANI.

## SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

### A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE LATINE VULGATAE

#### NOTITIAE.

##### DE VALORIBUS - LIMITIBUS NUMERI REYNOLDS.

Dr. M. Panetti. revocatis formularum quantitatibus fluidorum in saltu pressionis trans foramen quo diametrum reducitur, loquitur de valoribus - limitibus numeri Reynolds, et exponit possibles presumptiones circa influxum asperitatis parietum et rationem qua definiri possit ipsa asperitas.

Disceptat insuper de inquisitionibus in Venturimetros et in mutationes quae, ex pulsationibus velocitatis in ductibus, foramen habentibus, inducuntur in indicatione instrumenti.

Enunciat denique quid oporteat inquirere, refertque experientias quas tres italicae officinae acturae sunt.

##### DE AMPHITEATRO MURENICO RUTOR.

Dr. E. Sacco, amphitheatrum murenicum Rutor in valle aostana supra *La Thuile* nuper descripsit.

Maximum momentum huius recens detecti amphitheatri est in congruenti ra-

tione sua et in multiplicitus arcibus murenis, ex quibus bene ostenditur eius regressus frontalis iuxta modum et tempus.

Adsunt etiam laminæ photographicae, in quibus, maxima cura, visive describitur transformationum evolutio.

Quapropter quum amphitheatrum plures a doctis viris et ex photographicis laminibus illustratum et descriptum sit, bene nunc cognoscuntur quae ad evolutionem transformationum spectant.

Historia vero eluvionum, quae vallem ipsam superfuderunt, optime nobis patefecit successionem variarum oscillationum a saeculo XI.

Auctor ipse, tacheometro usus, opportune collegit prominentiam amphitheatri ut hodie se praebet, et haec omnia accurate descripsit.

##### DE PLIOCENE MARINO IN VALLE PADANA.

Perspecto solo atque fossilibus inventis in puteolis nuper terebratis, F. Sacco recognoscit Pliocenem marinum superiorem (*Astianum*) adesse parum profundum sub alluvione quaternaria Taurinensi, breve exponit Pliocenis marini extensionem sub Quaternario Vallis Padanae.

##### DE PUTEO TEREBRATO OMNIUM PROFUNDISSIMO.

In ditione comitali Upton, Texas occidentalis, puteus petrolierus n. 103 a societate *Gulf Producer Co.* fossus, attingit nunc profundum metrorum 3510, quam nullus adhuc puteus adeptus est.

##### DE DYSLOCATIONE VERTICUM TERRAE.

Prof. E. Cortese in animadversionibus a se nuper editis disserit de dyslocatione verticum terrae ac de eius consequentiis, et inquirit praincipue in mensiones, quas G. H. Darwin egit circa valorem massae dyslocatae in ipsa orbis parte superficiali, quae capax sit huius dyslocationis.

DE NOVIS DEPOSITIS SALIUM POTASSICORUM  
INVENTIS.

Institutum chemicum Academiae scientiarum, simul cum societate, cuius est petrolii monopolium Ural-Emba, invenerunt abundantia deposita salium potassicorum (clorurorum et sulphatorum) in ditione Ural-Emba.

Illa regio est in U. R. S. S. sale fossili omnium ditissima: ex iis nonnulla in 12 km. longitudinem patent, dum profunditas est notabilis.

Salia potassica in permultis depositis simul cum sale fossili inveniuntur.

#### DE LADINICO SUPERIORI IN INSULA RHODI.

Proff. C. I. Migliorini et S. Venzo inspexerunt ladinicum superius Rhodi in insula.

Prof. C. I. Migliorini inquisivit in stratigraphiam et tectonica regionum insulae, in quibus ladinicum superius emergit, et illustravit naturalem resectionem quae invenitur apud Luca Vunò inter septentrionem et occidentem.

Prof. S. Venzo autem descripsit faunam fossilem, quae constat ex 27 speciebus, quarum plures iam notae sunt, praecipue in librimento S. Cassiani.

#### DE NOVO DEPOSITO AURIFERO INVENTO.

Doctor Sokichi Taka, in Universitate Kyushu professor, nuper reperit copiosum depositum uraniferum, quod censem eximere rempublicam posse Iaponum a radio importando; immo fortasse exportationem sinere.

E mineralis examine constat ita ipsum esse constitutum: 62% oxydi uranii, 15% acidi phosphorici, 6% calcis, 15% aquae; ergo est, ut videtur, autinites.

Depositum situm est in Praefectura de Yamaguchi.

#### AD S. STANISLAUM KOSTKAM

*Inter scelestām crimina temporum  
o quam pudicis Kostka nitoribus  
exsurgit, ultro nos lacessens  
sidereas adamare sedes!*

*Efflata caelis aura favonii  
Illum rubetis primula saeculi  
eduxit insolentem chorisque  
Caelicolum super astra iunxit.*

*Doctus fugacem spernere gloriam  
fastumque mundi vanaque gaudia,  
virtutis angustum tenellis  
carpit iter generosus annis.*

*Amore raptus Numinis, auribus  
si verba captat forte salacia,  
attritus immani repente  
deficit exanimus dolore.*

*Quam saepe vultus poplite Virginis  
flexo decoros deperit aestuans!  
quam saepe perfusis rubescunt  
turgiduli lacrimis ocelli!*

*Illum supremos Mater anhelitus  
Iesu trahentem visit ab aethere.  
divunque consensit Puellum  
languidis manibus fovere.*

*Hac luce doctus, quam bene profuit  
tenebrisoso saeculo ad inclytas,  
locis pererratis remotis,  
Loiolidum remeare sedes.*

*O dulce visu, cum prope languida  
ardore dio pectora cogitur  
apponere algenti seorsim  
fonticuli salientis undae!*

*Felix ephebus, cui pia siderum  
Regina curis dulciter adfuit,  
impura cui numquam ligustrum  
virginum temeravit aura.*

*O tu iuventae praesidium et decus,  
nostrum integellum protege flosculum,  
per astra sic tecum licebit  
parthenios iterare cantus.*

Romae, in festo S. Stanislai Kostkæ, d. XIII m. Novembr. MCMLXXV.

V. GENOVESI, S. I.

#### COLLOQUIA LATINA<sup>1</sup>

##### Cantus musicus

SABINUS, CRESCENTIUS.

SABINUS. – Auditione accepi, te in ludum itare musicum, Crescenti.

CRESCENTIUS. – Mene? audisti vera.

SAB. – Quoties per hebdomadem?

CRESC. – In dies singulos.

SAB. – Qua hora?

CRESC. – Duodecima.

SAB. – Utrone pater voluit, an tu ab eo precibus id extorsisti?

CRESC. – Exoravi patrem; nec muto factum.

SAB. – Cur? quaeso.

CRESC. – Quae hunc intemperiae tenent? Haben' tu aures, an auriculas tantum?

SAB. – Enimvero habeo aures, nisi eas hoc temporis articulo perdiderim.

CRESC. – Quid ergo interrogas, cur discam canere?

SAB. – Non absurde id quaero.

CRESC. – At ego dico absurdissime. Quid enim musica dulcius? Quid illa sonorum temperatione auribus gratius aut iucundius?

SAB. – Scire fidibus et canere cithara, testudine, barbito, multo esse suavius quo vis pignore contendam; at de vocibus, libentius audierim Sirenas, aut luscinio lam, aut cygnus in morte canentem:

*Dulcia delecta modulatur carmina lingua  
Cantator cygnus funeris ipse sui.*

CRESC. – Ista reprehensio inscitiam tuam coarguit; nam si musicam scires, nunquam facultatem nobilissimam in vituperationem adduceres.

SAB. – Non diffitebor me artem hominum feriotorum, languentium, et nihil

agentium ignorare. Aures permulcat illa quidem; in animo voluptatis nihil relinquit ut litterae.

CRESC. – Necesse non est, si litterae sunt bonum, musicam esse malum: nec si illae plus possunt, ideo hanc nihil prodesset.

SAB. – Acumen dialecticorum. Patet tam in musica nimium deditos, esse idiotas fere, tria verba latine loqui nescire.

CRESC. – Haud me dedam immoderate, non dico amplius.

SAB. – Nolim ego tempus disperdere in repetendis, et usque ad vomitum pene audientium recantandis per dies integrum hisce syllabis: *ut, re, mi, fa, sol, la*. Praeterea in ligaturis, fugis, cantibus naturalibus, consonantiis perfectis, imperfectis, resolutionibus, diapente, diatesseron, et simillibus tricis.

CRESC. – Mihi relinque istas tricas, et perpende in quos hoc maledicti conferas.

SAB. – In neminem.

CRESC. – In multis praestantissima dignitate, et in excuso aetatem agentes viros, qui animos pondere curarum lassos, cantiunculis remittunt ac relevant. Sanctarum litterarum summa est auctoritas, qua commendatur musica.

SAB. – Novi tamen clarissimos gravissimosque viros, qui ne ponantur in suspicione levitatis, canere quum sciant cantu consulto abstinent.

CRESC. – Fasesse hinc, Mome; tempus est in ludum eundi. Vale.

SAB. – Ito, ito et bonas horas male perde. Canta ab usque mane ad vesperam, canta in somnis quoque.

CRESC. – Et tu, quoad lubet, in caelum iaculare.

<sup>1</sup> Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Pro gymnas mata latinitatis*. — Passim retractavit, ho diernisque moribus aptavit I. F.

*Usibus edocto si quidquam credis amico,  
Vive tibi et longa nomina magna fuge.  
Vive tibi, quantumque potes, praelustria vita,  
Saevum praelustri fulmen ab arce venit.*  
OVIDIUS.

## ANNALES

**Italiam inter atque Aethiopiam discimen.**

Quae in orientali Africa inter Italianam atque Aethiopiam fiunt, ea et ad universi orbis negotia hodie referri non immerito dixeris; Nationum enim Societas, suadente praesertim Anglia, constitutis pluribus coetibus, qui variis propositis rationibus rem considerarent, neglectisque oblatis ab Italia explanationibus, eo properanter devenit, ut sanctiones in Italianam renuntiaret. Obstant firmiter Austriae Hungariaeque legati, suam amicitiam gratumque animum erga Italianam excultam hominum vitam tutantem, repetentes; Laval, Gallorum legatus, dum obsequium confirmat in Societatis statuta, contendit iterum ut bona partium voluntate compositio aliqua instituatur; eique aliae nationes accedere videntur; Eden vero, Anglorum minister, rigidas declarationes suas renovat, eas communi sociorum officio fulcens cuivis adversandi bello; Italorum denique legatus gentem suam, quum iam quolibet Societatis Nationum auxilio destituatur, ad incolumentem suam in Orientali Africa tuendam necessitate impulsam profitetur viribus suis eidem providendi. Ita ad sanctiones in Italianam confirandas deuentum est, abstinentibus tamen a suffragio Austria, Hungaria et Illyrico; ita sublatum interdictum ne arma in Aethiopiam exportarentur; ita vetita Italiae fides et pecuniarum quaeviis ratio, merciumque permutatio; idque a proxima die xviii mensis Novembris.

Ita etiam Italia bipartito agmine, hinc ab Erithraea, inde a Somalia, per Aethiopiam iter pergit, locaque, quorum plerique iam sua fuere, Adigrat, Entiscio, Adua, iterum in potestatem suam redigit; Axum quoque, sanctam Aethiopum urbem, occupat; eaque omnia fere sine sanguinis

effusione — (incolae enim Italico regimini sponte se dedunt cum principibus suis, inter quos Ailé Selassié Gugsa, Aethiopum Imperatoris gener, ex oppido Makallè, qui que Tigrai regionis praefectus ab Italorum rege constituitur) — et servorum ignominiam dirimens, quorum sexdecim millia in libertatem vindicati iam sunt.

\*\*\*

**Regia auctoritas in Graecia restituta.**

In Graecia summorum copiarum praefectorum detrectatio, administratorum collegium, cui Tsaldaris praerat, coegit ut a munere sese abdicaret; publicus autem coetus legibus ferendis popularis regimini finem sanxit, regiam auctoritatem restituit, Condylisque, militiae magistrum, elegit ut vicaria regis potestate summa interim rerum gubernaret: populi scitum quae facta sunt erit proxime necne comprobaturum.

POPULICOLA.

## VARIA

**Quot modis populus Romanus urbes occupare consueisset.<sup>1</sup>**

Nonnunquam oppugnationem in obsidionem convertebant, ut apud Veios, Carthaginem et Hierosolymam accidisse novimus; vi coniuncta cum fraude occuparunt Romani Paleopolim, quam ex principibus civitatis aliqui, initio cum iis consilio, tradiderunt. Etsi autem saepe cum a populo Romano, tum aliis gentibus attentatus sit hic modus occupandarum urbium, raro tamen successit. Nam clan-

<sup>1</sup> EX NICOLAI MACHIAVELLI opere « De republika disputationes ex prima decade T. Livii » latine reddidit H. BINDI. — Cf. fasc. sup.

destina consilia ex levi causa impediuntur; quod si etiam secreto omnia conservantur, multae tamen difficultates incident, propter quas ea minus prospere succidunt: aut enim tardius citiusve convenient quam inductum fuerit, aut alias error aliquis aut strepitus quidam ex improviso ortus, consilium prodere solet; veluti Gallis accidit ex anserum strepitu, quum ad occupandum Capitolium accincti essent. Hisce accedit quod quum per noctis tenebras tractari soleant huiusmodi consilia, multum terroris incutunt iis qui illa tractant, ex quocumque impedimento perturbata, praesertim quod et situs locorum et hominum ignari esse soleant milites, qui ad huiusmodi facinora patranda addicuntur; et ob id ex quovis motu, aut accidente perturbati, in fugam convertuntur. In huiusmodi fraudolentis consiliis tractandis plurimum poterat Aratus Sicyonius; sed idem ipse in aperto conflictu pusillanimis fuisse dicitur, ut naturali quadam vi ad illa potius quam ad haec tractanda natus esse videretur. Saepe igitur tractantur haec furtiva consilia, sed eadem raro bene succedunt.

Per ditionem occupantur urbes, partim quum illae sponte se dedunt, partim quum ob aliud maius periculum se dedere coguntur. Capua enim populo Romano se dedit, metu ne in Samnitium potestatem veniret. Sed Massilienses, Rhodii et aliae quaedam civitates sponte sua se dererunt, permoti sola spe quam conceperant fore ut legibus Romanis felicius vivent, et meliorem formam reipublicae instituerent. Multae vero civitates se in alicuius aut populi aut principis potestatem dedere coguntur ob id quod ipsae semetipsas defendere nequeant, praesertim quum vel longis obsidionibus fatigatae, aut alias excursionibus, praedis ac populatoribus vexatae fuerint; qua ratione populus Romanus plurimas urbes occupavit, praesertim a principio Urbis, quod

quadrigentis quinquaginta fere annis, hoc modo cum vicinis bellum gesserit. Etsi enim ceteris quoque modis omnibus occupandarum urbium usus sit, tamen quia in ceteris plus laboris temporis sumptuumque requirebatur, hoc quam illis uti maluerunt. Accidebat enim quandoque, ut ex praelio uno die feliciter commisso, regnum occuparent, quum in obsidione unius pertinacis urbis, aliquot anni quandoque cum dubio eventu consumerentur: in expugnanda ea per vim, periculum ingens deprehenderetur, in occupanda ea per prodicionem nil certe succederet.

\*\*\*

**Talpa et Mus**

Caecum quidem esse animal talpam videtur minime incertum esse, sed habet tamen quiddam oculorum simile, vel etiam oculos fortasse, quibus tenuissima membrana praetenditur. Huius generis unum gloriantem de oculorum pulchritudine coram Mure accepimus; cui Mus respondisse fertur: — « O pulchros oculos, qui nihil aspiciant! ».

Reprehendit fabula arrogantiam et inanes ostentationes.

\*\*\*

**Pro iudicibus mensarum elegantibus.**

ESCARUM ORDO:

*Ius tritis spinachiis ovique luteo densatum.*

*Moretula ex palinuro vulgari.*  
*Artocreas oryzinum fungis fartum.*  
*Meleagrides assae cum acetariis.*  
*Millefolium Italicum.*

\*\*\*


**Locosa.**

Pater Tuccium monet quo maturius lecto mane surgat, narratque notam fabulam illius viri, qui primo mane crumenam nummorum plenam invenit.


PAG.	PAG.
De distributione « Terrae Nigrantis » in Italia . . . . .	100
De duobus metallis in Liguria inventis. . . . .	100
De fontibus vallium prope « M. Bianco ». . . . .	100
De subterranea genealogia inter Bononiam et Florentiam . . . . .	100
De conducibilitate electrica in stratis sedimentariis . . . . .	100
De mensuris effectus electrochymici stratorum sub superficie . . . . .	102
De variatione microbiorum . . . . .	120
De zythi fermento . . . . .	120
De aurosmyrido invento . . . . .	121
De Hymalaiae montis elatione . . . . .	137
De studio chemico-agrario circa regiones Pedemontanas . . . . .	138
De nova ratione iodum extrahendi . . . . .	138
De novis fontibus petrolieris in Asia centrali . . . . .	138
De vulcanismo tertiaro et quaternario in insula Sardinia . . . . .	155
De inquisitionibus microscopicis in quibusdam mineralibus . . . . .	155
De valoribus limitibus numeri Reynolds . . . . .	175
De amphiatro murenico Rutor. . . . .	175
De pliocene in valle Padana . . . . .	175
De puteo terebrato omnium profundissimo . . . . .	175
De dyslocatione verticum terrae . . . . .	175
De novis depositis salium potassicorum inventis . . . . .	176
De ladinico superiori in insula Rhodi . . . . .	176
De novo deposito aurifero invento . . . . .	176
De dyssinchronismo in sismometria circa plateam oscillantem . . . . .	190
De terrae motu in Sampacho . . . . .	191
Notitiusculae . . . . .	30
Notificatio . . . . .	30
<b>Sententiae.</b> 14, 29, 32, 81, 135, 158, 171, 177, 194	
<b>Vacui temporis hora.</b>	
Pro iudicibus mensarum elegantibus escarum ordines ( <i>I. F.</i> ):	17, 34, 52, 69, 88,
	106, 123, 141, 179, 194
Iocosa ( <i>I. F.</i> ):	17, 34, 52, 69, 88, 106, 124, 141
	160, 179, 194
Aenigmata:	17, 34, 52, 69, 88, 106, 124, 142
	160, 180, 194
<b>Varia.</b>	
Animalia mirabiliter demigrantia ( <i>P. A.</i> ) . . . . .	41
De aulaeis, quae vulgo « Arratia » nuncupantur ( <i>Forfex</i> ). . . . .	153
De varia mortis imagine saeculorum cursu ( <i>T. C.</i> ). . . . .	167

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.  
Dr. IOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

*Nuperrime prodit*

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

**COMMUNIA VITAE**

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

**Editio altera locupletior.**

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

**FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM**

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 500 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1000, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (*vulgo chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

# **ALMA ROMA**

## LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXV est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite* mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96.*

**NOSTRA RES**

*Dominicae Nativitatis festo adventante novoque anno, Sociis et Lectoribus commentarii huius nostri humanissimis bona omnia et fausta ex animo a Deo adprecamus.*

*Quae proposita nostra fuerint et sunt, ipsi bene norunt; nos autem in scripto quod sequitur sub titulo « Nostra res », data occasione, hodie confirmamus; qualem eorum perficiendorum mentem habuerimus, in proximo Ianuarii mensis fasciculo an. MCMXXXVI, qui vitae nostrae erit XXIII, edicemus.*

*Id vero iam declaramus, immutatum relinqui subnotationis pretium, quod est pro Italia libell. 15, ubique extra Italiam summa, quae Italicas libellas 30 exaequet.*

*Perstent nobis fideles ALMAE ROMAE socii veteres; novique addantur, qui societatem nostram ampliorem in dies potioremque effecturi sint.*

A. R.

Agitur in primis de quaestione utrum et eosque classicorum latinorum lingua hodiernis rebus exprimendis succurrere possit: nonnulli *Almae Romae* peculiares scriptores — ait — hodiernae vitae aliquantum cedunt; moderatores vero minime; quemadmodum in promptu est legenti quae Polonicae Societati ineunte hoc anno 1935 rescribant. Atqui meminisse iuvat quae iam anno 1908 *Praeceptor Latinus*, americanus commentarius, optime monebat: « ... nobis, seris Latinitatis nepotibus, in hac idearum coepitorumque novorum aetate, oratio nova est creanda,

videlicet technica. Nisi enim linguam technicam creando pares simus, programma nostrum est absurdum ».

Ita ille. Atvero, si in *Almae Romae* paginis scriptores admittimus, qui hodiernae vitae aliquantum cedunt, ut dici potest moderatores minime? Si iis non assentirentur, eos a scribendo commentario excluderent. Quae vero est huiusmodi cessio? Quae semper praedicarunt de novis vocabulis effingendis; ea nempe tunc tantum adhibenda, quum latina deficiant, aut recto aut translaticio sensu; efformanda autem tum a graeco fonte, tum a latino saltem sensu non abnormia; ita ut — quemadmodum hunc novum annum auspicantes animadvertebamus — ea rerum confusio non oriatur, a qua ne damnum causae nobilissimae generetur valde sit timendum. Cuique enim vocabula effingere non licet, eoque magis si e propria uniuscuiusque lingua derivaverit, et ea nonnunquam a latina prorsus aliena; atque etiam novas voces creare, quas ad eamdem rem exprimendam Latini iam haberent. « Dum igitur — addebamus — imprimis oportet ut studium latinae linguae, latini lexici augeatur (optimum enim linguae studium est lexici studium; studium, inquam, quod ad medullas usque linguae perveniat), necesse pariter est, ut voces ad hodiernae vitae significations inducendas rationabiliter, ut ita dicamus, et iuxta latini sermonis intimam vim, rationem, formam, stylum effingantur, eaeque ad cribrum per doctorum virorum coetum ad rem constitutum prudenter agitantur; secus ad novam Babelicam turrim erigendam oleum et operam perdidimus ».

In summam, non est quaestio de Cicerone, Livio, Caesare aliisque Latinis auctoribus, quorum stylum purum, compitum, ornatum persequi et assequi nemo cordatus vir sibi unquam praesumpserit; sed res alio est in cardine, in illo scilicet,

quem inscius, et invitus profecto, *Praeco latinus* revelavit, et a quo ipse detrusus est: <sup>1</sup> creationem dico novae linguae « videlicet technicae », non restitutionem linguae illius, quae per saecula ad nos usque decore et splendide vixit et viguit; quae, post auctores ethnicos, ecclesiae Patribus inserviit, inserviit innumeris scriptoribus solitae orationis et poëtis, inseruit, exempli gratia, utque calamo succurrunt, Huygensio, Spinozae, Leibnitio, Neutonio, Eulero ad novae scientiae fundamenta constituenda; Lazaro Spallanzanio ad naturae res revelandas; Laurentio Mascheroni ad matheseos problemata arcus meridiani, novae metrice rationis, repetitionis circuli explicanda; Antonio Scarpa, anatomiae et chyrurgicae chemicae principia vulganda, Alexandro Volta ut de vi attractiva ignis electrici dissereret, novumque atque « simplicissimum electrorum tentaminum apparatus » describeret; et ita porro sexcentos addere possum usque ad aetatem nostram, neque ex Italiam tantum; qui quidem latinam linguam vere callentes, res quisque suas dilucide explinare ita valuit, ut si Romanus aliquis e mortuis surrexisset, eos apprime intellexisset. Ita instaurandus, ita renovandus, si reapse instaurare ac renovare eum volumus, latinae linguae usus; studio scilicet antiquorum et recentiorum, ne ipsis Catholicae ecclesiae documentis neglectis, per orbem omnem diffusis; neque minus exercitatione, ut animum, ut spiritum nostrum Latino animo, spiritui Latino informemus, unde mens, totiusque orationis

<sup>1</sup> *Praeco latinus* an. 1901 ita querebatur: « Ex tota Italia, ex tota Gallia, ex tota Hispania, — (scil. nationes vere latinae, quae in nova lingua technica a Praecone inducenda acquiescere minime poterant) — ne unicus quidem sacerdos, Universitas, gymnasium, seminarium in catalogo nostro est! » Sed ne Americani quidem, quibus ille fidebat, assentiri visi sunt, si infelix ille Praeco diu ulterius non vixit.

habitus et color, a quibus verba, eloquio, sponte non arte facta manant: sermo enim, lingua, pangì nequeunt. Haec — cum bona clarissimi Velleri pace dictum sit — haud quidem humanitas est, quae abstinet a novis rebus effingendis libentiusque ad antiquam scriptionem se convertit, potiusquam artis significaciones novissimas aggrediatur; quemadmodum suo tempore eorum non fuit, quos supra memoravimus. Neve denique obliviscamur nos de commercio loqui inter viros doctos, apud quos esse litterarum cognitionem et cultum credere profecto licet.

Certe, ex omnium disciplinarum progressionе, necesse est ut, praesertim ad molestas et aliquando etiam ridiculas circumlocutiones vitandas, itemque ad certas res non pridem notas definiendas atque tenendas, nova effingantur vocabula; at hoc, iterum iterumque contendimus, ne facere cuique liceat ac ponere, ne recognitando quidem utrum inde Babelica, quam vocavimus, confusio oritura sit.

Cuius rei ipse adversarius noster documentum hodie praebet. *Cursum publicum*, id est transmissio litterarum (tabellarum), typorum, parvarumque mercium publice facta, vult a vocabulo *posta* substitutum; vel ut saltem *posta* haec promiscue adhibeatur. Undenam et cur? Nonne hodiernae *postae* unum et idem cum antiquo cursu publico est officium, una res vehicularis? Adde quod et omnia personarum, locorum, officiorum adiuncta iam ab antiquis singillatim designata fuere: *Res tabellaria*, indeque *Re tabellaria uti*; *Vehiculo publico uti*; *Cursori publico (tabellario publico)* aliiquid perferendum committere; *Publico cursui litteras, nummos commendare*; praeterea *Litterarum (tabellarum) diribitorum*; *Publicus tabellarum diribitor*; *Per publica diribitoria aliiquid mittere*; quae vocabula et phrases omnes in singula lexica italica exteraque relata quisque invenit; nec quum scripta invenerit, quid

significant dubitaverit. Unum tantum antiquis ignotum videtur, parvam quadram illam chartaceam, pretium indicans fisco pro vectura solutum: nos *pittacium* appellavimus, quod verbum Forcellinius a graeco fonte definit: « Membranae, aut chartae particula, quae alicui rei pice vel cera aliave re affigitur, et paucis perscribitur memoriae causae ». <sup>1</sup> Quum verbum tam generali cum sensu sese praebeat, minime mirum si Petronius ad notas vinorum indicandas lagaenis *pittacia* applicuerit; at non mirum minus si vectoriis litteris ad vecturae solutum pretium indicandum nos applicuerimus, prompti semper ac parati ad illam vocem cum altera substituendam, si coetus ille, quem plures invocavimus, doctorum virorum, cuius nova verba cribrandi esset officium, alteram optima ratione indicaverit. Damnat vero praefracte, ob verbi usum a Petronio factum, adversarius noster, qui cum Dameno: *Sigillum cursuale*; ipse autem *tesseram postalem* appellare maluerit. At en in promptu confusio: *sigillum enim cursuale* illud vere sigillum a publico diribitore singulis litteris impressum, diem et horam discessus et adventus statuens, quisque facile nec immrito iudicabit; quemadmodum *tesseram postalem* intellegit chartam illam cum imagine et subscriptione possessoris, legitimis declaratis, quam apud publica diribitoria ad fidem nostri ipsius faciendam exhibemus; quae quidem quantum a re significanda distent, nemo est qui non videat.

Sed iam longe nimis producta est oratio; ut claudamus rivos, suffragium ultra libenterque cl. dri. Lurz damus, quum denique et ipse statuat, hoc quidem necesse esse: congruentem ad rem omnium cultarum nationum labore.

I. F.

<sup>1</sup> Cfr. notam: « Pittacium quid? » in *Alma Roma* an. XXI (1934), fasc. II, pag. 30.

## DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA

AETAS MEDIA<sup>1</sup>

*Leges Carolingiae.* — Merovingii, ut etiam postea Carolus Magnus, complures ad novam ordinandam societatem *Constitutiones, Edicta, Decreta, Praecepta* derunt: dici autem coepit quoque sunt *Capitularia* eo quod in capitula distribuerentur. Satis multa sunt *Capitularia* Carolingia sive de ecclesiastica, sive de civili. Erant autem *Capitularia legibus addenda* (obrogationes, adrogationes, derogationes legibus popularibus); *Capitularia per se scribenda* (seu leges a rege motu proprio datae) et *Capitularia Missorum*, seu instructiones et monita data missis dominicis.

Nulla tamen curata est Capitularium publica collectio; privatae vero permulta; quas inter eminent Capitularia Ansegisi, Abbatis Fontanellensis († 834), quae collectio ecclesiastica simul atque civilia capitularia complectitur. Laudandus quidem auctor est, quod Capitularium textum genuinum retulerit, quem hac aetate invauerint maxime constitutionum et decretali adulterationes, ut in iure canonico collectio pseudoi Isidori; in civili collectio Benedicti Levitae, diaconi Moguntini (ceteroquin ignoti), qui asserit sese completere voluisse collectionem Ansegisi. Neutra quamquam multum valuit in Italia, ubi magis *Capitulare Italicum* obtinuit, capitula continens pro Italia, a Carolo Magno ad Othonem III usque edita.

Capitularia proculdubio ceteris barbaricis legibus praestant, et aequitate, et elegantia iuris, et humanitate.

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

*Leges feudales.* — Iam Merovingii, et eo magis Carolingii, consueverant potentes quosdam arctius sibi devincire, dantes eisdem partem quamdam imperii ad modum beneficij (*fehod* = merces, praemium, donum) quasi ad instar beneficij ecclesiastici; deiectis autem Carolingii, *feudatarii* facti sunt totidem principes, privilegiis et immunitatibus cumulati ab ipsis imperatoribus Germanicis. Maiores autem, feudatarii minores sibi devotos feudatarios constituebant, ita ut ordo quidam novus exstiterit; cuius in gradibus eminentioribus erant *Comites, Marchiones* et *Episcopi*, *Abbates* et ceteri principes; sequabantur *Milites, Valvassores, Valvassini*; inferius homines liberi et minus liberi. Aetas feudalium diduci potest ab ultimo Carolingio (888) ad *Communia* et *Dominatus* (exeunte saec. xii). Quibus in adiunctis ius recessit ad mores et ad forum; leges imperiales fere nullae aut nullius fere roboris factae sunt; quin et easdem promulgare ac publicare ardua res: expolita idcirco est, maxime opera fori, cognitio consuetudinis, et distinctum est inter bonos et pravos usus, inter consuetudinem et abusionem; receptumque est consuetudinem non esse nisi rationalis esset.

Serius eiusmodi consuetudines approbatae sunt, exstiteruntque, praesertim in Gallia et Hispania, fons iuris nobilissimus.

*Formularia.* — In tanto iuris atque iuris scientiae squalore, quum vitae usus urgeret, res ad cotidianas quasdam<sup>1</sup> usitatores formulas reducta est; apparatae igitur sunt certo numero formulae, ad quas vita iuridica erat quaquaversus conponenda; atque ubi antea collectiones iuris atque iurisprudentium opera edocebant, nunc *Formularia* succurrunt, quorum ad nos exemplaria pervenerunt ex gothica, langobardica, carolingia periodo.

\* \* \*

Ex iis quae de legibus diximus iam facile coniicitur status doctrinae; quae licet ad ima collapsa, nunquam tamen extincta est plane: Romae enim nunquam schola iuris evanuit, ac Ticini a Langobardis sua schola fuit excitata.

Romae elementa iuris iam antea tradebantur etiam in grammatica, dialectica, ac potissimum in rhetorica; uberior autem doctrina hauiebatur e consuetudine cum iuris peritis: uterque ludus permanisse fertur et hac aetate; sed, ut par est, Ravennae quoque excitatum est a Theodorico et a Byzantinis studium iuris; nondum autem quidquam fertur de Bononia. Ludorum usui exornata sunt, tum a magistris cum a discipulis, « manualia, summaria, glossae », concinniora saec. v et vi, viliora postea. Ex quibus satis sit revocare quae vulgo appellata sunt:

a) « *Glossa Taurinensis ad Institutiones* », antiquitate ac rerum copia praestantissima;

b) « *Summa Perusina* », ad priores Codicis libros octo: rudis, inelegans, barbara; forte saec. vii;

c) « *Glossa Pistoriensis* », quae est apparatus satis rudis ad Codicem;

d) « *Lex Romana canonice computa* », collectio canonica saec. ix, deprompta etiam ex *Institutionibus*, Codice, Epitomis et Novellis Iuliani;

e) « *Epitome exactis regibus* », quae nomen duxit ex initis verbis, et systematica explicat iuridica verba Digestorum et Codicis Iustiniani;

f) « *Brachylogus iuris civilis* », qui *Institutiones* imitatus, veluti introductio est in ius romanum; sed et elementa continet nova atque a romano iure sane aliena. Fortasse Ravennae digestus est inter saec. x et xi; immerito autem a nonnullis opus Irnerii censetur.

g) « *Exceptiones legum romanarum* »,

quae sunt excerpta ex iure romano summatis digesta. Opus Ravennae concinatum est, forte saec. xi, a quadam Petro, quem plures haud iniuria censem S. Petrum Damiani fuisse: affabre, nec ineleganter exornatum, diu valuit et exemplo fuit.

Sed et Langobardi suam habuere scholam doctrinamque iuris, non tam ad scientiam, quam potius ad usum; quas dominatio Carolingica non modo non delevit, imo vero servandas curavit, ne civilis societas funditus perturbaretur. Itaque studia, neque ea ignobilia, iuris excita sunt praesertim Ticini, atque etiam Mediolani, Mantuae, Bononiae intra saec. x et xi. Scholae Ticinensi tribuendus est « *Liber Papiensis* », cui nomen etiam « *Liber legis Langobardorum* », vel « *Lex Langobarda* », vel « *Lex confusa non intitulata* »: fundit enim Rhotarianum Edictum et *Capitulare Carolingium*. Praeterea « *Liber Langobardae* » vel « *Lombardae* » systematico ordine digestus non ab uno forte auctore neque eodem tempore (circa medium saec. xi): opus maximus momenti atque usitatissimum. Huic accessit « *Expositio ad librum Papiensem* » (post ann. 1070), quae et glossas adscribit, maxime ex iure romano, et singularem legum rexit historiam, iuris consultorum opiniones, easque discordes componit, Langobardicum ius complet Romanum, nec obscure ad ius romanum trahit. Dixeris postremum nobilissimumque carmen Langobardici morientis iuris, aut veluti praeludium Romani resurgentis. Nam postea Papiensis schola siluit et occidit, ius Langobardicum in Italia inferiore etiamtunc habuit « *apparatus* » et « *Glossas* », non equidem magni momenti; Romanum autem sedet plaudentibus viris peritis atque cito triumphat.

SYLVIUS ROMANI.

## PAGINA VERGILIANA

Humano dilectoque sodali MARCO GALDI

*Qui mihi prompsisti generosos pectore sensus,  
illa qua trepidans ipse pericla die  
ardua te mitti superavi iudice vitor,  
explicitas grates excipe corde meas.  
Sed tibi quas referam tanto pro munere grates?  
pro re versiculos non satis esse reor.  
Heu pudet, heu ternos tecum siluisse per annos!  
non ego sum venia, non ego dignus ero.  
At bona verba loquens hodie tu, fronte benigna,  
en mihi literulis obvius ecce venis.  
Quod mihi Vergilius tribuit sua praemia nuper,  
tu plaudens hilari gaudia mente capis.  
Nec satis o! veluti tibi sint quae digna legantur,  
carmina quae pepigi corde movente petis.  
Quid, cum versiculos humiles hos legeris? o  
[quid,  
cum mea Phoebeo lumine Musa caret?  
Me quoque pastores quandam dixere poëtam;  
laudibus at nunquam credulus ipse fui.  
Exardens animo pingebam somnia; sacri  
culmina sperabam tangere celsa iugi.  
Mens mea tunc expers curis, ignara malorum,  
suadebat roseas aetheris ire vias.  
Vanuit illa brevis defluxis floribus aetas;  
ad me comperio quam grave spectet onus.  
Postea quot luctus, inopini quoque labores!  
mens mea tristis adhuc funere mersa dolet.  
Attamen aetheria, rebus sim pressus inquis,  
spe non destituo. Me regit usque Deus.  
Me regit usque Deus, miserans qui cuncta tuerit;  
qui mihi speratum dat columenque meis.  
Fidentes oculos sustollo semper in altum,  
nam mihi subsidium desuper omne venit.  
Quid prodest animas speciosas credere mundo,  
fraudes cum reperis, maestus ubique dolos?  
Per mare quid prodest trepidas vectare carinas,  
auri cum duplicit fenera parta famem?  
O melius, melius mediocrem vivere vitam,  
quam diris stimulis tempus in omne premi!  
Libera frugiferis desurgens villula campis  
me tandem recipit, commoda satque domus.*

*Et meminisse iuvabit.*

*Hic rubeam vidi cerasum florere; beatas  
uxorem video filiolasque meas.  
Hic mihi Vergilius, tenere quem semper amabo,  
interdum suadet sollicitare lyram:  
Tum mihi, dulce loquens, faciles pia Musa su-  
[surat  
quos dein versiculos igne calente struo.  
Hic quoque Flaccus adest, memorat qui saepe  
[Sabinas,  
felix Attalicas nec sibi querit opes.  
Quod nuper lepidum nostri tenuere poëtae,  
audit colloquium; nec nova verba quidem.  
Nescio certantes dubiae quid litis haberent,  
cum monet ecce Maro: «Desine, Flacce, iocos.  
Aetas apta iocis lapsis iam vanuit annis;  
iam, nix heu! nostras inficit alba comas».  
«Hinc age!» Flaccus ait. «Roseas incinge co-  
[ronas.  
Nec tua membra rigent, nec mea. Carpe  
[diem].  
Contra: «Claude, senex, rivum: sat prata bi-  
berunt.  
Invida, dum loquimur, fugerit hora brevis».  
«Tu ne quaequieris mihi, quem tibi Numa fi-  
[nem  
vitae iam dederint: noscere namque nefas».  
«Scire nefas? animum quoque, nec tibi Massica  
[reddent,  
omnia fert aetas. Mors cita, Flacce, venit».  
«Quid vult tristis avis? Paulo meliora canamus!  
Intermissa Venus denique serta refert.  
Mox tua Cumaei veniet mox carminis aetas.  
Ter ternis cyathis funde Falerna, puer!»  
«Insanire licet quoniam, tibi pocula ponam:  
aurea nam redeunt saecula Paxque redit.  
Iam nova Progenies caelo demittitur alto».  
Ridens Flaccus ait: «Ne, precor, istud agas!  
Quis puer iste tuus, gravidis qui nubibus actus  
decidet in terram? Ne caput ipse terat!  
Non tua quae legi delirae somnia mentis,  
ista recordanti non mihi, crede, placent.*

*Sunt regnanda viris tantum terrestria; caelo  
Di sua sceptra tenent, non sine iure tenent». «Quam tibi nunc retuli, res est non parva. Si-  
[lebis  
quando, Flacce? Time; nam Deus iste puer». «Post haec, Aeneadae, risum teneatis? Olym-  
[pus  
mox Superis vacuus mox licitandus erit.  
Num simul intersint hominum Di partibus, ulti-  
cum non sufficiat Caesar et ipse sibi?» «Quid vult nunc Caesar, populi quem Numen  
[adorant?  
Illius imperium non sine laude viget». «At regit impositis terrarum legibus orbem;  
odia nec mentes deseruere tamen.  
Ni Deus adveniat caelo demissus ab alto,  
quis dabit o! validum, dulce levamen, opem?  
Est Deus optatae tribuet qui munera Pacis;  
aspera qui vincet pectora namque Deus.  
Hic puer extinctam pavida sine clade leonis  
obtundet rabiem blandaque iussa dabat.  
Odia disperdet demptis infesta venenis,  
anguis et horrendi conteret ipse caput.  
Hic veterem renovans caelesti numine terrae  
mutabit faciem fundet et ore iubar.  
O mihi tum longae maneat pars ultima vitae,  
ut tua, care puer, dicere facta queam!» «Haec ego, quae socio vates sermone locuti,  
haec mihi nunc licet, Galde, referre tibi.  
Tu modo, docte, meas scribendi, Marce, remittas  
deprecor ipse moras; sat tibi gratius ero.  
Quin bonus asseciam, fraterno more, tuorum  
adde sodalitio. Sat mihi magnus honor.*

V. POLIDORI.

### NOTA

#### EXCERPTA EX ECLOGA IV

- ex quibus Puerum, de quo Vergilius noster,  
divinum esse argumentari potest.
1. Ultima Cumaei venit iam carminis aetas.
  2. Iam redit Virgo ...  
Iam nova progenies caelo demittitur alto.
  3. ... toto surget gens aurea mundo.
  4. Ille deum vitam accipiet divisque videbit  
permixtos heroas ...
  5. ... nec magnos metuent armenta leones.



6. ... serpens et fallax herba veneni  
occidet ...
7. ... aries iam suave rubenti  
murice iam croceo mutabit vellera luto.
8. Cara deum soboles ...  
O mihi tum longae maneat pars ultima vitae  
spiritus et quantum sat erit tua dicere facta.
9. Pan etiam ... dicat se iudice victim.

### DE NOSTRIS LATINAE POËSIS CERTAMINIBUS

Recte et eloquenter I. Morabitus de Hoëufftiano certamine disseruit, et quum nostrorum poëtarum opera et merita memoraverit, de inquis iudiciis questus est. Ipse quidem consentio pro nostra poësis fama et iuribus pugnandum esse; sed Batavo certamine, per sanctionum tempus, abstinentum puto, quo clarius pateat quantunculum, si nostra desint, illud certamen redeat. Quum autem peregrina emendare, ut nostrum morem gerant, facile non sit, et Patriae intersit summique reipublicae rectores iubeant nos, durantibus sanctionibus, peregrina praetermittere et nostris tantum uti, nostris Latinae Musae certaminibus (quae mendis carere non videntur) consulendum censeo, quo maioribus viribus polleant et prudentiore moderamine regantur, ita ut, ad nostram poësim promovendam idonea fiant.

Proximo Romanorum studiorum conventu, breviter de Italia et Latinæ poësis certaminibus disserui, et, quum de aliis gratulatus, de aliis questus essem, ad moderanda et instauranda nostra certamina, quasdam rogationes, quibusdam peritis vires ad hoc praelectis recensendas, scriptas tradidi, quarum haec est sententia:

1. Ruspantino et Locrensi certaminibus aliqua sodalitas vel peritorum insti-

tutum praesit, quod utraque componat et moderetur, ne alter alterum replicet vel impedit, sed potius invicem adiuventur et compleantur.

2. Certamina omnino argumento et metro libera, ut quae Amstelodami et nuper Locris quotannis indicebantur, non singulis sed alternis annis, vel rarius indicantur: nullis angustiis carmina cohibeantur, quo vel maioribus operibus aditus sit; et hac ratione certamina constituantur ut, nullis exclusis, peritiores tamen praecepue invitentur.

3. Quotannis unum vel plura certamina indicantur, quibus aut argumentum aut metrum praescribatur. Argumentum raro singillatim, saepius genere tantum decernatur. Ut exemplo agam, aut lyricum poëma, vel narratio, aut carmen historicum, aut mythologicum, aut paganum, aut Christianum, aut dialogicum, aut comichum, aut satyricum, vel aliud eiusmodi proponatur. Saepius de novis rebus argumentum sit, quo clarius pateat Latinam linguam et novissimis rebus adhiberi posse, et poëtis non liceat vel libeat aliena exempla et vestigia (nova vel vetera) replicare, sed sua cuique mente et animo elaborandum. Versuum numero modus praescribatur et certamina hac ratione indicta sint, ut, nullis exclusis, minus periti quoque invitentur, qui, argumento vel metro praescripto, ad certam metam animum vertant et in minus latis, sed securioribus finibus, suas quisque vires et opes exerceant, atque, plura experti, ne semper per eadem obvia aberrent, tandem magis idonea suae Musae argumenta et metra elegant.

4. Non raro italica carmina, potissimum optima et recentiora, latinis numeris verti placeat, quippe quae huiusmodi opera saepius doctorum hominum studia et animos in se convertant, et quamvis nihil inventionis, parum ingenii requirere videantur, non raro gravioribus mendis ca-

reant et maiore arte vel animo florent, quam, ut hoc verbo utar, *nova* carmina, quae nihil tamen novi vel pulchri de obsoletis rebus exhibeant, sed macra aut incompta, rudi vel immodica Musa claudcent.

5. Certamina certo tempore indicta et longe lateque vulgata: continuo carminum inscriptiones et sententiae enuntiantur. Deinde, non magna mora interposita, nomina et passim, in dies, labores triumvirum, vel plurium, peritorum virorum legendis et iudicandis carminibus electis, vulgentur.

6. Postremo triumviri (vel plures) amplum iudicium, communiter et summatim, de certamine, et praesertim de singulis carminibus referant. Quibus, quum aequa laudes et reprehensiones tribuant, de carminibus minus expolitis et de poëtis minus peritis, severius iudicium, per privatam epistulam tantum (si rogetur ab auctore qui suum nomen patefaciat) trahant.

7. Praemium aut optimo tribuatur, aut inter meliores dividatur: neque omnibus negare et ad futurum certamen referre liceat.

8. Optima carmina edantur et in publico conventu, quum praemia tribuantur, carmina electa legantur.

9. Interdum quum tria, vel plura, carmina ab iudicibus selecta sint, a parvo peritorum virorum coetu, legendum vel audientium, optimo, praemium tribuatur et coram populo tradatur.

10. Si forte placuerit carminum non tantum inscriptiones et sententias, sed auctorum nomina quoque vulgari, aemuli poëtae unum ex iudicibus elegant, quo certiores fiant de recto ordine et ratione laborum, non quod iudicibus diffidendum sit, sed quo maius studium et aequior poëtarum animus sit.

11. Aliud quoque experiri liceat. Quum poëtarum aemulorum nomina pateant,

editis et traditis carminibus, aemuli ipsi iudices fiant, atque, singulis a singulis carminibus lectis, ex iis iudicium fiat et praemium tribuatur, vel saltem tria vel plura carmina selegantur et vulgentur et ex iis, ab ad hoc electis peritis votis, optimus eligatur.

Talibus et huiusmodi credo studium et aemulationem poëtarum augeri posse, et certamina animos doctorum hominum in se convertere.

Haec exposui, haec rogavi in Romanorum studiorum conventu, et spero peritissimos viros ad haec et alia multa reccensenda electos, aliquod utile futuris certaminibus decreturos esse.

Unus sane mihi et I. Morabito animus est; in nostris et peregrinis certaminibus nostri poëtae quid valeant ostendere, et dignum opere pretium consequi possint. Lectores *Almae Romae* quid de poëticis certaminibus sentiant patefiant, quid possint pro certaminibus agant.

Anconae.

IUNIUS GARAVANI.

De articulo Iosephi Morabito quod sequitur epigramma etiam acceperimus:

*Quae tu scripsisti, Joseph, mihi vera videntur;  
Nec vere tantum, sed quoque dicta bene.  
Et tibi me socio, patro stimulante decore:  
Quisnam quae repetis non repetenda putet?*

P. ALEXANDER MONTI.

*Plures etiamnunc, exeunte anno, Socii sunt tum ex Italia, tum ex exteris nationibus, qui annum subnotationis pretium nondum solverunt. Eos iterum iterumque rogamus, nolint ulteriore moram admittere; immo vero rationes suas cum Almae Romae administratore quam citissime componant.*

## VINCENTII BELLINI NOTITIA

### CENTESIMO RECURRENTE ANNO AB EIUS OBITU

Per orbem late prima centenaria dies celebratur a quo Vincentius Bellinius, cuius in ingenio omne carmen visum est contineri, quod suavissimum esset atque dulcissimum, ex hac vita migravit. Eius vix nomine pronuntiato commovemur omnes, atque una cogitatione quasi nobis praesentia opera, quae descriptis pulcherrima, videmus; quae quidem, quidquid contra dixerint inepti vel calumniatores viri, Wagnerio, et Schoepmann, et Brandel aliisque sexcentis testibus, summum musices prodigium in Bellino consulantibus, solatium nobis, spes, exemplum manent singulare.

Cantor primo Vincentius, Catinae natus an. MDCCCI, e Neapolitana musices academia discessit: deinde studuit et citharae et fidibus: mox describendis musices numeris Tritto, seniore illo magistro, annum applicuit. Extremae huius artis prima Vincentii conamina cum lectissima Zingarellio, academie summo moderatori, visa essent, hic iuvenem suos inter discipulos statim cooptavit.

Effluebat iam eius ex corde sponte melos; sed artificium harmoniae, ingratum primum ingenio, forti tamen voluntate ac nunquam fracta, Haydn et Mozart modis quotidie varios numeros aptans, strenue vicit. Tunc ludenda instrumentis opera quindecim, missarum solemnes concentus tres confecit, fidibusque atque organo varia scripta dedit.

Magister inde salutatus: sed summa eius ingenii quae esset vis etiamtum latet. Tandem anno MDCCXXV dramatis cantu concinnandis manus admovit et Adelson e Salvini comoediae modos fecit, quae ipsa in academia acta est. Illuxere iam in opella germina pretiosa,

quae Vincentii in animo abscondebantur. Re quidem vera, ex academia discessurus, quod fuisse aequalium optimus diiudicatus, carminis, iuxta annum morem, musicis notis vestiendi concretum illi munus. *Ismenes* (hoc enim varii carminis nomen) tantis exceperunt plausibus, ut Barbaia, theatricalium negotiorum susceptor, novum ei dederit drama musice ludendum, *Bianca e Fernando*, quod auditum est in urbe Neapoli anno MDCCXXVI, adstantibus civitatis primoribus et ipso rege, qui, numerorum dulcedine captus, fertur magna voce clamasse primus, ut auctor ovantis populi in conspectum veniret.

Statim ad maximum Mediolanense theatrum Bellinius advocatur: ubi Romanium dramatum ad musicen scriptorem notissimum repperit: huius amicitia fructus *Pyrrata* opus an. MDCCXXVII publice datum.

Sed erat tunc scenae lyricae quasi princeps Ioachim Rossinius, neque noster valuissest aut studio aut ingenio tantum aemulum superare, nisi novisset aliquid inesse in se proprium idque aemulo negatum, suavissimam dico animi lenitatem, vimque eliciendi ex spectantium animis lacrimas. Accedebat ipsis Romanii poëtae natura tristibus animi motibus atque amoris blandiciis enarrandis mire apta; quare coniunctis viribus, ita potuerunt ambo, ut supra Paisiellum et Rossinium et Mozart ipsum corda movere Bellinius maxime valeret: quam virtutem eius praecipuum et gloriam maximam aequavit deinceps nemo.

*Straniera* drama *Pyratam* subsequuntur est, quod Mediolani pariter anno MDCCXXIX primum apparuit; mox successit Parmensi novo in theatro *Zaira* e Voltaire comica fabula exemplata; deinde *I Capuleti e i Montecchi* anno MDCCXXX, ac tandem maxima Bellinii opera *La Sonnambula* atque *Norma*, illud mense Martio, hoc Decembri mense primum editum an. MDCCXXXI.

Tunc gloria cumulatus patriam Vincentius revisere voluit. Cives exceperunt vi rum plausibus innumeris: advacatum Neapoli cantorum agmen, qui opera ab eo scripta ipso coram magistro omnia cecinerunt. Qui quidem ex labore nunquam remittens, *Beatrice di Tenda* opus anno sequenti coram Venetis produxit, et Londinum primum, deinde ab ipso Rossinio aemulo Lutetiam invitatus, hac in urbe *I Puritani* supremum sibi drama scribendum suscepit. Poteaux in oppido operi manus admovit, quod cycni veluti cantus ei fuit; nam paulo post id perfectum, viscerum atroci ex morbo brevi est absumptus. Parentalibus eius perquam solemnibus Lutetia omnis adfuit, cineresque in coemeterio Père Lachaise pie humati. Sed quadraginta post annos Catinensis precibus indultum, exuviaeque redditae civibus, qui sua in cathedrali Ecclesia reconsiderunt marmoreumque sanguinem indeleibile, grati animi monumen tum, super iis conlato aere posuerunt.

A. COSTAGGINI.

## SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

### A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE LATINE VULGATAE

#### NOTITIAE.

##### DE DYSSYNCHRONISMO IN SISMOMETRIA CIRCA PLATEAM OSCILLANTEM.

Prof. A. Proverio nuper edidit novas animadversiones de non synchronismo in sismometria circa experimenta cum platea oscillanti, in casu  $T > T_0$ . Alia experientia pro casu  $T < T_0$  exponit, quae eodem modo bonos exitus dedere.

Auctor admittendos esse autumat peculiares quosdam casus, in quibus com-

muniter dyssynchronismus applicari nequit.

Tandem rationes reddit, ob quas iterum de hoc arguento scripsit.

#### DE TERRAE MOTU IN SAMPACHO.

I. D. Carli ex Bonearensi urbe in ephemeride Societatis Sismologicae Italicae describit singillatim terrae motum qui in Sampacho (Argentina) diebus 10-11 iunii 1934 desaevit, et cuius originem, una cum geologis Olsacher et Kittl, censem esse tectonicam.

Affirmat denique Auctor causam tectonicam terrae motuum in Republica Argentina iam et recte Doct. G. Negri asseruisse, dum e contra alii causam vulcanicam suspicabantur.

## COLLOQUIA LATINA<sup>1</sup>

### XIX

#### Suggestio

MAGISTER, STEPHANUS discipulus.

MAGISTER. — Saepenumero cum minis severissimis interdixi vobis, pueri, ne suggereretis recitantibus: vos nihil minus, qui mos est vester, idem peccatum peccare non desinitis; patientia mea nimium abutimini. Iam postremum moneo, praedico et ante denuntio, tibi praesertim capilate, tibi bone Stephane, quem observavi praeter ceteros in ista noxia contrahenda diligentissimum, nisi temperaveritis ab ista intempestiva benevolentia, non ego mihi temperabo ab iracundia.

STEPHANUS. — Non soleo tam frequenter.

<sup>1</sup> EX IACOBI PONTANI opere, cui titulus: *Pro gymnasista latinitatis*. — Passim retractavit, ho diernisque moribus aptavit I. F.

MAG. — Non soles? Nemo quisquam frequentius. Prospice rebus tuis: nam acriter ulciscar te, si vel semel amplius suggestorem conspexero.

STEPH. — Spero mitiora.

MAG. — Spera quae vis; quod acciderit patienter ferto.

STEPH. — Oportet me gratum esse aduersus bene meritos.

MAG. — Etiam tu taces? Illa merita tua merebuntur quod dixi praemium. Itaque nisi finem dederitis mutuo bene merendi et imperium meum minuendi, faciam ego ut huius diei, locique, meique in omnem vitam memineritis. Et ego quidem verberando, vos vapulando defatigabimini.

STEPH. — Crudele promissum.

MAG. — Nihil hoc genere puerorum perniciosius in schola. Quid enim? Dum hinc inde, dextra laevaque, antrorum, retrorsum recitantibus subveniunt, ubi eos memoria fugit, illos reddunt ignavissimos, et ipsi exspectatione similis beneficij, socrumia socordiores fiunt. Quisque sui memor esto, poenam ne sentiat, punienda ne designet.

## ANNALES

### Italiā inter atque Aethiopiam discriminē.

Italorum copiae, plerumque a locorum incolis benigne atque tamquam libertatis vindices ubique acceptae, in Aethiopico itinere suo pergunt; Makallè oppidum, quod Italicae possessionis vestigia adhuc servabat, iterum in ditionem suam conferunt, idque et vicinia amplissime muniunt; in Dankaliae autem finibus et in regione Ogaden prudenter procedunt, vias ubique simul sternentes, quo facilius militum et commeatuum fiat tra-

ductio. In Somalia pariter, Gorrahei occupato, castra ulterius pedetentim movent.

Interim, appropinquante die xviii mens. Novembris, ad quam decretis in Italianam a Nationum Societate nummariis et oeconomicis sanctionibus initium dandum est, Italicum gubernium singulis aliis quae iisdem sanctionibus suffragium tulerunt novam eamque definitam explicationis ac reclamationis notam tradit, in qua iteratis argumentis iam pridem expressis et a Nationum Societate minime perpensis, contenditur sociale pactum longe aliter usurpatum fuisse quam rerum status ferret. Italica progressio inter gentes quae sponte sese Italico regimini dedunt, plurium millionum servorum manumissio, in humanum civilemque cultum barbararum gentium deductio ab Italia alacriter inita; haec quidem omnia quae post Genevenses consultus facta sunt, numne flocci aestimanda? Nonne novo rerum examine digna erunt, eo magis quod sanctionum arma et in ipsis destrinquentes retorquere nec sine vulnere possent? Haec natio quaeque consideret, periculaque in se recipiat.

Sed frustra omnia: die xviii mens. Novembris sanctiones Italiae irrogatae adhiberi coepiae sunt; quibus animo utique forti et erecto Itali obsistunt, ex parte sua ab acquirendis a nationibus sancientibus mercibus abstinentes, quas ipsae exportandas reliquerint.

\* \*

### Sinarum regni disceptio.

Dum Anglia ceteraeque Societatis Nationum civitates tam severe in Italianam agunt, Sinarum regnum, et ipsum Societatis particeps, sinunt magis magisque in dies libere discerpi. Post Mandchouriam a regno avulsam, quinque insuper

aliae provinciae nordicae Sinae nunciantur novam eamque sui juris, Iaponiae auctoritate, provinciam constituisse.

\* \*

### Aegyptii motus.

Interim Aegyptus commovetur: contra Angliae voluntatem liberam suam constitutionem repetit, idque per tumultus, quos vi sedare oportet, scilicet sanguine.

\* \*

### Ex aedibus Vaticanis.

Dum scribimus in arce Vaticana Pius Pp. XI consistorium habet ad Purpuratos Patres viginti creandos. In allocutione ad Sacrum Senatum habita, ita de inquieto universi orbis animo queritur:

« Nec tristia desunt, quae paternum animum Nostrum summa aegritudine opplicant; ut ea potissimum quae in Russiarum regionibus et Foederatis Mexici Civitatibus eveniunt, et nonnulla etiam, quae in Germania contingunt.

« At ne ultra maestis huiusmodi de rebus disserendo, procedamus, ad bellicas nominatim contentiones quod attinet, quae Europam non modo et Africam, sed universum etiam terrarum orbem tam diuturna anxitudine sollicitant, ea de causa suademur, quod, in tanta eventuum hominumque incertitudine, periculum subest ne verba Nostra, quaecumque eadem sint, vel non recte omnino intelligentur, vel in contrarium sententiam detorqueantur.

« Ceterum, quae pro veritate, iustitia caritateque, hac super causa, aequa a Nobis recteque expeti poterant, ea non semel, animum aperiendo Nostrum, patfecimus; ac novimus fuisse ea, quae occasione data, protulimus, per publica diurna acta tam late pervulgata, ut in

communem eorum omnium notitiam pervenire potuerint, qui non modo percipient veritatem, sed eam etiam a Nobis et sincera mente et summa cum diligentia anquirant.

« Quod quidem iis praecipue admonitum esto, qui passim adhuc mirari ac vel offendere videantur, quasi Nos divinitus commisso Nobis magisterio non satis iam fecerimus.

Hoc autem edicere nunquam pro opportunitate praetermissimus, neque in posterum praetermissi sumus — idque iterum, antequam alloquendi finem faciamus sollemniter asseveratum volumus — Nos nimur pacem cum iustitia, veritate caritateque coniunctam omnibus, ubicumque sint « hominibus honae voluntatis » (Luc., II, 14) et optare vehementer, et pro viribus conciliare, et a Deo Optimo Maximo incensa efflagitare prece ».

Quam quidem precem velit Omnipotens admittere!

POPLICOLA.

Inter viros clarissimos, qui ad Purpureae fastigium evecti sunt, tres periuntur, nimur Camillus CACCIA DOMINIONI, Pontificiis admissionibus preepositus; VINCENTIUS LA PUMA, Sacrae Religiosorum Congregationis a secretis; FRIDERICUS CATTANI AMDORI, Iudex sacrarum cognitionum, idemque a secretis Supremi Apostolicae Signaturae Tribunalis, quos iamdiu inter Almae Romae socios recensemus. Sit iis pro meritis gratulatio, nostrumque obsequium, cuius venerabundos sensus promere hic publice voluimus.

ALMA ROMA.

### VARIA

**Si quis antiquam Reipublicae formam innovare recteque informare velit, eum oportere, vel umbram saltem antiquarum legum retinere.<sup>1</sup>**

Qui Reipublicae formam innovare vult, in id incumbat necesse est, si hanc innovationem non ingratam populo esse velit: ut si res ipsas, sicuti ante erant, non retinere queat, earum saltem umbram retineat; sic enim efficietur, ut plebs non putet quicquam esse immutatum, quavis omnia re ipsa innovata sint, nam populus non solet res profundius intueri, sed quae videntur et foris ita esse apparent, eas perinde ac si revera ita sint accipit. Animadvertere id Romani, quum pulsis regibus libertatem comparassent; itaque in locum regis binos Consules suffecerunt; sed ne duplicatus terror visideretur, ut unus tantum fasces haberet voluerunt, et quidem totidem numero, quot reges usurpare solerent. Et quia etiam quaedam publica sacra per ipsis reges factitata erant, necubi Regum desiderium esset, Regem sacrificium creant, qui hisce sacris praeesset, idque sacerdotium pontifici subiecerunt, ne additus nomini honos, libertati aliquid officeret. Quo quidem modo effecerunt, ut plebei, ne hisce quidem sacris quicquam admittum esse sibi persuaderent, neque causam ullam haberent. Reges expetendi. Exemplum iis hominibus imitandum, qui antiquas leges statutaque abolere, ac novam plane liberamque Reipublicae formam introducere cupiunt. Semper enim in rerum mutationibus eo spectandum, ut an-

<sup>1</sup> Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere, cui titulus: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii, latine vertit H. BINDI.*

tiquarum rerum umbra aliqua retineatur; et quamvis, exempli gratia, magistratus quidam plane novi creentur, planeque nova munera hominibus inponantur, sunt tamen illa eadem nominibus antiquorum cum magistratum, tum munerum insignienda, ut eadem cum illis esse putentur. Quod quum in omni Rerum publicarum mutatione sit observandum, tamen ab illo non ita sunt consideranda, qui Monarchiam, quam aliqui tyrannidem vocant, instituere in animo habet: in ea enim res omnes innovare oportet.

### Lupus Piscis.

Lupus piscis robore et magnitudine eximia praeditus, fluvii cuiusdam imperium tenebat. Hunc superbia et fastidium praesentis fortunae ad cupiditatem extulit regni marini. De ostio igitur fluminis in pelagus enat, atque ibi Delphino regnatori occurrens, quum et forma et mole insueta terreretur, adorante etiam hostiliter ipsum Delphino, fuga se in amnum suum recepit, neque postea unquam extra ostium excurrere est ausus.

Fabula docet, ne quis sibi neminem parem reperiri arroganti opinione persuadeat, ac potius ut id cogitet, quod teutonio proverbio fertur: « et trans rivum homines inveniri ».

### Pro iudicibus mensarum elegan- tibus.

#### CENA NATALITIA:

Pileoli Bononienses in iure caponis na-  
tantes.

Costulae leporinae ad crenium frixae.  
Artocreas ex parvis carduis, exstis pul-  
lorum fartum.

Capo igni assus cum acetariis.  
Panis Natalicius Mediolanensis.

### Iocosa.

TUCCIU in schola.

MAGISTER Tuccio:

— Heus tu! Quoniam instrumento usus est Samson ad Philisthaeorum caedem?

TUCCIU incertus tacet. Tum Magister, ut discipuli memoriae succurreret, suam tangens maxillam: — Quomodo hanc vocaveris?

TUCCIU: — Ah! Maxillam asininam!

Tuccii avus, nepotem ad cauponam mittit ut vini poculum emat. Caupona a Tuccio petit:

— Rubri an albi?

TUCCIU: — Nihil interest; avus enim meus orbus est.

### Aenigmata.

#### I.

Imperio *primi* gaudetque doletque vicissim Progenies humana: adeo *totum* occupat illud. *Alterius* vitanda cito contagia tabi, Ne *primum* ac *totum* inficiat, mandetque se- [pulcro].

#### II.

Arboribus patulos solis defendo calorem:  
Ad me flecte cito, fesse viator, iter.  
Inseritur mihi vocalis? Par nobile fratrum  
Quae peperit, fio Martis amica statim.

Aenigmata iu superiore fasciculo pro-  
posita his respondent: 1) *Pi-tu-itā*; 2) *Cu-  
niculus*.

— Regni opibus augendis, inimicitia et invidia pariter augentur.  
— Non qui prior sumit arma; qui vero efficit ut capiantur, hic unus reapse auctor est malorum.

N. MACHIAVELLI.

## REGULUS

1]

### ACTIO DRAMATICA HENRICI JOSEPHI COLLIN

In Latinum convertit VALENTIŪS FEHÉR.

#### ACTORES:

M. ATILIUS REGULUS

ATILIA uxor

PUBLIUS } tribunus plebis

SERANIUS } filii Reguli

MUCIUS

L. CAECILIUS METELLUS consul

BODOSTOR legatus

MICHO servus

VALERIUS }

APPIUS } senatores

MANLIUS }

CRISPUS

MARCUS }

SEXTUS } cives

TULLUS

CAEBIO scriba et praeco

Senatores, Lictores, Populus.

### PROLOGUS

Vos omnes, qui convenistis, ut cerno; plurumi,  
Benigne audite sultis, quae dicturus sum,  
Et animum advortite; nam dicam argumentum fabulae,  
Sed, ut solet, breviter, ne quem re longae taedeat.  
Exercitus Romani duxor consul Regulus  
Ob calliditatem duxoris Xantippi Graeculi  
Suamque incuriam, vel rectius audaciam,  
Magnam cladem accipit in terra Karthaginensium  
Et una cum suis in hostium manus venit.  
Annos asservabatur iam multos in carcere,  
Quom hostes bellum perlongum perosi maxime  
Huc Romam mittunt Regulum una cum Bodostore,  
Qui Poenus est homo et Karthaginensium nuntius.  
Sed ante adiungunt tamen iurando iure Regulum  
Omnino se revorsurum esse in carcerem, nisi  
Populo Romano persuadere contigerit sibi,  
Ut pacem cum Karthaginensibus componeret.  
Metellus consul actutum senatum convocat;  
Illoc Bodostor ducitur et Regulus simul.  
Bodostor arroganter postulat Siciliam;  
Eam Metellus praecise recusat tradere,  
Ergo decernitur duellum continuarier.

(Sequitur).

# INDEX RERUM VOL. XXII

(AN. XXII - FASC. I-XII)

<b>Actiones dramaticae.</b>	PAG.
Regulus ( <i>I. Collin-V. Fehér</i> ) . . . . .	195
<b>Alloquia sociis et lectoribus.</b>	1, 124, 150, 181, 189
<b>Annales.</b>	15, 31, 50, 67, 86, 104, 121, 139, 158, 178, 191
<b>Archaeologica.</b>	
De catacumbis et arenariis ( <i>S. S.</i> ) . . .	95
<b>Carmina.</b>	
Visiones Romanae: Pinetum ( <i>T. Bellatrecchia</i> ) . . . . .	9
Pio XI P. M. quartum supra decimum sacri principatus annum feliciter auspiscanti ( <i>I. Fratini</i> ) . . . . .	20
Visiones Romanae: Nymphaeum ( <i>T. Bellatrecchia</i> ) . . . . .	44
Imperii via ad Clivum Capitolinum ( <i>V. G.</i> )	62
S. Philippi Nerii insignia: Lilia - Sidera - Cor ( <i>I. Antonelli Costaggini</i> ) . . . .	83
Ad Iohannem Pascoli ( <i>V. Polidori</i> ) . . . .	98
Roma caput mundi ( <i>V. Genovesi</i> ) . . . .	109
Visiones Romanae: Campanae ( <i>T. Bellatrecchia</i> ) . . . . .	134
Horae subsecivae: Vox mea - Nivalia - Vla - ( <i>V. Polidori</i> ) . . . . .	152
Evenus et Elisa ( <i>F. Sofia Alessio</i> ) . . . .	169
Ad S. Stanislau Kostkam ( <i>V. Genovesi</i> ) .	179
Pagina Vergiliana ( <i>V. Polidori</i> ) . . . . .	186
<b>Certamina poëtica.</b>	
De certamine poëtico Hoeufftiano ann. MCMXXXV. . . . .	97
De certamine poëtico Hoeufftiano quid nunc sentiendum providendumque sit ( <i>I. Morabito</i> ) . . . . .	145
De nostris latinae poësis certaminibus ( <i>I. Garavani</i> ) . . . . .	187

<b>Colloquia latina.</b>	PAG.
<i>I. Pontani Progymnasmata latinitatis</i> (Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit <i>I. F.</i> ):	
Elementorum conformatio . . . . .	30
Silentium et attentio . . . . .	66
Temeraria suspicio . . . . .	85
Colloquium in schola . . . . .	103
Litigium . . . . .	121
Somnus in gymnasio . . . . .	139
Munditia librorum . . . . .	157
Cantus musicus . . . . .	177
Suggestio . . . . .	191
<b>Communia vitae.</b>	
De salutatione ( <i>P. Al.</i> ) . . . . .	12
<b>Epistolarum commercium.</b>	
De renovando apud omnes gentes latinae linguae usu ( <i>I. Vieniewski</i> ) . . . . .	29
Id. ( <i>« Almae Romae » Moderatores</i> ) . . . .	49
(Cfr. etiam in « Litterae et Philologia »: <i>Nostra res</i> ).	
<b>Fabulae.</b>	
Piscator . . . . .	34
Puer et Mater . . . . .	69
Asini pellis . . . . .	88
Asinus et Equus . . . . .	106
Alcedo . . . . .	123
Lupus et Vulpes . . . . .	140
Asinus et Oltor . . . . .	160
Talpa et Mus . . . . .	179
Lupus Piscis . . . . .	194
Anthea ( <i>P. Angelini</i> ). 71, 89, 107, 125, 143, 162	
<b>Historica.</b>	
Petrus Card. Gasparri ( <i>R. S.</i> ) . . . . .	10
Pro Ioanne Fisher et Thoma Moro ( <i>A. Milani</i> ) . . . . .	55

PAG.	PAG.
Franciscus Pacelli ( <i>J. Antonelli Costaggini</i> ) .	82
In memoriam Pii X Pont. Maximi ab ortu eius centesimo recurrente anno ( <i>A. Aureli</i> ) . . . . .	91
De Francorum Academiae originibus ( <i>A. Aureli</i> ) . . . . .	112
Xystinum in Vaticano sacellum . . . . .	135
Vincentii Bellini notitia centesimo recurrente anno ab eius obitu ( <i>A. Costaggini</i> ) .	189
Ex Nicolai Machiavelli opere « De republi- lica disputationes ex prima decade T. Livii » latine vertit <i>H. Bindi</i> :	
Virtusne an fortuna maior causa extiterit Romanis acquirendi tanti imperii .	16
Crescit Roma Albae ruinis . . . . .	33
Ratio progrediendi in bellis gerendis a populo Romano usurpata . . . . .	51
Sitne pecunia belli nervus . . . . .	68, 87
Satius ne sit ita praevenire, ut prius hostem adoriaris, quam ille te . . . . .	105, 122
Vituperandum esse illum Principem, atque eam Republicam, quae non possit proprio milite uti, neque cives ad militiam idoneos habeat . . . . .	140
Quot modis populus Romanus urbes occupare consueisset . . . . .	159, 178
De Roberti Scotti, Navarchi Angli, itinere antarctico ( <i>A. Haberl</i> ) . . . . .	18, 35, 53
Si quis antiquam Reipublicae formam inno- vare recteque informare velit, eum oportere, vel umbram saltem antiquarum legum retinere . . . . .	193
<b>Ius.</b>	
De fontibus iuris italicci linea- menta historica. - Aetas antiqua ( <i>S. Romani</i> ) . .	7
Id. - Aetas media ( <i>S. Romani</i> ). 69, 117, 131, 173	
De nexibus inter Iustiniani Caesaris Codices et Decretalia Gregorii IX Pontificis Maximi ( <i>E. Card. Pacelli</i> ) . . . . .	20
<b>Libera a pittaciis responsa</b> . . . . .	70, 180
<b>Libri recens dono accepti.</b> 34, 106, 124, 142, 180	
<b>Librorum recensio.</b> 52, 70, 124, 142, 160, 161	
<b>Litterae et Philologia.</b>	
De latini sermonis elegancia ( <i>J. Iss.</i> ):	
De propositionibus adiunctis . . . . .	4
De propositionibus relativis . . . . .	24
De participio . . . . .	26
De voce latina apte collocanda . . . . .	39, 63
<b>Medicae notae.</b>	
De medicinae ortu, obiecto et fine ( <i>I. Waldschmidt</i> ) . . . . .	45
De chylo et sanguine ( <i>I. Waldschmidt</i> ) . . . . .	100, 118, 155
<b>Politica.</b>	
Aequandaene mulieres viro in omnibus disciplinis? ( <i>G. P.</i> ) . . . . .	38, 74
Respublica Argentina in inferiore America pacifera ( <i>P. Ardizzone</i> ) . . . . .	60
(Cfr. etiam <b>Historica</b> ).	
<b>Sapientum pervestigationes a radio- phonica Vaticana statione latine vulgatae.</b>	
De neutrino . . . . .	14
De aqua ponderosa . . . . .	14
De isotopis . . . . .	29
De massa neutronis . . . . .	29
De quibusdam animalium exemplaribus Mar- silianis . . . . .	49
De spectro solari infrarubro photographice descripto . . . . .	49
De aluminio in speculis parandis . . . . .	65
De stroborama . . . . .	65
De translatione per parallelismum super sphera . . . . .	66
De isotopis calcii . . . . .	66
De decimo satellite Iovis . . . . .	84
De possibili productione elementorum, quo- rum numerus atomicus exsuperet numerum Uranii . . . . .	84
De focorum sismicorum profunditate . . . .	99
De motuum telluris scriptura . . . . .	99
De deposito « Parvi Mundi » in valle Tou- ranche . . . . .	99
De nova specie « Pteropodi » . . . . .	99
De nova geologica Cyrenaicae delineata ta- bula . . . . .	99
De fodinis smaragdorum Cleopatrae . . . .	99
De novis speciebus echinodermium in in- sula Rhodo inventis . . . . .	100